ACTA
SANCTAE SEDIS

IN COIPMM OPPORTUNE REDACTA ET ILLUSTRATA

STUDIO ET CURA

VICTORII PIAZZESI

IURIS UTRIUSQUE DOCTORIS

Acta iuridica et solemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia: acta inter ea quae publici fieri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa et alia huiusmodi; praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.

Volumen XXV.

ROMAE

J3X TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

S. CONGR. DE PROPAGANDA FIDE

1892-93.

JOHNSON REPRINT CORPORATION
111 Fifth Avenue, New York, N.Y. 10003

JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.
Berkeley Square House, London, W1X6BA

First reprinting 1969, Johnson Reprint Corporation
Printed in the United States of America

EPISTOLA Sanctissimi Domini Nostri Leonis divina providentia Papae XIII ad Archiepiscopos et Episcopos ex Hispania, Italia et utraque America.

DE CHRISTOPHORO COLUMBO

Quarto abeunte saeculo, postea quam homo Ligur ad ignotas trans Oceanum Atlanticum oras, Deo auspice, primus appulit, gestiunt homines et memoriam rei grata recordatione celebrare et auctorem extollere. Nec sane facile reperiatur, quae permoveat animos studiaque inflammet, caussa ulla dignior. Res enim per se omnium est, quas ulla aetas unquam ab hominibus effectas vidit, maxima et pulcherrima : is vero qui fecit, pectoris ingeniique magnitudine post natos homines cum paucis comparandus. Eius opera, ex inexplorato Oceani sinu alter emersit orbis : centena mortalium millia ex oblivione et tenebris in communem humani generis societatem restituta, ex fero cultu ad mansuetudinem atque humanitatem traducta; quodque est longe maximum, eorum communicatione bonorum, quae Iesus Christus peperit, ad vitam sempiternam ab interitu revocata. — Europa quidem, subitae rei novitate et miraculo tunc attonita, quid Columbo debeat, sensim postea eognovit, cum nimirum deductis in Americam coloniis, commeatu assiduo, mutatione officiorum, dandis accipiendisque mari rebus, ad naturae cognitionem, ad communes copias, ad opes incredibilis est accessio facta, unaque simul Europaei nominis mire crevit auctoritas. — In hac igitur tam multiplici significatione honoris, atque in hoc velut concentu gratulantem, omnino silere non decet Ecclesiam, quippe quae more atque instituto suo, quidquid usquam honestum ac laudabile videatur, probat libens ac provehere nititur. Honores illa quidem singulares et maximos reservat praestantissimis in genere morum virtutibus, qua saluti aeternae animorum cohaerent: non idcirco tamen spernit aut parvi aestimat ceterum genus: immo vero magna voluntate favere honoremque semper habere consuevit egregie de civili hominum coniunctione meritis atque immortalitatem apud posteros consecutis. *Mirabilis* enim *Deus est* maxime *in sanctis suis :* sed divinae virtutis eius in iis quoque apparent impressa vestigia, in quibus eluceat vis quaedam animi ac mentis excellens, quia non aliunde

in homines lumen ingenii atque excelsitas animi, nisi a parente et procreatore Deo proficiscuntur.

Sed praeterea alia est caussa, eademque prorsus singularis, quamobrem recolendum nobis memori gratulatione putemus immortale factum. Nimirum Columbus noster est ; quandoquidem si paulisper spectetur qua potissimum caussa consilium cepit *tenebrosum mare* conquirere, et qua ratione consilium conatus est exequi, dubitari non potest, plurimum in re suscipienda perficiendaque potuisse fidem catholicam, ita ut non parum hoc etiam nomine universum hominum genus debeat Ecclesiae.

Fortes quidem atque experientes viri; cum ante Christophorum Columbum, tum postea, numerantur non pauci, qui ignotas terras, ignotiora maria pertinaci studio exquisierint. Quorum memoriam fama hominum, beneficiorum memor, iure praedicat, praedicabit, propterea quod scientiarum atque humanitatis propaga vere fines, communemque prosperitatem auxere : idque non levi negotio, sed per summam animi contentionem, nec raro per summa pericula. — Est tamen, quod hos inter atque eum, de quo loquimur, magnopere differat. Videlicet haec praecipue nota Columbum distinguit, quod emettendo remetiendoque immensa Oceani spatia, maius quiddam atque altius quam ceteri, petebat. Non quod nihil ille moveretur honestissima cupiditate sciendi beneque de hominum societate merendi; nec quod gloriam contemneret, cuius acriores in magnis pectoribus solent esse morsus, aut spem utilitatum suarum funditus aspernaretur : verum prae his humanis rationibus universis longe in illo ratio valuit religionis avitae, quippe quae sine ulla dubitatione et eam mentem voluntatemque homini dedit, et in summis saepe difficultatibus constantiam cum solatio praebuit. Hanc enim praecipue sententiam atque hoc propositum eius insedisse animo constat : aditum Evangelio per novas terras novaque maria patefacere.

Id quidem parum verisimile videri ei potest, qui in hanc rerum naturam, quae percipitur sensibus, cogitatione omni curaque contracta, recusant intueri maiora. Sed contra in maximis ingeniis hoc fere existit, ut malint altius assurgere: sunt enim ad concipiendos divinae fidei instinctus afflatusque optime omnium comparata. Certe studium naturae cum religionis studio Columbus coniunxerat, atque haustis ex intima fide catholica praeceptis mentem conformaret. Hac de caussa eum ex

astronomica disciplina et veterum monumentis comperisset, trans noti orbis terminos magna terrarum spatia etiam in occidentem patere, nulli hominum ad eam diem explorata, obversabatur animo multitudo ingens, miserandis circumfusa tenebris, vesanis ritibus ac Deorum inanium superstitionibus implicita. Miserum agresti cultu ferisque moribus vivere: miserius carere notitia rerum maximarum, atque in unius veri Dei ignoratione versari. Haec igitur apud animum suum agitans, primum omnium expetivit, christianum nomen, christianae beneficia caritatis in occidentem extendere : quod tota rei gestae historia abunde comprobatur. Sane cum a Ferdinando et Isabella Hispaniae regibus primum petiit, rem suscipere ne gravarentur, plane exponit caussam, *fore ut ipsorum gloria ad immortalitatem cresceret, si nomen ac doctrinam Iesu Christi inferre in regiones tam longe dissitas instituissent.* Nec multo serius compos votorum factus, *contendere se a Deo* testatur, *ut reges divina eius ope gratiâque velle pergant novas oras nova litora Evangelio imbuere.* Ab Alexandro VI Pontifice maximo viros apostolicos maturat per litteras petere, in quibus ea est sententia : *sacrosanctum Iesu Christi nomen et Evangelium quam latissime disseminare me aliquando posse, Deo adiutore, confido.* Atque efferebatur, putamus, gaudio, cum Raphaeli Sanchesio primum ab India redux Olisipone scriberet, *agendas Deo immortales gratias, quod sibi successus tam prosperos benigne dedisset: gaudere ac triumphare Iesum Christum in terris aeque ac in caelis oportere, proxima iam gentium innumerabilem, quae antea ad interitum ruèrent, salute.* Quod si Ferdinando et Isabellae auctor est in novum orbem adiri commerciaque cum indigenis institui, nisi a christianis catholicis ne sinant, eam affert caussam, quod *incepto eonatuque suo nihil petivit aliud, quam religionis christianae incrementum et decus.* Idque Isabellae, quae summi viri mentem introspexerat, ut nemo melius, optime cognitum: immo idem plane propositum pientissimae et ingenio virili magnoque animo feminae constat fuisse. Illa enim de Columbo afñrmarat, futurum ut in vastum Oceanum se animose daret, *rem effacturus, divinae gloriae caussa, magnopere insignem.* Et ad ipsum Columbum secundo reducem, *optime collocatus,* scribit, *quos ipsamet in expeditiones Indicas fecisset, quosque esset factura, sumptus: inde enim amplificationem catholicae rei consecuturam.*

Alioqui praeter caussam humana maiorem, unde erat ille constantiam animique robur hausturus ad ea perferenda, quae coactus est usque ad extremum perferre et perpeti ? contrarias intelligimus eruditorum sententias, virorum principum repulsas, furentis Oceani tempestates, assiduas vigilias, quibus usum luminum plus semel amisit. Accessere proelia cum barbaris, amicorum et sociorum infidelitates, consceleratae conspirationes, invidorum perñdiae, obtrectatorum calumniae, impositae innocenti compedes. Omnino necesse homini erat laboribus tantae molis ac tanto concursu succumbere, nisi se ipse conscientia sustentasset pulcherrimi facti, quod nomini christiano gloriosum, atque infinitae multitudini salutare perspiciebat fore. — Quod quidem factum ipsa temporis adiuncta mirifice illustrant. Siquidem Americam Columbus aperuit quo tempore prope erat ut magna in Ecclesiam procella incumberet. Quantum igitur ex rerum eventis divinae providentiae vias existimare homini licet, vere singulari Dei consilio natus videtur ille Liguriae ornamentum ad ea, quae catholico nomini ab Europa impenderent, detrimenta sarcienda.

Vocare Indorum genus ad instituta christiana, erat profecto Ecclesiae munus atque opus. Quod illa munus statim a principio incohatum, insistere perpetuo caritatis tenere perrexit, itemque pergit, ad ultimam Patagoniam novissimo tempore progressa. Columbus tamen certus praecurrere ac munire vias Evangelio, penitusque hac in cogitatione defixus, omnem operam suam ad id retulit, nihil fere aggressus nisi religione duce, pietate comite. Res commemoramus vulgo compertas, sed ad mentem animumque viri declarandum insignes. Scilicet coactus a Lusitanis, a Genuensibus, infecta re, abire, cum in Hispaniam se contulisset, intra parietes religiosae domus ad maturitatem alit meditatae conquisitionis grande consilium, conscio ac suasore religioso viro, Francisci Assisiensis alumno. In Oceanum, circumacto septennio, denique egressurus, quae ad expiandum animum pertinent, curat in procintu: caeli Reginam precatur ut coeptis adsit cursumque dirigat: nec prius vela solvi, quam implorato nomine Trinitatis augustae, imperat. Mox in altum provectus, saeviente mari, vociferante remige, tranquillam mentis constantiam tuetur, fretus Deo. Propositum hominis ipsa loquuntur imposita insulis novis nova nomina: qua quidem ubi singulas attigit, Deum omnipotentem supplex adorat, neque possessionem

earum init, nisi *in nomine Iesu Christi.* Quibuscumque appulsus oris, non habet quicquam antiquius, quam ut Crucis sacrosanctae simulacrum deligat in litore : divinumque Redemptoris nomen, quod toties aperto salo cecinerat ad sonitum murmurantium fluctuum, in novas insulas primus infert: eamque ob caussam ad Hispaniolam aedificandi initium a molitione templi facit, popularesque celebritates a sanctissimis caeremoniis exorditur.

En igitur quo spectavit, quid egit Columbus in regionibus tanto maris terraeque tractu indagandis, inaccessis ad eam diem atque incultis, quarum tamen humanitas et nomen et opes celeri cursu in tantam amplitudinem, quantam videmus, postea crevere. Qua tota in re magnitudo facti, et vis varietasque beneficiorum, quae inde consecuta sunt, grata quidem recordatione atque omni honoris significatione celebrari hominem iubent : sed primum omnium agnoscere ac venerari singulari ratione oportet aeternae mentis numen atque consilium, cui sciens paruit atque inservivit novi inventor orbis.

Quo igitur digne et convenienter veritati solemnia Columbiana agantur, ad celebrità tum civilium decus religionis adhibenda sanctitas est. Proptereaque sicut olim ad primum facti nuntium grates Deo immortali, providentissime, publice actae sunt, praeeunte Pontifice maximo : ita nunc in renovanda auspicatissimi eventus memoria idem arbitramur faciendum. Edicimus itaque ut die XII Octobris, aut proximo die Dominico, si Ordinarius loci ita expedire censuerit, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis ex Hispania, Italia, atque ex utraque America, post Officium diei, solemni ritu Missa celebretur de *Sanctissima Trinitate.* Quod, praeter nationes quae supra memoratae sunt, apud ceteras quoque confidimus fore ut idem, Episcopis auctoribus, peragatur: quod enim omnibus profuit, id convenit pie grateque ab omnibus celebrari.

Interim divinorum munerum auspicem et paternae Nostrae benevolentiae testem, vobis, Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XVI Iulii An. MDCCCXCII, Pontificatus Nostri Decimoquinto.

LEO PP. XIII.

EX SECRETARIA BREVIUM

LITTERAE in forma Brevis; de institutione Consociationis sacrae Familiae, unicae et universalis.

Neminem fugit rei privatae et publicae faustitatem a domestica potissimum institutione pendere. Quo enim altiores domi egerit radices virtus, quo solertius parentum voce et exemplo fuerint puerorum animi ad religionis praecepta informati, eo uberiores in rem communem fructus redundabunt. Quapropter summopere interest ut domestica societas non solum sancte sit constituta, sed sanctis etiam regatur legibus: in eaque religionis spiritus et christianae vitae ratio diligenter constanterque foveatur. Hinc profecto est quod misericors Deus cum humanae reparationis opus, quod diu saecula expectabant, perficere decrevisset, ita eiusdem operis rationem ordinemque disposuit, ut prima ipsa eiusdem initia augustam mundo exhiberent speciem Familiae divinitus constitutae, in qua omnes absolutissimum domesticae societatis, omnisque virtutis ac sanctitatis intuerentur exemplar. Talis quidem Familia extitit Nazarethana illa, in qua, antequam gentibus universis pleno lumine .emicuisset, Sol iustitiae erat absconditus: nimirum Christus Deus Servator Noster cum Virgine Matre et Ioseph viro sanctissimo, qui erga Iesum paterno fungebatur munere. Minime dubium est quin ex iis laudibus, quae in societate et consuetudine domestica ex mutuis caritatis officiis, ex sanctitate morum, ex pietatis exercitatione proficiscuntur, maxima quaeque enituerit in sacra illa Familia, quae siquidem earum futura erat ceteris documento. Ac propterea benigno providentiae consilio sic illa constitit; ut singuli christiani qualicumque conditione vel loco, si ad eam animum advertant, facile possint cuiuscumque virtutis exercendae habere caussam et invitamentum. Habent revera patresfamilias in Ioseph vigilantiae providentiaeque paternae praeclarissimam normam: habent matres in Sanctissima Virgine Deipara amoris, verecundiae, submissionis animi perfectaeque fidei insigne specimen: filii vero familias in Iesu, qui *erat subditus illis,* habent divinum obedientiae exemplar

quod admirentur, colant, imitentur. Qui nobiles nati sunt, discent a Familia regii sanguinis quomodo et in edita fortuna se tempèrent, et in afflicta retineant dignitatem : qui dites, noscent ab ea quantum sint virtutibus posthabendae divitiae. Operarii autem et ii omnes, qui nostris praesertim temporibus, familiarum rerum angustiis ac tenuiore conditione tam acriter incitantur, si ad sanctissimos illius domesticae societatis consortes respectent, non deerit eis caussa cur loco, qui sibi obtigit, delectentur potius quam doleant. Communes enim cum sacra Familia sunt illis labores: communes curae de vita quotidiana: debuit et Ioseph de mercede sua vitae rationibus consulere; imo ipsae divinae manus se fabrilibus exercuerunt. Nec mirum sane est si sapientissimi homines divitiis affluentes, eas abiicere voluerint, sociamque cum Iesu, Maria et Ioseph sibi eligere paupertatem. Quibus e rebus iure meritoque apud catholicos sacrae Familiae cultus mature invectus, maius in dies singulos incrementum capit. Id quidem probant tum christianorum sodalitates sub invocatione Sacrae Familiae institutae, tum singulares honores ei redditi, tum potissimum a decessoribus Nostris ad excitandum erga eam pietatis studium impertita privilegia et gratiae. Huiusmodi cultus magno in honore habitus est iam inde a saeculo decimo septimo, lateque per Italiam, Galliam et Belgium propagatus, totam fere Europam pervasit: deinde praetergressa vastos Oceani tractus, in America per Canadensem regionem, cura praesertim atque opera Venerabilis Servi Dei Francisci de Montmorency-Laval primi Quebecensis Episcopi, et Venerabilis Servae Dei Margaritae Bourgeois, sese extendit, faustisque effloruit auspiciis. Postremis hisce temporibus dilectus filius Franciscus Philippus Francoz Societatis Iesu piam Consociationem a Sacra Familia Lugduni fundavit, quae fructus laetos atque uberes, Deo iuvante, de se pollicetur. Consociationi tam auspicato conditae illud est salutare propositum: nimirum familias christianas arctiori pietatis nexu Sacrae Familiae devincire, vel potius omnino devovere, eo etiam consilio, uti scilicet Iesus, Maria et Ioseph familias sibi deditas tamquam rem propriam tueantur et foveant. Qui sociorum in numerum sunt adsciti, debent ex instituto cum iis qui domi commorantur, in unum convenire, coram imagine Sacrae Familiae decreta pietatis officia praestare : providere, ea opitulante, ut inter se colligatis fide mentibus, caritate volunta-

tibiis in amore Dei atque hominum, vitam ad propositum exigant exemplar. Piam hanc consociationem Bononiae ad instar Lugdunensis institutam decessor Noster felicis recordationis Pius IX. similibus litteris approbavit, deinceps Epistola die v. Ianuarii MDCCCLXX. ad pium auctorem data, singularis laudis praeconio est prosequutus. Ad Nos quod attinet, cum summopere curemus, et diligamus quaecumque ad animarum salutem iuvandam maxime valent, noluimus desiderari laudem et commendationem Nostram; datisque ad dilectum Filium Nostrum Augustinum S. R. E. Cardinalem Bausa, ex dispensatione Apostolica Archiepiscopum Florentinum, litteris eam Consociationem utilem ac salutarem, nostrisque temporibus valde accommodatam esse significavimus. Quas vero Nostra sacrorum Rituum Congregatio, suffragante dilecto Filio Nostro Caietano S. R. E. Presbytero Cardinali Aloisi-Masella eidem Congregationi Praefecto, consecrationis christianarum familiarum formulam, et precationem coram imagine Sacrae Familiae recitandam Nobis proposuerat, probavimus, et utramque ad locorum Ordinarios transmittendam curavimus- Deinde veriti ne germanus memoratae devotionis spiritus tractu temporis oblanguesceret, eidem Nostrae Sacrorum Rituum Congregationi mandavimus, ut Statuta concinnarem quibus in universo catholico orbe piae consociationes sacrae Familiae instituendae adeo inter se coniunctae forent, ut unus omnibus praeficeretur praeses, qui eas auctoritate summa regeret et moderaretur. Statuta post accuratum examen ab eadem Sacra Congregatione exarata, sunt eadem quae subscribuntur.

STATUTO della pia Associazione universale delle famiglie consacrate alla Sacra Famiglia di Nazaret.

1° Scopo della pia Associazione si è che le famiglie cristiane si consacrino alla Sacra Famiglia di Nazaret e la propongano alla propria venerazione ed esempio, onorandola davanti la sua immagine con preghiera quotidiana, e model-

1° Finis huius piae consociationis hic est, ut familiae christianae sese voveant sacrae Familiae de Nazareth, eandemque colant et exemplaris instar habeant, eam venerando coram eiusdem imagine, precibus quotidianis, vitamque confor-

lando la vita sulle sublimi virtù, delle quali essa diede l'esempio ad ogni classe sociale, e particolarmente all'operaia.

2° La Pia Associazione ha il suo centro in Roma presso l'Emo Cardinale Vicario *pro tempore* di Sua Santità, che ne è il Protettore. Egli coadiuvato da Monsignor Segretario della Sacra Congregazione dei Riti e da due altri Prelati a sua scelta, ed oltre a questi da un Ecclesiastico coli'officio *ài.Segretario,* dirige l'Associazione medesima in tutte le parti del mondo, procurando che essa conservi lo spirito e il carattere della propria istituzione, e sempre più si propaghi.

3° In ogni Diocesi o Vicariato Apostolico, l'Ordinario per meglio promuovere la Pia Associazione tra i suoi fedeli, si varrà dell'opera di un Ecclesiastico a sua scelta, col titolo di *Direttore diocesano.*

4° I Direttori Diocesani terranno corrispondenza coi Parrochi, a'quali soli è affidata l'ascrizione delle famiglie della rispettiva loro Parrocchia. Nel Maggio poi di ciascun anno i Parrochi comunicheranno ai Direttori Diocesani, e questi, sotto la dipendenza dell'Ordinario, alla Sede centrale di Roma, il numero delle nuove famiglie ascritte alla Pia Associazione.

mando excelsis virtutibus, quarum ipsa exemplum praebuit cuique ordini societatis et praecipue operariis.

2° Pia consociatio centrum habet proprium apud Emum Cardinalem, Vicarium *pro tempore* Sanctitatis Suae, qui illius est protector. Ipse coadiutus a R. P. D. Secretario Sacrae Rituum Congregationis, et a duobus aliis Praelatis, ab eodem eligendis, atque insuper ab ecclesiastico viro, cum Secretarii munere, consociationem eandem moderatur apud cunctos mundi fideles, studendo ut ipsa spiritum , indolemque servet propriae institutionis, et magis in dies propagetur.

3° In qualibet Dioecesi aut Vicariatu Apostolico^ Ordinarius, ut satius promoveat piam consociationem inter suos fideles, utetur opera alicuius viri ecclesiastici, ab eodem eligendi, cum titulo *moderatoris dioecesani.*

4° Moderatores dioecesani habebunt parochos mutuos curatores ; quibus tantum concreditur adscriptio familiarum suae respectivae paroeciae. Mense autem Maio cuiuslibet anni parochi moderatores dioecesanos, istique, sub Ordinarii dependentia, sedem Romae centralem certiorem facient de numero familiarum, quae piae consociationi adscriptae sunt.

5° La consacrazione delle famiglie si farà secondo la formóla approvata e prescritta dal Sommo Pontefice Leone XIII. Essa può farsi in particolare da ciascuna famiglia, ovvero da più famiglie riunite nella Chiesa Parrocchiale presso il proprio Parroco, o suo delegato.

6° L'immagine della Sacra Famiglia di Nazaret dovrà trovarsi in ciascuna delle famiglie ascritte, ed i membri di esse almeno una volta al giorno, e possibilmente la sera, pregheranno in comune innanzi la medesima. Si raccomanda a tal uopo in modo particolare la formóla di preghiera approvata dal Regnante Sommo Pontefice, ed altresì ***V*** uso frequente delle tre note giaculatorie:

Gesù, Giuseppe e Maria, vi dono il cuore e l'anima mia.

Gesù, Giuseppe e Maria, assistetemi nell'ultima agonia.

Gesù, Giuseppe e Maria, spiri in pace con Voi l'anima mia.

7° L'immagine della Sacra Famiglia può essere o quella menzionata nefla Lettera della sa. me. di Pio IX del 5 gennaio 1870, o qualunque altra, in cui sia rappresentato il Nostro Signore Gesù Cristo nella sua vita nascosta che menò con la Bma Vergine Sua Ma-

5° Familiarum consecratio fiet iuxta formulam probatam práescriptamque a summo Pontifice Leone XIII. Haec fieri potest singillatim a qualibet familia, seu a pluribus familiis in ecclesia paroeciali collectis, coram parocho proprio vel istius delegato.

6° Apud unamquamque ex familiis adscriptis servetur imago Sacrae Familiae de Nazareth; membraque earundem, saltem semei in die, et praesertim de sero, preces fundent in unum collecta apud eandem. Enixe commendatur ad id formula precum probata a Regnante Summo Pontifice, una cum frequenti usu trium sequentium :

Gesù, Giuseppe e Maria, vi dono il cuore e ranima mia.

Gesù, Giuseppe e Maria, assistetemi nell'ultima agonia.

Gesù, Giuseppe e Maria, spiri in pace con voi V anima mia.

7° Imago S. Familiae aut illa esse potest de qua agitur in litteris Pontificis s. m. Pii IX diei 5 Ianuarii 1870, vel quaevis alia, quae referat Iesum Christum Dominun nostrum in sua vita privata, quam duxit cum B. V. Maria, eius Matre et cum castissimo eius sponso,

dre e col castissimo Sposo di Lei, San Giuseppe. Rimane però sempre nell'Ordinario, a norma del Tridentino, il diritto di escludere quelle immagini che non fossero secondo il concetto proprio di questa Associazione.

Sancto Iosepho. Manet tamen semper apud Ordinarium, iuxta Tridentinum, ius excludendi imagines illas, quae huius consociationis conceptui apprime non respondeant.

8° Le famiglie ascritte all'Associazione godono delle Indulgenze e dei vantaggi spirituali concessi dai Sommi Pontefici, come viene indicato nella pagella di aggregazione.

8° Familiae adscriptae huic consociationi fruuntur indulgentiis et bonis spiritualibus a Summis Pontificibus concessis ceu innuitur in chartula consociationis.

9° Il Cardinale Protettore col suo Consiglio formerà e pubblicherà un Regolamento, nel quale si troveranno particolari disposizioni intorno a ciò che può tornare più utile alla Pia Associazione, e specialmente s'indicheranno le sue Feste proprie, il giorno della Festa titolare, la rinnovazione annua dell'atto di consacrazione da farsi collettivamente, le adunanze da tenersi ecc.

9° Emus Cardinalis protector cum suis consiliariis faciet et in lucem edet normam directivam, quae exhibebit speciales dispositiones circa ea, quae utiliora esse possunt piae consociationi: et in ea praesertim indicabuntur eius festa propria, dies festi Titularis, annua iteratio actus consecrationis insimul peragendae, sessiones habendae etc.

Quae quidem Statuta, cum de iis supradictus Cardinalis Praefectus ad Nos retulisset, comprobavirnus et Apostolica Auctoritate Nostra rata habuimus et confirmavimus, deroga tis abrogatisque quae super hanc rem scita actaque sunt, nominatim Apostolicis Litteris die III. Octobris anno MDCCCLXV. datis, et omnibus actis, quae ad primariam Lugdunensem Consociationem spectant. Volumus autem, iubemus ut Consociationes omnes Sacrae Familiae cuiuscumque tituli quae nunc existunt, in hanc unicam et universam coalescant. Excipimus tamen religiosas Congregationes huius tituli, quae constitutionibus utantur ab hac S. Sede approbatis, et Confraternitates proprie dictas, dummodo canonice sint erectae, et ad regulas et normas

dirigantur a Romanis Pontificibus praescriptas, nominatim a Clemente VIII. in Constitutione *Quaecumque,* die VII. Decembris anno MDCIV. Hae vero Confraternitates ac religiosae Congregationes, quae fortasse adscribendis familiis operam hactenus dederunt, in posterum ab huiusmodi cura, quae solummodo Parochis commissa est, prorsus abstineant. Haud tamen necesse est ut familiae iam alicui Consociationi adscriptae, pro indulgentiis aliisque muneribus spiritualibus obtinendis, iterum adscribantur, dummodo servent ea quae in novis hisce Statutis praescripta sunt. Consociationis universae Praesidem eligimus, renuntiamus Nostrum in hac alma Urbe Vicarium in spiritualibus generalem pro tempore, atque in perpetuum Patronum damus cum omnibus iuribus et facultatibus, quae nimirum potestatem gerenti iudicentur necessariae.

Illi autem Concilium adesse volumus Urbanorum Antistitum, in quibus Secretarius pro tempore Nostrae Sacrorum Rituum Congregationis. Quod superest, Nobis spes bona est omnes, quibus est animarum credita salus, maxime Episcopos, studii huius Nostri in hac pia Consociatione provehenda socios ac participes sese facturos. Qui enim cognoscunt et Nobiscum deplorant christianorum morum demutationem et corruptelam, rescriptum in familiis religionis et pietatis amorem, et accensas supra modum rerum terrestrium cupiditates, ipsi siquidem vel maxime optabunt tot tantisque malis opportuna offerri remedia.

Et siquidem nihil magis salutare aut efficax familiis christianis cogitari potest exemplo Sacrae familiae, quae perfectionem absolutionemque complectitur omnium virtutum domesticarum. Quapropter curent ut familiae quamplurimae, praesertim operariorum, in quas insidiarum vis maior intenditur, piae huic Consociationi dent nomen. Cavendum tamen est ne a proposito suo Consociatio deflectat, neve spiritus immutetur; sed quae et quomodo decretae sunt pietatis exercitationes et precationes integrae serventur. Sic implorati inter domesticos parietes adsint propitii Iesus, Maria et Ioseph, caritatem alant, mores regant, ad virtutem provocent imitatione sui, et quae undique instant mortales aerumnae, eas leniendo faciant tolerabiliores. Decernentes haec omnia et singula uti supra edicta sunt, firma rataque in perpetuum permanere, non obstantibus constitutionibus, litteris apostolicis, privilegiis, indultis, Nostris

et Cancellariae Apostolicae Regulis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die **xiv** Iunii **MDCCcxcii** Pontificatus Nostri Anno **xv.**

S. Card. VANNUTELLI.

Privilegia et indulgentiae concessae piae consociationi s. Familiae.

LEO PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

Quum nuper Nobis obtigisset, ut nova Statuta Consociationis Sacrae Familiae Apostolicis litteris probaremus et sanciremus, satis muneri atque Officio Nostro facturos esse duximus, si eandem Consociationem amplissimis verbis collaudaremus, eamque christianis Familiis summopere commendaremus. Laudavimus autem, et commendavimus ea voluntate eoque proposito, ut nimirum populus christianus, cuius aeterna salus est Nobis commissa, ad christianarum virtutum laudem exemplo sacrae Familiae et invitatione Nostra tempestive revocarentur. Christiana quippe virtus tam est efficax, tantumque pollet, ut in ea magnam partem posita sit vel sanatio malorum, quae praemunt, vel depulsio periculorum, quae metuuntur. Ad virtutem vero mirifice excitantur homines exemplo : quod quidem eo magis imitatione dignum iudicatur, quo integrior et sanctior est persona, unde petitur. Quare haud mirum est si Nos, qui nihil magis cupimus atque optamus, quam posse, excitata ubique virtute christiana, praesentibus malis mederi, et proxima pericula deprecari, Consociationem Sacrae Familiae singulari benevolentia et studio prosequimur, utpote quae sanctitatem divinae illius Familiae sibi proponit exemplar. Omnes enim ii, qui in huiusmodi Consociationem adsciti sunt, praeclarissimas Iesu, Mariae, et Ioseph virtutes contemplantes, necesse est ut similitudinem earum aliquam adripiant, fierique studeant imitatione meliores. Quare vigeat floreatque haec pia Consociatio quum sodalium numero, tum recte factorum laude; augeatur et ad plures in dies singulos propagetur : ea enim fiorente, facile fi-

des, pietas, et omnis christiana laus in Familiis revirescent Quum vero soleant homines permoveri maxime praemio; Nos, quod in facultate Nostra est, praemium spiritualium bonorum, non quidem fragile et caducum, illis, quasi invitamentum, proponimus. Ceterum maiora expectent ab iis, quibus se devoverunt, nimirum a Iesu, Maria, et Ioseph, qui sint servis suis praesentes propitii in omni vitae cursu, et postmodum efficiant, ut sua sanctissima ac suavissima nomina illorum morientium labris insideant. Quare quod bonum sanctumque sit, Deique gloriae, et animarum saluti benevertat, Nos auctoritate Nostra Apostolica, his litteris, poenarum remissionibus seu indulgentiis, privilegiisque, quae infra in apposito indice recensentur, omnes et singulos sodales Consociationis sacrae Familiae tam praesentes, quam futuros, uti posse volumus et iubemus.

INDEX INDULGENTIARUM ET PRIVILEGIORUM
PIAE CONSOCIATIONI SACRAE FAMILIAE
TRIBUENDORUM

Indulgentiae Plenariae.

Sodalibus Consociationis Sacrae Familiae ex utroque sexu singulis, qui admissorum confessione ritu christiano expiati sacram Eucharistiam sumpserint, et Parochialem aedem, vel oratorium publicum, devote visitaverint, ibique aliquandiu ad mentem Nostram orando perstiterint, indulgentiam plenariam consequendi ius esto diebus, qui infra scripti sunt.

I. Die quo Consociationem adierint, emissa Consecrationis formula, a Nobis, per Nostram Rituum Congregationem probatam, et in fine huius indicis relata.

II. Quo die in anno generalis conventus habebitur, iuxta cuiusque loci, in quo extat Consociatio, consuetudinem, ad sodalium pactum renovandum.

III. Diebus festivitati™

1.° Nativitatis
2.° Circumcisionis
3.° Epiphaniae) D. N. I. C.
4.° Resurrectionis
5.° Ascensionis

6.° Immaculatae Conceptionis
7.° Nativitatis
8.° Annuntiationis > B. M. V.
9.° Purificationis I
10.° Assumptionis. J
item diebus festis

11.° S. Ioseph Sponsi B. M. V. die undevigesima mensis Martii.

12.° Patrocinii eiusdem, Dominica tertia post Pascha.

13.° Desponsationis B. M. V. die vigesima tertia mensis Ianuarii.

IV. Die festo titulari universae Consociationis.

V. Die per menses singulos sodalium arbitrio eligendo, dummodo mense ipso in Familiis praescriptas preces coram Sacrae Familiae imagine una simul recitaverint.

VI. Morituris si, non compotes sacra Confessione atque Eucharistia , animi dolore culpas expiaverint, et sanctum nomen Iesu aut voce, aut si loqui posse desierint, voluntate imploraverint.

Partiales.

I.

Sodales Consociationis Sacrae Familiae ex utroque sexu singuli, qui corde saltem contriti Parochialem Ecclesiam, in qua est sedes Consociationis constituta, vel aliquod templum sacrariumve celebraverint, Deoque pro rei christianae incolumitate supplica verint, lucrari possint et valeant partiales indulgentias septem annorum totidemque quadragenarum

1.° Die Visitationis i
2.° Die Praesentationis !> B. M. V.
3.° Die Patrocinii J

4.° Quolibet die iidem sodales una simul in propriis Familiis adscriptis congregati, ante imaginem sacrae Familiae statas preces corde contrito recitaverint.

5.° Diebus, quibus sodales interfuerint conventibus, quos haberi contigerit.

II.

Iidem sodales indulgentias lucrentur trecentorum dierum quoties corde contrito sequentem Orationem ante imaginem Sacrae Familiae quocumque idiomate recitaverint.

ORATIO

QUOTIDIE RECITANDA ANTE IMAGINEM SACRAE FAMILIAE,

« O amantissime Iesu, qui ineffabilibus tuis virtutibus et vitae » domesticae exemplis Familiam a te electam in terris conse- » crasti, clementer aspice nostram hanc domum, quae ad tuos » pedes provoluta propitium te sibi deprecatur. Memento tuam » esse hanc domum; quoniam tibi se peculiari cultu sacra vit » ac devovit. Ipsam benignus tuere, a periculis eripe, ipsi in ne- » cessitatibus occurre, et virtutem largire, qua in imitatione Fa- » miliae tuae sanctae iugiter perseveret; ut mortalis suae vitae » tempore in Tui obsequio et amore fideliter inhaerens, valeat » tandem aeternas tibi laudes persolvere in caelis.

» O Maria, Mater dulcissima, tuum praesidium imploramus, » certi divinum tuum Unigenitum precibus tuis obsecuturum.

» Tuque etiam, gloriosissime Patriarcha sancte Ioseph, po- » tenti tuo patrocinio nobis succurre, et Mariae manibus vota » nostra Iesu Christo porrigenda submitte ».

Si vero sodales, qui vel infirmitate vel alia caussa impediti hanc Orationem recitare nequiverint, eandem indulgentiam lucrari poterunt, si devote quinquies recitaverint Orationem dominicam, et salutationem Angelicam cum *Gloria Patri.*

III.

Ducentorum dierum indulgentiam sodales Consociationis consequantur semel in die, si iaculatorias preces quocumque idiomate effuderint ut infra:

» Gesù, Maria, Giuseppe illuminateci, soccorreteci, salvateci. Così sia ».

IV.

Centum dierum indulgentiam lucrifaciant sodales, qui operam dederint, ut Christianae Familiae huic piae et universali Consociationi sese adscribant.

V.

Indulgentiam sexaginta dierum lucrentur sodales, quoties hi: 1.° in Ecclesia Parochiali, in qua sedem habet Consociatio sacrosancto Missae sacrificio, aliisque divinis officiis devote adstiterint: 2.° vel quinquies recitaverint Orationem dominicam et

salutationem Angelicam pro sodalibus defunctis: 3.° vel familiarum dissidia composuerit, vel componenda cura verint: 4.° vel Familias a iustitiae tramite dévias, in viam salutis reducere studuerit: 5.° vel pueros sive puellas christianis praeceptis imbuere sategerint: 6.° vel aliud quodcumque pium opus peregerint, quod in bonum Consociationis cedat.

Sodalibus, si maluerint, omnibus et singulis indulgentiis supra dictis sive plenariis, sive partialibus labes poenasque defunctorum expiare liceat.

PRIVILEGIA.

Pro Sodalibus universis.

Missae, quae pro sodalibus defunctis quocumque in altari celebrabuntur, iisdem suffragentur ac si in altari privilegiato celebrarentur.

Pro Parochis.

I.° Privilegium altaris personalis tribus in qualibet hebdomada diebus; dummodo simili privilegio alia de caussa non perfruantur.

II.° Facultas benedicendi extra Urbem Coronas, Rosaria, Cruces, Crucifixos, parvas statuas ac numismata, eisque applicandi omnes et singulas indulgentias, quas Summi Pontifices attribuere iisdem solent, ut describitur in apposito elencho; sed tantummodo exercenda pro sodalibus in Consociationem adscitis, die quo 1.° christiani piam ingrediuntur Consociationem: et 2.° sollemniter renovatur pactum Consociationis.

FORMULA

RECITANDA QUOCUMQUE IDIOMATE A CHRISTIANIS FAMILIIS QUAE SE SACRAE FAMILIAE CONSECRANT.

» O Iesu Redemptor noster amabilissime, qui e caelo missus » ut mundum doctrina et exemplo illustrares, maiorem mortalis s> tuae vitae partem in humili domo Nazarena traducere volui- » sti, Mariae et Iosepho subditus, illamque Familiam consecra- » sti, quae cunctis christianis familiis futura, erat exemplo; no- » stram hanc domum, quae Tibi se totam nunc devovet, beni-

» gnus suscipe. Tu illam protege et custodi, et sanctum tui ti-
» morem in ea confirma, una cum pace et concordia christia-
» nae caritatis: ut divino exemplari Familiae tuae similis fiat,
» omnesque ad unum quibus ea constat, beatitatis sempiternae
» sint compotes.

» O amantissima Iesu Christi Mater et mater nostra Maria,
» tua pietate et clementia fac ut consecrationem hanc nostram
» Iesus acceptam habeat, et sua nobis beneficia et benedictiones
» largiatur.

» O Ioseph, sanctissime Iesu et Mariae custos, in universis
» animae et corporis necessitatibus nobis tuis precibus succurre;
» ut tecum una et beata Virgine Maria aeternas divino Redem-
» ptori Iesu Christo laudes et gratias rependere possimus ».

Atque haec omnia et singula, uti supra decreta sunt, ita firma, stabilia, rata in perpetuum esse volumus : non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris die xx Iunii anno MDCCCXCII. Pontificatus Nostri anno decimo quinto.

L. S.

S. CARD. VANNÜTELLI.

ID JdJOJroIETXXIIVC

Dubia

Postquam litterae a Sacra Rituum Congregatione, die 10 Decembris 1890, de cultu Sacrae Familiae singularum Dioecesium Ordinariis transmissae fuerunt, eidem Sacrae Congregationi sequentia Dubia proposita sunt, nimirum :

I. An Seminaria, Collegia, Congregationes et Religiosae Familiae possint per formulam novissime a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII approbatam semet Sacrae Familiae consecrare, itemque Paroeciae, Dioeceses ac Regiones?

II. Preces ab eodem Sanctissimo Domino Nostro itidem approbatae atque indulgentiis ditatae a singulis Familiis coram imagine Sacrae Familiae recitandae, possuntne in Ecclesiis publicis usurpari?

III. Licet ne familiis, quae iam speciali ratione Sancto Ioseph se consecrarunt, semet Sacrae Familiae dedicare?

IV. Quum permultae orationes, litaniae, formulae consecrationis Sacrae Familiae et alia huiusmodi in pluribus locis circumferantur, quomodo providendum?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinario Coetu ad Vaticanum subsignata die coadunata, referen!e me infrascripto Cardinali Praefecto, omnibus rite perpensis, sic rescribere rata est:

Ad I. Quoad Seminaria, Collegia et singulas Domos Congregationum ac Familiarum Religiosarum, *Affirmative;* quoad Paroecias, provisum per consecrationem familiarum in singulis "Paroeciis; quoad cetera *Non expedire:*

Ad II. *Affirmative,* sed coram Imagine Sacrae Familiae:

Ad III. *Affirmative:*

Ad IV. Quoad litanias, comprehendi sub universali vetito Litaniarum, quae explicite approbatae non fuerint a Sede Apostolica; quoad orationes, formulas consecrationis aliasque preces sub quovis titulo ad Sacram Familiam honorandam adhibitas, mittendas esse ab Ordinariis locorum, nec non a Superioribus Religiosarum Congregationum, ut debito examini subiiciantur; secus in posterum licite usurpari nequeant. Die 13 Februarii 1892.

De his autem facta Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per me infrascriptum Cardinalem Praefectum relatione, Sanctitas sua resolutiones Sacrae eiusdem Congregationis ratas habuit, et confirmavit. Die 18, iisdem mense et anno.

CAL CARD. ALOISI MASELLA, S. R. C. *Praef.*

L. * S.

VINO. Nussr, S. R. C. *Secretarius.*

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

De Consistorio habito die H Iulii 1892.

Fuit Consistorium Secretum in Vaticano, in quo postquam fuit Emus ac Rmus Dnus Card. Aloisi-Masella suffectus Emo ac Rmo Dno Seraphino Card. Vannutelli ad officium Camerarii S. R. E. Cardinalium Collegii, Sanctitas Sua proposuit sequentes Ecclesias.

Metropolitanam Ecclesiam Toletan, vacan per obitum clar. me. Michaelis dira* viveret S. R. E. Presbyteri Cardinalis Paya et Rico, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore Emi. ac Rmi. Domini Antonini Titulo S. Augustini de Urbe, eiusdem S. R. E. Presbyteri Cardinalis Monescillo et Viso Archiepiscopi Valentini, ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis.

Metropolitanam Ecclesiam Valentin, vacan, per translationem ad Sedem Toletanam Emi. ac Rmi. Domini Antonini titulo S. Augustini de Urbe S. R. E. Presbyteri Cardinalis Monescillo et Viso, favore R. P. D. Cyriaci Mariae Sancha et Hervás Antistitis Matritensis-Complutensis, ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis.

Metropolitanam Ecclesiam Ianuen, vacan, per obitum bo. me. Salvatoris Magnasco, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Thomae Reggio Antistitis Ventimiliensis.

Metropolitanam Ecclesiam Senonen. vacan, per obitum clar. me. Victoris-Felicis S. R. E. dum viveret Presbyteri Cardinalis Bernardou, ultimi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Petri Mariae Stephani Gustavi Ardin, Episcopi Rupellensis ac Santonensis, ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis.

Metropolitanam Ecclesiam Señen, vacan, per obitum bo. me. Coelestini Zini, ultimi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Benedicti Tommasi, Episcopi Fesulani.

Archiepiscopalem Ecclesiam titularem Ptolemaiden. vacan, per obitum bo. me-Carmeli Pascucci, ultimi illius Antistitis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Laurentii Passerini, Presbyteri Cortonensis. Qui ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus Cortonae progenitus et in quinto supra quinquagesimum aetatis suae anno constitutus ac tum Gregoriana in Universitate theologiae, tum in Pontificio Seminario Romano utriusque iuris lauream assequutus, Consultae Tribunalis Ponentis, Signaturae Papalis Auditoris, Congregationum tum Concilii Tridentini decretis dirimendis, tum alterius christiano nomini propagando Consultoris muneribus perfunctus est. Inter Pontificiae Domus Antistites adscitus et summus Collegii Sancti Spiritus Magister renuncialus est.

Cathedralem Ecclesiam Matriten.-Compluten. vacan, per translationem ad metropolitanam Sedem Valentinam R. P. D. Cyriaci Mariae Sancha et Hervás, favore R. P. D. Iosephi Mariae de Cos et Macho, Archiepiscopi S. Iacobi de Cuba.

Cathedralem Ecclesiam Novarien, vacan, per translationem R. P. D. Davidis Riccardi ad Sedem Metropolitanam Taurinensem; favore R. P. D. Eduardi Pulciano, Antistitis Casalensis.

Cathedralem Ecclesiam Forosempronien, vacan, per obitum bo. me. Alexii Biffoli, ultimi illius Episcopi apud romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Vincentii Franceschini, Presbyteri dioeceseos Ripanae. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Cryptis ad mare dioeceseos Ripanae progenitus, et in quadragesimo octavo aetatis suae anno constitutus, Alumnus pontificii Seminarii Pii adiunctus Romae, in sacra theologia et in utroque iure doctorali laurea ditatus est: secunda Archidiaconatus dignitate hucusque cohonestatus penes Ripanum Capitulum, eiusque civitatis ac dioecesis semel, iterumque duorum Ripanae Sedis Antistitum Vicarii in spiritualibus Generalis, et Ophydae Asculanae dioecesis in Piceno Sanctimonialium Ordinis Benedicti Apostolici - Visitatoris munere perfunctus, inter... Synodales Examinatores Ripanos, atque Sanctitatis Suae Protonotarios Apostolicos ad instar participantium adscitus est.

Cathedralem Ecclesiam Casalen. vacan, per translationem ad Sedem Novariensem R. P. D. Eduardi Pulciano, favore R. P. D. Pauli Mariae Barone, Presbyteri Taurinensis archidioeceseos. Qui ex legitimi!;, catholicis honestisque parentibus in oppidulo, Cittadella, municipii Augustae Taurinorum progenitus et in quadragesimo octavo aetatis suae anno constitutus in Apostolico vicariatu Pekinensi pluribus annis Missionarium agens, ibique Presbyteratus ordine et Ianuensi Collegio S. Thomae Aquinatis sacrae theologiae dudum doctoralem lauream assequutus, a Sancti Remi Praepositum ad Allium Intimelium translatus, inibi Vicarius Foraneus, Vicarius ac sanctimonialium Director, Examinator Synodalis et ecclesiasticus extitit Revisor. Praepositum dimissa, penes sacram Congregationem Christiano nomini propagando praepositum addictus, illiusque Consultor adlectus, tum inter Sanctitatis Suae Cubicularios supra numerum, tum inter Antistites Praesules Pontificiae Domus adscitus, et pro unitis dioecesibus Zacynthiensi ac Cefaloniensi Ecclesiis in Apostolicum Administratorem deputatus est.

Cathedralem Ecclesiam Laquedonien. vacan, per translationem R. P. D. Francisci Niola ad Archiepiscopalem Sedem Caietanam, favore R P. Fr. Diomedis a Pesculo Constantio, Presbyteri e Minoribus Reformatis s. Francisci, ex Abbatia Nullius Montis Cassini oriundi. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus progenitus et in quinquagesimo aetatis suae anno constitutus, Minorum S. Francisci Reformatorum alumnis a prima iuventa adiunctus, in Franciscali Collegio et seminario de Alleghany philosophiae ac dein theologiae dogmaticae Antecessorem, ac tum vices Praesidis agens, tum ad S. Bonaventuram Praeses effectus est. Provinciae ab Immaculata Conceptione a Secretis et ad missiones in Terra Nova obeundas adlectus, Sedem Cathedralem Portus Gratiae nonnullis annis administravit. Missionarius Apostolicus emeritus in Coenobio ad S. Antonii de Urbe pro Minoribus Reformatis Procuratoris Generalis munere hucusque perfunctus est.

Cathedralem Ecclesiam Sarsinaten, vacan, per translationem R. P. D. Darii Mattei Gentili ad Sedem Cathedralem Civitatis Castelli, seu Tilernatensem, favore R. D. Henrici Graziani, Presbyteri dioeceseos Faventinensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in terra Cotiniolae « Cotignola » dioecesis Faventinae progenitus et in quinquagesimo nono aetatis suae anno constitutus, sacro Presbyteratus ordine dudum donatus, et Bononiensi in universitate Doctor utriusque iuris effectus, ad ecclesiasticas obeundas functiones, praesertim fidelium utriusque sexus, ac etiam sanctimonialium confessiones excipiendo, navam impendit operam. Libros queis titulus « L' uomo Apostolico Esercizii ai Sacerdoti » aliosque typis mandavit. Missionarii Apostolici munere tam in Faventina, quam in aliis dioecesibus perfunctus est.

Cathedralem Ecclesiam Ventimiliensem vacan, per translationem R. P. D. Thomae Reggio ad Metropolitanam Sedem Ianuensem, favore R. D. Ambrosii Daffra Presbyteri dioeceseos Derthonensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, quem vulgo nuncupant Caneto dioecesis Derthonensis progenitus .et quinquagesimum primum aetatis suae annum supergressus, Dioecesano in seminario prolegomenorum theologiae repetitur, director spiritualis ac Rector, examinatur prosynodalis et Cathedralis Derthonensis Canonicus hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Massan. vacan, per obitum bo. me. Iosephi Morteo, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ioannis Baptistae Boracchia Presbyteri dioecesis Lünen. - Sarzanensis. Qui ex legiiimis, catholicis, honestisque parentibus ad S. Crucem Sarzanensis dioecesis progenitus et in

quadragesimo tertio aetatis suae anno constitutus, inter Synodales Examinatores dioecesanos adscitus, eiusque dioecesis Vicarius Foraneus electus, Parochus-Praepositus loci Illicis, Lerici, hucusque renunciatum est.

Cathedralem Ecclesiam Burgi S. Sepulchri vacan, per obitum bo. me. Iustini Poletti ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Raphaelis Sandrelli Presbyteri Arretinae dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus in loco, quem vulgo dicunt Vitiano Arretinae dioecesis progenitus et in quinquagesimo octavo aetatis suae anno constitutus, penes Romanam universitatem in utroque iure dudum doctorali laurea donatus, in Castilionensi Florentino Collegio philosophiae antecessore!» agens, prius spiritualis Oeconomus, ac dein ad praesens usque Parochus-Prior ad S. Martinum in proprio nativitatis loco renunciati est..

Cathedralem Ecclesiam S. Flori vacan, per obitum bo. me. Francisci Mariae Ambrosii Beniamini Baduel, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ioannis Mariae Francisci Lamouroux Presbyteri dioeceseos S. Flori, ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in civitate, cui vulgo nomen Murat dioecesis S. Flori progenitus, et quinquagesimum octavum aetatis suae annum supergressus, administrationi suae dioecesis addictus, tum a Secretis Antistitis S. Flori, tum eiusmet dioecesis vicarius in spiritualibus generalis hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Engolismen. vacan, per obitum bo. me. Alexandri Leopoldi Sebaux, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ioannis Baptistae Frérot, Presbyteri dioeceseos Divionensis, ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido, cui vulgo nomen Buncey dioeceseos Divionensis progenitus, et in sexagesimo secundo aetatis suae anno constitutus, in parvo seminario divionensis historiae tradens praelectiones, pluribus in locis, ac praesertim in loco nuncupato «Chaiillon sur Seine» curam exercuit animarum, et ad praesens usque Divionensis civitatis, eiusque dioeceseos Vicarius in spiritualibus generalis renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Atrebaten. vacan, per obitum bo. me. Desiderati Iosephi Dennel, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Alfredi Williez, Presbyteri archidioeceseos turonensis ad eamdem Ecclesiam Atrebaten. ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco vulgo nuncupato Chinon archidioeceseos turonensis progenitus, et quinquagesimum sextum aetatis suae annum supergressus, Parochus tum loci, cui vulgo nomen Yzeures, tum alterius Amboise dicti constitutus, Vicarius in spiritualibus generalis archidioecesis turonensis ad praesens usque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Namurcen, vacan, per obitum bo. me. Eduardi Iosephi Belin, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Stanislai Ioannis Baptistae Deci-olière Presbyteri Dioeceseos tornacensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen Marchienne-au-Pont, in provincia Belgica Hainaut, ac Dioeceseos tornacensis progenitus et in quinquagesimo tertio aetatis suae anno constitutus, in minori seminario Eughien nuncupato sacrae Eloquentiae, atque Theologiae Pastoralis et Asceticae in maiori Seminario tornacensi Professorem agens, eiusdem sacri ephebaei Director et Praeses adlectus

est. Canonicus prius ornamentarius Capituli tornacensis, ac ad praesens usque titularis, Assessor etiam Vicariatus renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Colimen, in Mexicana ditione Americae Septemtrionalis, vacan, per obitum bo. me. Francisci Diaz, illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D Alhenogenis Silva Presbyteri de Guadalaxara. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus Guadalaxarae progenitus et in quadragesimo quarto aetatis suae anno constitutus, in saera theologia doctorali laurea dudum donatus, Parochum aliquando agens, in seminario tridentino Philosophiae Cathedraticus prius, deinceps sacrae Scripturae professor constitutus, Catholicam fidem in Spiritus Sancti cathedra strenue asseruit, et Guadalaxarensis Metropolitanae Canonicus Lecloralis, seu Theologus renuntiatus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Samien. sub Archiepiscopo Ephesino vacan, per obitum bo. me. Benedicti Mariani, ultimi illius Episcopi apud romanam curiam defuncti, favore R. D. Iulii Tonti, Presbyteri Romani. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus Romae progenitus et in quadragesimo octavo aetatis suae anno constitutus, in facultatibus philosophica, theologica, atque in utroque iure dudum doctorali laurea donatus, apud Collegium Christiano nomini propagando praepositum sacrae theologiae antecessorem et vices Recloris agens, et Sacrae Congregationi pro negotiis ecclesiasticis extra ordinem expediendis addictus, apud Gallicae Reipublicae Apostolicum Nuntium a Secretis, atque penes Nuntium Apostolicum in Portugalliae et Algarbiorum regnis auditoris munere perfunctus est. Ab intimis Sanctitatis Suae cubiculis adscitus, nuperrime ad Sancti Dominici, Haitianam, atque de Venezuela ditiones Apostolicus Delegatus renunciatus est.

Titularem Episcopalem Ecclesiam Arcadiopolitan. sub Archiepiscopo Heracleensi, vacan, per successionem ad Sedem Leidensem R. P. D. Guilelmi Gordon, favore R. D. Aemilii Todisco-Grande, Presbyteri Vigiliensis dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, nobilibusque parentibus Vigiliis ortus, et quadragesimum octavum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia doctorali laurea dudum donatus, Academiae philosophicae-medicae S. Thomae Aquinatis adiunctus, Examinatoris pro-synodalis, seminarii dioecesani Deputati perfunctus muneribus, Vigiliensis Capituli Canonicus Theologus, dignitas prioralis ct hucusque Archipresbyter-Curatus renunciatus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Mileten. sub Archiepiscopo Stauropolitan. vacan, per obitum bo. me. Dominici Barata, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Oswaldi Casali, Presbyteri camerinensis; qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Felicissimi Salvini Archipraesulis Camerinensis ac Trciensis Ecclesiae Administratoris ad pontificalia, ceteraque pastoralia munia inibi de eius licentia ac lubito peragenda. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Camerini progenitus et in sexagesimo octavo aetatis suae anno constitutus, ac dein theologica in facultate, atque in utroque iure Doctor effectus, senior archidioecesani seminarii Deputatus, ibique mathesis et physicae Magistrum agens, in patria etiam universitate physicam edocuit; in Archidiaconum assumptus, tum Examinator pro-synodalis, atque civitatis, Camertinaeque archidioeceseos pro-Vicarius in Spiritualibus generalis renunciatus est

Episcopalem Ecclesiam titularem Sionnen. sub Archiepiscopo Petrensi vacan, per successionem ad Sedem Metensem R. P. D. Francisci Ludovici Fleck, favore R. D Iacobi Cardona ac Tur, Presbyteri dioecesis Ibusen. et Maioricen. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Ibusensi in dioecesi progenitus, trigesi-

mum est supergressus aetatis annum, inter intimos Sanctitatis Suae Cubicularios supra numerum adscitus, Regiae Catholicae Aulae Capellanus et Hispaniarum Regis Divini verbi Praeco renunciatus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Amalhusin. sub Archiepiscopo Salaminen. vacan, per successionem R. P. D. Vincentii Branda ad Sedem Cathedralem Ugentinam, favore R. D. Georgii Montes, Presbyteri S. Iacobi de Chile. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, quem vulgo nuncupant Illapel nunc archidioecesis S. Iacobi de Chile, antea vero dioecesis de Serena, progenitus et sexagesimum tertium aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, Canonicus Poenitentiarius ipsa in Metropolitana renunciatus illius archidioecesis Vicarii in spiritualibus generalis semel, iterumque, eaque Sede vacante, etiam Pro-Vicarii Capitularis munere perfunctus est.

Deinde SSmus Dnus Noster patefecit Ecclesias provisas in forma Brevis prout sequitur:

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Tingen. pro R. P. D. Stephano Melchisedechian, renunliatario Ecclesiae Erzerumien. Armenorum.

Metropolitanam Ecclesiam Westmonasterien. pro R. P. D. Herberto Vaughan promoto a Sede Salfordien.

Metropolitanam Ecclesiam Athenarum, pro R. P. D. Iosepho Zaffino, translato, ab Archiepiscopali Sede Naxien.

Metropolitanam Ecclesiam S. Andreae et Edimburgen. pro R. P. D. Enea MacDonald, promolo a Sedibus Ergadien. et Insularum.

Metropolitanam Ecclesiam Agraensem, pro R. P. D. Emmanuele Alphonso Vanden Bosk, promoto a Sede Lahooren.

Archiepiscopalem Ecclesiam titularem Antinoen. vacat, per obitum bo. me. Malhiae Pauli Sleindl, ultimi illius Antistitis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Antonii Sabatucci Episcopi Thebani.

Archiepiscopalem Ecclesiam Caesareae Ponti, favore R. P. D. Iosephi Mariae, Paschalis, Vincentii Granniello Presbyteri Professi Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Neapoli progenitus et quinquagesimum octavum aetatis suae annum supergressus, Congregationi Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum a prima iuventa adscriptus, ibique solemnia nuncupatus vota in suo Sanctorum Blasii et Caroli Romano Collegio, quamplures annos sacrae theologiae Sodalitatis Barnabilarum Iuvenibus disciplinas tradens, Procuratoris Generalis munere perfunctus, etiam'propriae Congregationis generalibus Comitiis Romae habitis, praefuit. Sacrae Congregationis Indulgentiarum Consiliarius, ac sacrae Romanae et universalis Inquisitionis in examinandis et perpendendis criminibus adiutor dictus est. Inter Iudices vel Librorum notandorum, vel contra haeresim adscriptus, tum Consultor Sacri Consilii Tridentinis decretis interpretandis, tum Congregationis extraordinariis Ecclesiae negotiis gerendis praepositae, ac novissime ab Aclis Sacri Consilii Episcoporum ac Regularium adlectus est.

Archiepiscopalem Ecclesiam Pelren. vacan, per assignationem Tituli S. Mariae in Transpontina factam Emo. ac Rmo. Domino Aloisio S. R. E. Presbytero Cardinali Ruffo Scilla, favore R, P. Fr. Hieronymi ab Immaculata Conceptione, Ordinis Fratrum Carmelitarum Excalceatorum Praepositi generalis.

R. P. Fr. Hieronymus ab Immaculata Conceptione, in saeculo Ioannes Antonius Benedictas Gotti ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Genuae ortus et in quinquagesimo octavo aetatis suae anno constitutus, in suo Ordine philosophiae, theologiae Lectoris, et matheseos Antecessoris muneribus perfunctus, Procurator Generalis, atque semel iterumque Generalis Praepositus ad praesens usque adlectus, Congregationum vel de Propaganda Fide pro Ritus Orientalis negotiis, vel Episcoporum ac Regularium, atque Supremae Romanae Inquisitionis Universalis Consultor renunciatus, inter Cleri Romani Examinatores adscitus est.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Thebarum pro R. P. D. Ladislao Zaleski, Deputato Apostolico in Indiis Orientalibus.

Cathedralem Ecclesiam Antioquien. in confoederatione Columbiana Americae Meridionalis vacat, per obitum bo. me. Iesu Mariae Rodríguez, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Francisci Mariae Ioannis Nepomuceni Rueda, Episcopi titularis Sebastopolitani.

Cathedralem Ecclesiam Medellen. in ditione Statuum Foederatorum Columbiae in America Meridionali vacat, per translationem R. P. D. Bernardi Herrera Restrepo ad metropolitanam Sedem S. Fidei de Bogota, favore R. P. D. Ioachimi Pardo Vergara Electi Episcopi Pastopolitani. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Bogotae progenitus et in quadragesimo nono aetatis suae anno constitutus, archidioecesano in seminario ecclesiasticae historiae plures per annos Antecessorem agens, Secretarii munus, difficillimis illius reipublicae temporibus, duobus praestitit Archiepiscopis, et patriae Metropolitanae Canonicus ad praesens usque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Pastopolitan. in Confoederatione Columbiana Americae meridionalis adhuc ut prius vacat, per translationem R. P. D. Ignatii Velasco e Societate Iesu ad Sedem Metropolitanam S- Fidei de Rogota, nam R. P. D. Ioachim Pardo Vergara Presbyter S. Fidei de Bogota eidem suffectus in Consistorio Secreto diei 4 Iunii 1891 nec munus consecrationis suscepit nec illius possessionem nactus fuit.

R. D. Emmanuel Iosephus de Cayzedo et Cuero ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in urbe S. Fidei de Bogota progenitus et quadragesimum primum aetatis suae annum supergressus, Alumnis Collegii Americani Pii Latini Romae adiunctus, ibique Praefecti munere perfunctus, in patriam reversus, et aliquo tempore Parochum agens, seminarii archidioecesani Pro-Rector, Curiae Archiepiscopalis a Secretis, et Sororum a Praesentatione Beatae Mariae Virginis Confessarius adlectus est.

Cathedralem Ecclesiam Angren. vacat, per obitum bo. me. Francisci de Sousa Prado de Lacerda, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Francisci Iosephi Ribeiro de Vieira et Brito, Presbyteri archidioeceseos Bracharensis, ad praesentationem Sermi. Portugalliae et Algarbiorum Regis Fidelissima Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in paroecia, cui vulgo nomen de Rendufinho Bracharensis archidioeceseos progenitus et in quadragesimo secundo aetatis suae anno constitutus, penes Bracharense seminarium in theologica facultate Antecessorem agens, illius sedis Primatialis Canonicus, eiusdemque archidioecesis Vicarius in spiritualibus generalis hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Salfordensem, pro R. D. Ioanne Bilsborron, Canonico Capituli Liverpolitani.

Episcopalem Ecclesiam titularem Alindensem, pro R. P. Alexandro Le Roy e Congregatione Spiritus Sancti et Sacri Cordis B. M. Virginis, deputato in Vicarium Apostolicum Gabonénsem in Africa centrali.

Episcopalem Ecclesiam titularem Uranopolitanam, pro R. P. Rogatiano Iosepho Martin e Societate SS. Cordium Iesu et Mariae, vulgo Piepus, selecto in Vicarium Apostolicum Insularum Marchesiar. in Oceania.

Episcopalem Ecclesiam Titularem Panopolitanam, pro R. P. Gulstano Francisco Rapen e dicta Societate, adscito in Vicarium Apostolicum Insularum Sandwiegensium in Oceania.

Episcopalem Ecclesiam Titularem Germanicopolitanam, pro R. D. Ioanne Comny, Vicario Generali et Parocho dioecesis Laonensis, Killala, selecto in perpetuum Coadiutorem illius Antistitis R. P. D. Ugonis Conway.

Episcopalem Ecclesiam Titularem Hipponensem Zaritos, pro R. D. Ioanne Iosepho Tournier, Capituli Carthaginiensis Archidiacono.

Episcopalem Ecclesiam Titularem Tuburbenseîn, pro R. D. Stephano Iulio Gazaniol, Archidiacono Tunisino.

Episcopalem Ecclesiam Titularem Ruspensem, pro R. D. Spiridione Polomèni, Sfaxensi Archidiacono.

Episcopalem Ecclesiam Titularem Elusanam, pro R. D. Ioanne Baptista Fallize, in Vicarium Apostolicum electo pro Norvegia nuper a Sanctitate Sua ad Vicar. Apost, evecta.

Ecclesiam Episcopalem Titularem Anastasiopolitanam, pro R. D. Ioanne Von Euch a Praefectura Daniae ad noviter erectum eiusdem nominis Vicariatum Apostolicum.

Ecclesiam Episcopalem Titularem Adrensem, pro R. P. Antonio Fantosati e Minoribus Reformatis deputato in Vicarium Apostolicum Ho-nanem Meridionalem in China.

Ecclesiam Episcopalem Titularem Amastrianam, pro R. D. Michaele Francisco Howley, electo in novissime erectum Vicariatum Apostolicum S. Georgii Terraenovae Canadensis regionis.

Ecclesiam Episcopalem Titularem Modrorum, pro R. D. Ioanne Michaud, in Coadiutorem perpetuum selecto R. P. D. Ludovici de Goesbriand Episcopi Burlingtonensis.

Tandem institum fuit pro Palliis debitis Ecclesiis Toletan., Valentin., Ianuen., Senonen., Senem, Westmonasterien., Athenarum, S. Andreae et Edimburgen. atque Agraen.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

MASSILIEN. Beatificationis et Canonizationis Ven. servae Dei Sor. Annae Magdalenae Remuzat sanctimonialis professae ordinis Beatae Mariae Virginis.

Super dubio

« An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur? »

Massiliae ortum duxit anno 1696 Anna Magdalena Remuzat,. Sanctimonialis ex Ordine Visitationis Beatae Mariae Virginis. Conspicua eius virtutum praestantia, praesertim vero admirabilis erga Sacratissimum Cor Iesu pietas ac devotio, nec non ardens studium in propagando ipsius Divini Cordis cultu, tum in toto Visitationis Ordine, tum apud Massilienses, praeclaram Eidem sanctitatis famam compararunt. Haec autem sanctitatis fama, caelestibus quoque suffulta charismatibus atque prodigiis, quae huiusce fidelis suae Ancillae intercessione a Deo patrata ferebantur, post ipsius obitum, qui contigit anno 1730, nedum non intercidit, sed in dies magis mirifice excrevit. Quare factum est, ut Rmus Episcopus Massiliensis Inquisitionem super eiusdem Servae Dei fama sanctitatis vitae, virtutum ac miraculorum Ordinaria auctoritate tandem instituent. Qua rite expleta, et ad Sacram Rituum Congregationem exhibita, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII benigne indulsit, ut de Dubio signaturae Commissionis Introductionis Causae praedictae Servae Dei agi posset in eadem Sacra Rituum Congregatione Ordinaria, absque interventu et voto Consultorum, etsi nondum elapso decennio a die praesentationis Informativi Processus in Actis ipsius Sacrae Congregationis. Hinc a me infrascripto Sacrae eidem Congregationi Praefecto Causaeque Relatore, ad instantiam Rmi Dñi Caroli Nocella Protonotarii Apostolici, huiusce Causae Postulatoris, attentis postulatoriis litteris Serenissimi Austriae Imperatoris, plurimorum Emorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Rmorum Antistitum Sacrorum, aliorumque Virorum tam ecclesiastica quam civili dignitate illustrium, in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu, ad Vati-

canum subsignata die coadunato, sequens Dubium discutiendum propositum fuit, nimirum : *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?*

Sacra porro eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore, rescribendum censuit: AFFIRMATIVE, SI SANCTISSIMO PLACUERIT. Die 19 decembris 1891.

Quibus omnibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII fideliter relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, propriaque manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praefatae Ven. Servae Dei Annae Magdalenae Remuzat. Die 24 iisdem mense et anno.

CAL Card. ALOISI MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

VINC. Nussi *Secretarius.*

Vitae Commentariis

Magdalena Remuzat ex Anna Constans et Hyacintho Remuzat parentibus pientissimis in urbe Massiliae ortum duxit, ipsaque nativitatis die, quae fuit 29 novembris anni 1696, baptizata est. Parentes eius inter mercatores massilienses in primis divites atque honesti. Antiqua praesertim fides et religio gentis de Remuzat, a maioribus veluti haereditate suscepta, satis erant in civitate pervulgata. Nulla enim non fuerat christianae pietatis institutio in ea urbe, institutionum huiusmodi ceteroquin ditissimo, quae eorumdem studio, opere et pecunia aucta non fuerit. Memorabimus cultum Deiparae sub titulo *N. D. de Laus* ipsorum pietate summopere amplificatum; neque enim absque superno consilio factum dicetur, ut ex semine huius gentis, quae cultui Deiparae Virginis provehendo tantopere studuerat, ortum duceret Magdalena, quae ad praenobilem missionem propagandi cultus Iesu Cordis Sacratissimi divinitus vocabatur. Viget adhuc penes loci incolas traditio, super castello *de la Glacière* quod in dominiis erat familiae Remuzat, in ortu Servae Dei prodigiosam lucem tanquam micantis sideris apparuisse, quae tota die late circum incanduit.

Extraordinaria virtutis indicia puellula ab ineunte aetate praemonstravit. Modestiae studio praesertim enituit. Non puerilis rusticitatis ingenio, sed indito quodam virginitatis sensu ac sollicitudine blandiri sibi propinquos aegre ferebat ac prae viribus curabat sese ab amplexibus subducere, quibus per iocum, data opera impetebatur. Non raro in remoto aliquo domus angulo flexis genibus invenire erat orantem. Puellae animum in virtutes omnes pronum ab ea ipsa aetate omnes praedicebant.

Dei consilia super adolescentula sedulo obsecundarunt parentes. Vividiori enim, ut erat, ingenio puella, obedientiae ac moderationis iugum aliquatenus detrectare visa est et in vanitatis studium quadantenus inclinare. Brevi tamen ac feliciter seipsam exsuperavit, studiis in hoc respondens piissimae matris suae, quae diluculo advigilavit, ut filiola ad christianae virtutis disciplinam fortiter erudiretur.

Aetate annorum non amplius quam octo iteratis vicibus a parentibus postulavit ingredi monasterium tertii Ordinis S. Clarae, ubi tunc moris erat ad religiosam vitam suscipiendam puellulas comparare. Id minime permiserunt parentes. Mox ab iisdem petiit et impetravit ut religiosis monialibus alterius Visitationis Monasterii committeretur in disciplinam, tanquam alumna. Monasterium ingressa, ineffabili gaudio superabundare visa est, tanquam si exoptatam diu animae suae requiem invenisset. Hic virtutum omnium, praesertim vero pietatis, obedientiae ac regularum observandarum studio non minus alumnis quam ipsis sanctimonialibus in exemplo fuit.

Leve aliquid per id temporis admisit Magdalena, quod, sic permittente Deo, occasio ipsi fuit perfectionis viam alacriter suscipiendi. Serico ex filo glomulos ad muliebre opus comparatos, quorum ab usu prohibita fuerat clam sibi resumpserat Magdalena. Interrogata clamat et obtestatur minime id sibi tribuendum, mox se subducit. At conversis forte oculis ad tabulam Iudae proditionem referentem, superno lumine extemplo illustratur. Vivissimo animi dolore perculsa lacrymans in Ecclesiam ruit. Ibi eam Deus exspectabat. Christus Iesus crucem humeris gerens conspiciendum se praebet adulescentulae, qui gravis simul et misericors, en filia, inquit, in quantam me aegritudinem adduxisti. Sensibus diu destituta permansit adolescentula, donec sui compos facta, veniam et peccati poenam

inter lacrymas postulavit.. Pronum est arguere ex hac ipsa culpa, quae tantam misericordiae promeruit gratiam, quam accepta esset Deo anima illius et ad quam excelsum sanctitatis apicem appellata.

Dici vix potest qua pietate ardentique studio ad Christum Iesum in Eucharistia primitus suscipiendum sese comparaverit Non solum votis omnibus cordis sui ad Illum anhelabat, sed Eius amore veluti abrepta, suspiriis et lacrymis temperare frustra contendebat. Quod cum admirationi esset consodalibus, quid eius spiritum angeret, interrogatur. « Cosa ho, respondit, ma noi sapete voi adunque? io riceverò quanto prima il mio Dio!... non posso pensare alla mia felicità senza versare un torrente di lagrime! »... Mirum profecto et rarissimam in ipsa Sanctorum vita ea in aetate lacrymarum donum!

Eius autem pietas in dies succrescebat. Longum tempus ante SS. Sacramentum orationi vacabat, in quo exercitio incredibiliter delectabatur. Desiderio Eucharistiae viribus pene deficere videbatur, obtinuitque permissionem, pro more temporum et locorum extraordinariam, singulis diebus festis eamdem suscipiendi. Etiam poenitentiae studio flagranter exarsit, et flagellis aliisque instrumentis afïïictationis vel ex tunc indulsit. Prae ceteris autem virtutum exercitationibus addictissimam obedientiae se praebuit, unde ab ipsa oratione et a qualibet corporis castigatione ad moderatricis placitum incunctanter abstinebat.

Placuit Deo tantam ancillae suae fidelitatem rependere eidemque tandem aperire divinae providentiae consilia. Quinquennio fere post ingressum in monasterium, dum Serva Dei annum ageret aetatis suae decimum secundum, iterum Christus Dominus ipsi sese videndum praebuit. Postquam eidem locutus esset, sicut solet dilectus ad dilectum loqui, et amicus cum amico conversari, desideriumque aperuerit victimam inveniendi, quae sui amore sese immolaret: «sei tu, figlia mia, tandem inquit, che io ho scelto per vittima ».

Quis referet amantis cordis affectus ad vocem Dei dignati ad creaturam loqui ? Inde profecto manavit insatiabile illud desiderium patiendi, quod unum ex peculiaribus characteribus ipsius sanctitatis constituit. Hoc ipsum desiderium patiendi, per menses quinque minime expletum, eam angere ac vexare vehementius in dies coepit. Instantius petens tribulationes a Deo, non exspecta ta ratione exaudior. Pax, gaudium, spirituales

deliciae evanescunt; superveniunt aridità tes, dubia, pietatis fastidium; angustiis cruciatur dirissimis quoad ipsam revelationum quas habuerat veritatem, quin idoneus" conscientiae moderator, sic volente Deo praesto sit, qui tutam semitam inter tot tenebras demonstraret.

Adeo extraordinariis viis Serva Dei deducta, ut parem conscientiae ducem inveniret, de ipsius Superiorissae consilio paternam domum ad tempus regreditur. Disciplinae P. Milley e Societate Iesu, doctrina ac sanctitate celebris, ex toto se credit. Viri doctissimi, ipseque massiliensis Episcopus de Belsunce eius spiritum et supernaturalium donorum participationem perscrutatur; omnesque unanimiter sentiunt Deum revera locutum esse auribus ipsius.

Domi ad biennium diversata est, sancteque ibidem vixit. In oratione et in exteriorum charitatis operum exercitio tempus omne suum impendebat. At Deus appellabat eam ad solitudinem, ut ibi loqueretur ad cor eius. Ex consilio spiritualium animae suae moderatorum ac praesertim Antistitis massiliensis, Serva Dei, insciis parentibus, quorum adversos nisus praeviderat, domum reliquit. Utque locum eligeret, in quo nullo affectionis vinculo detineretur. Primum Visitationis Monasterium ingressa est die 2 octobris anni 1711, cum aetate esset annorum quindecim. De aegritudine ob suum discessum tam suaviter atque efficaciter consolata est parentes, ut illico et libenter iidem ipsius votis concesserint.

Paullo post, unanimi intercedente Monialium suffragio, Ordini Visitationis nomen dedit Serva Dei et religiosam vestem uti Novitia suscepit. Post annum religiosa vota nuncupavit et Annae Magdalenae nomen assumpsit. Nunquam inter tyrocinantes adulescentulas, quas Servae Dei exemplum mirum in modum ad virtutem inflammabat, tantus perfectionis spiritus antea floruerat. Senioribus monialibus, sanctis et ipsis, quae tunc temporibus Monasterio praeerant, admirationi erat Serva Dei. Hae tamen erant moderatrices bene appositae ad illius sanctitatem, quae scilicet, divinae providentiae consilia penitus introspicientes, extraordinariis rationibus et periculis ferme continuis eius virtutem expertae sunt, ut eo magis sibimetipsi vilesceret, quo magis in bonam hominum opinionem succrescebat.

In specie autem Mater Gravier, tyrocinantium alumnarum Magistra, licet sanctitatem Servae Dei apprime compertam ha-

beret, austerum iugiter simulavit habitum erga adulescentulam et ad eam tanquam ad imperfectissimam inter ceteras constantissime sese habuit. Adhuc Novitia instituendis sodalibus quodammodo praeiecta est, licet huiusmodi officium appareret veluti in eius punitionem irrogatum. Accesserunt etiam quandoque sodalium irrisiones. Magnis item spiritus anxietatibus denuo coepit urgeri, sic Deo permittente, ut ad disciplinam perfectae immolationis erudiretur. Serva Dei autem inter tot de ea facta pericula non solum ab implemento suorum munerum nequidquam defecit, sed tantam constantiam, aequalitatem, ipsiusque oris hilaritatem praesetulit, ut eius fluctuantis animi tempestatem nemo suspicaretur.

Dum adhuc in tyrocinio versaretur superno lumine detexit proximum damnationis discrimen duarum animarum, quae postquam Deo se devoverant, in peccatis obstinabant. Probe persensit Magdalena, ut comprobavit eventus, plurimas illustrationes huiusmodi sese in posterum habituram, sibique pro alienis peccatis esse satisfaciendum, praesertim autem pro peccatis illorum, qui ad perfectiorem vivendi rationem vocati, gratiam vocationis profudissent. Hac occasione, ut Divini Amantis propositis responderet, moderatore suo approbante, arduum edidit votum id iugiter praestandi, quod magis Deo acceptum cognosceret.

Haec tamen nonnisi pars erat, ut ita dicam, abscondita illius divinae missionis, cuius perfunctio princeps studiorum, laborum, aegritudinum Servae Dei obiectum fuit et praecipua laus ipsius sanctitatis.

De pietate Servae Dei erga SS. Iesu Cor deque eius studio in propaganda religione Cordis SS.

Aliquot post menses a religiosis editis votis, tertia et vige^-sima recurrente die anniversaria obitus B. Margaritae Mariae Alacoque, cultus Divini Cordis institutricis merito principis, die nempe 17 octobris anni 1713, dignatus est Deus ancillae suae revelare quadam peculiari ratione atque intuitu eam sibi in victimam iampridem elegerit; nempe ad continuationem operis Beatae Margaritae divinitus traditi ipsam ab se vocari, sive per eius immolationem ad honorem Sacri Cordis Iesu pro animabus votorum vinculo Deo sacris suaeque vocationi infidelibus, sive

per incrementum eiusdem cultus ipsius opere amplissime propagandi.

Ex ea die victimam sese considerans Divini Amantis, ob peccatorum scelera in sacro Eius Corde vulnerati, nonnisi ad expiationem peccatorum et ad ignem divini amoris inter homines excitandum vivere ac pati visa est. Ne quid ei ad victimae conditionem deesset, dolorum Christi tum in animo, tum in corpore meruit participationem per stigmatum inustionem. Infirmitatibus dirius usque ad mortem cruciata est; voluntarias superaddidit carnis afflictationes ; a licitis quibusque oblectamentis abstinuit, plures per hebdomadam noctes orando transigere consuevit. Hisce praesertim rationibus innumeras peccatorum conversiones obtinuit, quorum deplorandam conditionem supernaturaliter cognoscebat ; tristis facta usque ad mortem, si, ut aliquando contingebat, in iniquitatibus obdurassent.

At insimul ad amplificandum cultum Divini Cordis appellaverat eam Deus, qui, ut prona m sterneret viam huiusmodi apostolatui, coepit eam glorificare coram hominibus. Videns enim Monasterii moderatrix quam efficaciter adlaboraret Soror Anna Magdalena ad gloriam Dei et ad proximorum salutem, quin de animi fervore et de regularum observantia quidquam remitieret, iussit eam excipere quotquot cum ipsa colloqui postularent. Serva Dei licet quam maxime ad solitudinem inclinaret, placitis extemplo annuit. Fama sanctitatis ipsius iam late vulgata undique ad eam adducebat cupidos exquirendi consilia. Ipsius verba ad instar oraculorum recipiebantur, plurimique sic ad christianae perfectionis amorem sunt infiammati. Praecipuum autem apostolatus obiectum pro ea fuit cultus SS. Cordis : nec piis industriis, nec ardentibus parcebat adhortationibus, ut ipsi cultui adoratores adiungeret.

Adhuc tamen cultus SS. Cordis intra limites Monasteriorum Ordinis Visitationis coarctabatur, vel privata modo celebrabatur fidelium pietate. Revelante Deo Soror Anna praevidit superventuram esse in massiliensem urbem iram Omnipotentis ob corruptionem morum et fidei decrementum. Studiis omnibus tunc incubuit ad parandam misericordiae viam per cultum SS. Iesu Cordis publice in civitate propagatum. Sic fundamenta iecit piae Sodalitatis fidelium, qui peculiari cultu et in spiritu praesertim reparationis Cor Iesu SS. prosequerentur. Sodalitium penes ipsam Monasterii Ecclesiam fuit institutum. Huius et ipsa regulas re-

digendas et typis edendas curavit. Adiutricibus ad rem usa est ipsis Monasterii Visitationis Praesidibus: moderatorem suum P. Moilley S. I. et massiliensem Episcopum de Belsunce in consiliarios adhibuit.

Absona res et perdifficilis exitus videbatur iuxta opinionem multorum huiusmodi institutio in urbe Massiliae adeo negotiationibus implicata, piisque huius generis institutionibus antea etiam non utiliter exornata. Verum contra omnium spem Servae Dèi consilium quodam veluti laetitiae plausu est exceptum. Ingens factus est populi concursus ad monasterium nomen daturi piae Sodalitati. Singulos Serva Dei de officiis institutionis monebat, singulos ad amorem SS. Cordis apte atque efficaciter inflammabat. Per vices autem certisque diebus et horis ad monasterii Ecclesiam conveniebant sodales, ut Cor Iesu SS. adorarent. Brevi Massiliae tantum ad quinquaginta millia Sodalium numerus crevit.

Nec tamen expleta Servae Dei desideria, quae toto vitae suae tempore ad regnum, ut ipsa aiebat, et ad triumphum anhelabat Divini Cordis per institutionem solemnis festi in Eiusdem honorem, de praecepto Sedis Apostolicae in universa Ecclesia celebrandi. Certior interea facta est a Deo Soror Anna, pro Dioecesi massiliensi id factum iri, occasione calamitatis proxime superventurae. Paucis post diebus in Ecclesia Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia Christus Iesus in Sacramento absconditus visibiliter sub pueri forma conspiciendum se praebuit. Serva Dei autem supernaturaliter illustrata, antequam rei notitiam quis ad Monasterium deferret, prophetavit fore hoc postremum monitum ante flagellum, quod Deus minitatus fuerat.

Veritatem prophetiae huius eventus comprobavit. Praevisa biennio ante pestis in urbe Massiliae grassari primum coepit, tantaque vi incanduit, ut incolarum numerus ad medietatem decreverit. Iussa postulare a Deo quid ad flagelli cessationem faciendum esset, iterum iterumque certior facta est hanc esse divinam voluntatem, ut fideles singuli ad honorandum Iesu Cor sese consecrarent iuxta formulam ab Episcopo determinandam, utque solemne Festum institueretur in honorem Divini Cordis proxima die post Octavam Corporis Christi. Frustra Episcopus ad placandam iram Dei plures pietatis exercitationes indixerat, aliasque animo versabat: at iamdiu suetus per tramitem hu-

milis ancillae huius caelestes communicationes excipere, illico factus est divinae voluntatis executor.

Ita factum est, ut episcopali Decreto diei 22 octobris 1720 festum solemne in honorem SS. Cordis Iesu ab universa Dioecesi massiliensi in perpetuum celebrandum institueretur et iir diceretur dies festa Omnium Sanctorum pro publica civitatis et Dioecesis consecratione Divino Iesu Christi Cordi. Serva Dei autem probe edocta in flagello huiusmodi magis iam misericordiam partem esse habituram quam iustitiam, gaudio superexaltabat dicens: oh felix flagellum! quod tantam pariet gloriam Salvatori meo !

Die 1 novembris anni 1720 videre erat civitatem universam ad religiosam caeremoniam consecrationis coadunatam. Spes foras miserat timorem. Nec spes fefellit Massilienses. Non solum -enim ex ingenti populi frequentia contagium non invaluit, sed ex ea ipsa die singulariter imminui coepit, donec brevi omnino evanuit. Intermissionem autem pestis, huiusmodi circumstantiis distinctam, nemo fuit inter Massilienses qui non miraculo tribuerit.

Et cum anno 1722 ob nova peccatorum scelera brachium Omnipotentis extendi iterum super urbe Massiliae visum est, Servae Dei zelo tribuendum, si ab insaeviente peste fuit iterum civitas liberata. Ex consilio enim Episcopi, qui tamen consilio Sororis Annae deductus est, Magistratus massilienses votum susceperunt civitatis nomine quotannis die festo SS. Cordis sese conferendi ad Ecclesiam Visitationis Sacro adstituri, Divinam Eucharistiam suscepturi, cereum oblaturi. Mirum dictu ! Novendialibus simul incoeptis supplicationibus in Visitationis Ecclesia, iisque vix absolutis, disparuit pestis, magnaque mox successit publicae sanitatis efflorescentia.

Pronum hinc est deducere quantum debuerit studium erga Cor Iesu SS. in fidelium animis percrebrescere et quam bene de publico Eiusdem cultu Serva Dei fuerit merita. Inde enata primum Sacrorum Antistitum aemulatio, praesertim apud Galliarum gentem, Dioeceses singulas Divino Cordi consecrandi. Serva Dei autem nunquam destitit adlaborare ad magis magisque fovendum cultus eiusdem incrementum praesertim per novarum Sodalitatum institutionem. Religiosas praesertim utriusque sexus communitates studuit in Sodalitium cooptare, ut defervescens pietas multorum iuxta divinum placitum succenderetur.

Neque urbi Massiliae tantum apostolatum huiusmodi circumscripsit, sed ad propinquas omnes urbes et oppida extendit, brevi ad universam Galliam propagavit, quin usque ad extremum Orientem, ad Indicas plagas, ad Americae oras produxit.

Haec tamen omnia, quae Servae Dei aetate obtinuerant, nonnisi prodromae erant significationes nobilissimi cultus, quem hodie per universum fere catholicum orbem extensum et summa populorum pietate celebratum merito gratulamur. Nec ipsam latuit futurum incrementum eiusdem cultus, licet idem Romae ob quamdam novitatis speciem non exiguas oppositiones adhuc experiretur. Et revera haud ita multo post obitum Servae Dei Sacrorum Rituum Congregatio sub Clemente XIII concessit approbationem festi in honorem SS. Cordis, nec non Officium et Missam propriam, quae antea recusaverat; quousque sa. me. Pius Papa IX, ad preces Gallici Episcopatus, festum SS. Cordis in Romanam Liturgiam induxit, per decretum diei 23 augusti 1856. Ex ea die cultum SS. Cordis Iesu iis incrementis auctum et exornatum conspeximus, quae maiora iubent sperare futura. Huc missio Sororis Annae contendebat. Et si primi honores de inducto in Ecclesiam Dei cultu Divini Cordis merito debentur B. Margaritae Mariae Alacoque, quae primam promeruit revelationem de eodem inducendo, pone eam sequitur Soror Anna Magdalena Remuzat, divinitus electa ad promovendam publicam fidelium pietatem erga ipsum cultum. Qui, in Monasteriorum limitibus antea delitescens, zelo et opere Servae Dei nostrae in massiliensi urbe et in Gallica natione universa primum sese explicuit, indeque in Christianam Rempublicam dimanavit.

Quo autem virtutum splendore Divini Amantis oculos ad se traxerit Serva Dei, quo caelestium charismatum apparatu meruerit honestari, ex dicendis de heroicis virtutibus et de donis supernaturalibus apprime perspectum erit.

De Virtutibus Theologalibus.

De Fide.

Integra Servae Dei vita tanto fidei spiritu fuit informata ut nulla in ea actio deprehendi possit, quae huiusmodi lumine non clarescat. « Era cosa facile vedere, dice la Madre Nogaret, che

una fede viva, una ardente carità, animavano tutte le azioni di questa cara Suora; ond'e che ella aveva un dono particolare per ispirare sentimenti di fede, sia alle sue alunne, sia ad altre persone, con cui trova vasi in relazione ».

Perfectam obedientiam et reverentiam exhibuit Iesu Christi Vicario, ecclesiasticis praesulibus, animae suae moderatoribus. Mirum est quod, licet divinitus illustrata, nihil unquam aggredi praesumpserit absque spiritualium moderatorum conscientiae suae voto ac consilio. Errorum circa fidem hostis fuit infensissima. Per cultum Divini Cordis amplissime propagatum adepta est Iansenii haeresim a massiliensi Dioecesi profligare, sicuti a Christo Domino repromissionem habuerat. Non semel etiam nonnullas personas Iansenistarum erroribus infectas ad veritatem revocavit. Inde odio habita a Iansenistis, qui eius memoriam detrectare, incassum tamen, post eius obitum ausi sunt.

Quid de orationis spiritu ? Eius vita maxima et non cessans oratio merito reputata est; hoc unum animae eius solatium. Plures per hebdomadam noctes orando traducebat. Exterioribus operibus cum detineretur, Dei praesentiam prae mente habebat. Postremis praesertim vitae annis intimius Deo coniuncta vivere visa est. Unus Ipsius orantis adspectus aliorum fidem augebat.

Quid de eius fide erga augustissimum Eucharistiae Sacramentum ? ad quod, primitus suscipiendum inter indeficientes orationes et lacrymas sese comparavit ? cuius desiderio vehementius in dies flagravit? cuius prae amore deficere viribus atque absumi penitus visa est?

Virginem Deiparam filiali pietate prosequebatur. Multis precibus, piisque praxibus, quotidiana praesertim Rosarii recitatione eam honorabat. Mysterium Immaculatae Conceptionis peculiari obsequio venerabatur. Ob eius autem pietatem in Virginem Beatissimam meruit, diebus festis solemnioribus Eidem sacris, revelationibus et caelestibus visionibus recreari.

Peculiari veneratione inter Caelites colebat purissimum Virginis Sponsum et S. Francißcum Salesium, Fundatorem Ordinis Visitationis. Eos sibi in patronos inter ceteros sanctos elegit, qui ad animarum salutem intenderant. Tutelares Angelos pietate summa invocabat, eorumque ministerio singulares gratias recepit.

De rebus ad fidem pertinentibus singulari cordis fervore loquebatur ac mentis perspicuitate. Simplex enimvero fuit eius

fides, at profundis notionibus illustrata quoad praecipua Christianae religionis mysteria, nec non ex familiari consuetudine cum viris doctissimis et religiosissimis satis comprobata. Theologicae nonnullae notiones, quae in eius scriptis inveniuntur, miram praeseferunt cum ecclesiastica doctrina conformitatem. « Ella aveva il dono, sic massiliensis Episcopus a teste quodam relatus, di rendersi intelligibile a tutti, esprimendo i pensieri i più alti e sublimi; lo spirito di Dio appariva in tutto ciò che ella scriveva».

Heroicitas huius virtutis eluxit prae ceteris in Serva Dei ex zelo quo aestua vit, ut Cor Iesu ubique terrarum amaretur. Propagationi huius cultus, vires, studia, integram vitam devovit. Vacuum autem esset ultra inquirere, an heroica fide praedita esset, quae animum ad suipsius immolationem ita comparatum habuit, ut voluntaria perpetuaque victima pro alienis peccatis extiterit.

De Spe.

Serva Dei nostra in studiis ac laboribus adhibitis ad propagationem cultus SS. Cordis, quod quidem opus totam eius vitam implevit, minime experta est contrarias hominum opiniones atque impedimenta. Hoc tamen nihil quidquam detrahit illius spei laudi, quam promeruit ex ipsa operis susceptione et executione. Crescit imo splendor laudis huius ex difficultatibus, quae iuxta praeterita exempla rationabiliter erant pertimescendae. Institutio praesertim Sodalitatis in honorem Divini Cordis ingentes videbatur praeseferre difficultates in urbe massiliensi voluptatum et negotiorum cupiditate detenta, erroribusque Iansenistarum non leviter implicata. Plurimi Servam Dei ab huiusmodi consilio deterruerant. At nec difficultas facilioris, nec contraria hominum sententia ipsius animum labefactarunt. Deo fidens alacriter aggressa est Sodalitatem instituere, et feliciter, uti vidimus, perfecit.

Eius autem in Deum fiducia minime desciscebat in animi praesumptionem. Missionem divinitus susceptam moderatorum consilio supposuit, omnesque iugiter speravit auxilium ex oratione assidua ac praesertim ex Eucharistiae susceptione. Ipsae eius epistolae docere possunt quam invincibilem fiduciam in Iesu Christi meritis collocaret, quam alacriter et alios urgeret

ad seipsos in manu Domini tuto delinquendos. Plurimi ad eam in angustiis suis accurrebant solatium imploraturi, nemo ab ipsa non recreatus a bibat.

Diris conscientiae sollicitudinibus non raro tentata in Iesu Christi Corde tuto sese recipiebat. Dolores inferni circumdederunt eam, ut ipsa aiebat, nec spe tamen excidit. « Per quanto severo Dio si mostri a mio riguardo, sic scribebat, non lascerò di sperare in lui ». Et ita revera speravit, ut meruerit deinceps de assecutione aeternae beatitudinis certior fieri. « Le sicurezze che Dio mi dà della gloria che mi riserva in cielo, sic item scribebat, sono sempre più frequenti e più perfette ». Desiderio anhelasset cito sese dissolvendi, ut esset cum Christo : at ipsum hoc desiderium compescuit maioris perfectionis intuitu. Verba Servae Dei morientis satis edicunt heroicam ipsius spem eo praeclaras enituisse, quo magis ad vitae terminum et ad promissam beatitudinem eadem appropinquabat.

De Charitate in Deum.

Si testium dicta parumper expendantur, merito quaeri posset, non tam utrum virtutem hanc, quae ceterarum est veluti forma, heroice possèdent Serva Dei, sed quidnam in eius vita reperiatur, ex quo nequeat deduci, ipsam Deum suum tota mente et toto corde non dilexisse. Habitus mentis in Deum intentae, constans cogitatio et contentio ad aeternam gloriam, divina gratia supernaturaliter concurrente, Servam Dei evexerat ad supremum illud contemplationis fastigium, quo anima spiritualis sibimetipsi mori videtur, ut de vita vivat Christi.

Postremis praesertim annis ante eius obitum haec divini amoris operatio totam ipsius naturam pervaserat. Nihil iam de sensibilibus animadvertere videbatur. Eius conversatio in caelis erat, ipsa autem ad nihilum redacta erat et nesciebat. « Gli ultimi sei anni della sua vita furono un continuo ratto : fu innalzata allora alla più intima unione con Dio, tutta dedita alla sua divina operazione, a tal segno che niuna esteriore occupazione poteva distramela. Ella scriveva : io non posso quasi più pregare senza trovarmi in una specie di rapimento, che mi mette fuor di stato di prender parte a ciò che avviene esternamente. Io sento un essere divino, il quale domina tutti i miei movimenti ; la mia luce, la mia occupazione, la mia vita è Dio. Ella

era, diceva, inondata d'un torrente di dolori e di delizie ed illuminata non solamente dal lume della fede, ma da una chiarezza , che la metteva in possesso della vista di Dio, la quale è più del cielo che della terra».

Incensum studium, quo cultum Divini Cordis propagavit, nonnisi ut actus amoris respici debet per totam eius vitam productis, nec nisi ut peculiaris forma illius amoris, quo erga Iesum flagrantius in dies exarsit. «Fu l'amore, inquit quidam testis, che la rese apostola del Sacro Cuore, alla di cui gloria consacrò le sue facoltà, i suoi talenti, il suo tempo, le sue forze, la sua santità, persona e vita ; fu l'amore che la rese vittima del Cuor di Gesù, essendole stati cagionati i maggiori patimenti dalla violenza di un tal amore ».

Non spiritualium voluptatum cupidine, non spe mercedis, non poenarum formidine ad operandum ferebatur, sed uno studio placendi Deo. «Amava Dio sì unicamente per Lui stesso, che potè scrivere con verità queste parole : mi basta di sapere che è infinitamente amabile, perchè io faccia tutti i miei sforzi per amarlo: io cerco Lui, non già le sue ricompense, non temo io già di dispiacergli per timore delle sue vendette, ma per Lui medesimo». Inde enatus peccati horror, inde ardentissimum desiderium illatas a peccatoribus Deo iniurias compensandi ; inde victima effecta est ob aliorum scelera et iniquitates; inde arduum suscepit votum contendendi in dies ad perfectionem, quod usque ad mortem alacriter perfecteque servavit.

In amoris excessu, prae vi et nimietate amoris veluti infatuata, brachium notat SS. Cordis imagine et pectus nomine Iesu: hac ratione praeludens mirabilibus illis charismatibus, quibus etiam exterius voluit eam notatam Divinus Amans, quaeque omni tamen sollicitudine studuit occulere.

At quis potuit efficere, ut ardor tantae charitatis non etiam exterius mirabiliter coruscnret? Divinum ignem quo aestuabat, praesertim cum per Eucharistiae susceptionem cum Christo coniungeretur, deliquiis, lacrymis, succenso ore ostendebat. Madida quandoque lintea eius pectori superimponi oportebat, ut devorantis amoris ardor extingueretur. « L'obbedienza dovette sovente intervenire per metter limite all'ardore del suo amore, che la spingeva ad immolarsi corpo ed anima per lui». Extrema vice cadesti dape refecta in vehementissimum amoris impetum abrepta est, cuius vi interempta animam exhalavit.

Quae quidem omnia licet eximia, haud integre tamen exhibent heroicam Servae Dei Charitatem, quae imprimis colligitur ex perfecta observantia mandatorum Dei et Ecclesiae, ex perfecta votorum custodia, ex plena cum divina voluntate conformitate in magnis adversitatibus, quibus nullo non tempore vexata est. Plura quidem de his innuimus agentes de virtutibus Servae Dei in genere; plura inferius, data occasione, dicturi erimus. « Fu l'amore di Dio, sic laudatus Testis, che fin dalla giovinezza le fece osservare i comandamenti di Dio, fu questo amore ehe le fece abbracciare le pratiche dei consigli evangelici, che la fece tendere incessantemente al più sublime grado di perfezione... ».

« ... Era indifferente verso tutto, eccetto Dio; aveva stabilito un ordine perfetto nell'anima sua; le sue passioni erano perfettamente sottomesse alla sua volontà, e la sua volontà all'amore di Dio. Così la vivacità e la sua sensibilità avean dato luogo ad una eguaglianza di umore talmente costante, che non appariva più in lei veruna alternativa di carattere; non si sapevano distinguere le sue inclinazioni dalle sue ripugnanze, e vedevasi sempre sorridente in mezzo ai patimenti, calma e padrona di se medesima in mezzo alla prova, non meno che in mezzo alla consolazione ». Sic alibi idem Testis.

Concludere placet cum alio Teste : « Amò talmente Dio dalla sua infanzia fino all'ultimo istante della sua vita, che non trovo parole sufficienti per bene esprimermi. Ella evidentemente morì in un trasporto d'amore di Dio. Tutto il tempo della sua vita fu un atto continuo di tale amore ».

De fama sanctitatis in vita.

Famam sanctitatis praeclarissimam, quam Serva Dei vivens obtinuit non solum penes vulgus, sed penes personas scientia, virtute ac dignitate praestantes, coaeva documenta amplissime testantur, quorum tenorem sic egregie resumit Testis XX. « Noi abbiamo per testimoni e garanti della santità di Anna Maddalena le sue superiore che la misero a tutte sorte di prove; i suoi confessori,, tutti uomini capaci di distinguere il vero dal falso ; il suo Vescovo, il quale vegliava egualmente sulla condotta della sua penitente e su quella dei confessori; tutta la Comunità, la quale per lo spazio di circa venti anni la

osservò e portò la sua venerazione per lei al maggior segno possibile; finalmente tutta la città di Marsiglia, la quale la vide ed ammirò. Tutti questi diversi sentimenti non formano che un grido unanime di lode di Anna Maddalena, e noi dobbiamo concludere che la sua santità è vera ed ammirata da tutti ».

Ab ipsa enimvero pueritia fama sanctitatis claruit Serva Dei. Monasterium cum ingrederetur iam praecellens virtutibus dicebatur. Cum religiosa vota nuncupavit, fama ipsius sanctitatis extra Monasterii claustra satis erat pervulgata, adeo ut sacram caeremoniam plurimi inopinato convenerint. Huiusmodi famae in dies percrebrescentis praecipuus effectus fuit, ut turmatim concurreretur ad eam ob spirituales ac temporales necessitates. Ab omnibus sancta dicebatur, eiusque dicta atque consilia tanquam oracula recipiebantur. « L'opinione generale, sic Testis XV, la riputava una Santa. Incominciando dal suo Vescovo, dai suoi direttori, dalle sue Superiore, fino ai semplici fedeli della città di Marsiglia; dai quali era conosciuta, tutti vedevano in lei un'anima eletta, onorata con doni e comunicazioni di Dio, e la cui virtù non ebbe giammai nulla di equivoco e di comune. È cosa notoria e fuori di dubbio che era per tutti di una eminente santità. Io ne trovo la testimonianza in questa parola, sì sovente ripetuta nella città di Marsiglia durante la sua vita ed anche quando non aveva che venti anni : *V ha detto Suor Remuzat'.* ed in quest'altra, che nel giorno della sua morte proruppe, quasi un grido generale: *è morta la Santa, ».*

Nemo unquam sanctitatem Servae Dei, dum ipsa viveret, oppugnavit. Imo eius virtutum opinio erat taliter in urbe Massiliae constituta, ut, cum obliqua Iansenistarum invidia non multo post obitum Servae Dei eiusdem famam turpiter aggressa esset, haec scribere potuerit massiliensis Episcopus de Belsunce, qui eius vindicias suscepit : « Parlare così alla porta di Marsiglia... è questo il colmo dell'audacia e della mala fede ». Et inferius: « Ciò che è notorio a Marsiglia si è, che le idee le quali si sono avute della santità di Suor Remuzat, non si sono punto cangiate; che esse sono sempre le medesime; che la sua memoria vi è sempre nella medesima venerazione ».

Ex qua sanctitatis fama, apud omnes perspecta ac probata, adepta est Serva Dei cultum Divini Cordis tam brevi lateque propagare. Ex eadem pariter repetendum, si supernaturalia

dona, quibus a Deo ditata est, licet adeo extraordinaria, nemo unquam dum viveret in suspicionem revocaverit.

Pervulgatissimam autem esse non solum apud Religiosas Moniales Visitationis, sed etiam apud Massilienses, famam virtutum Servae Dei viventis, satis testantur circularis epistola, quae illico post eius obitum data est, epistola massiliensis Antistitis pluries citata, vita Servae Dei ab anonymo auctore conscripta, cuius fidem atque auctoritatem iam novimus, et in qua singulae Servae Dei virtutes commemorantur tanquam publico testimonio cohonestatae.

De pretioso Servae Dei Obitu.

Praevisa mortis aetas appropinquabat. Corporis aegritudines animique moerores, labores assidui ac prae ceteris omnibus aestus divini amoris Servae Dei vires absumpserant. Subtilis febris iamdiu eam deprehenderat et frequens vexabatur tussis in sanguíneas exsecrationes erumpens. Licet tamen gravius morbo conflictaretur, sub fine ianuarii convalescere visa est. At die sexta insequentis mensis, pectoris oppressione iterum ingravescente, lecto recubuit amplius non surrectura. Ut autem, quod praecipuum eius vitae meritum constituerat, princeps etiam causa mortis existeret, cum morbi stimulis caeteri etiam exteriores internique cruciatus mirabiliter aucti sunt. « I suoi dolori fisici e morali erano eccessivi, a segno che diceva tutto è crocifisso in me; io non avrei creduto che Dio mi facesse tanta grazia di lasciarmi nel puro patire; pregatelo che io ne faccia buon uso ».

Neve tamen, qui prope aderant, tam proximum imminere mortis discrimen suspicabantur. Id autem pro certo habebat Serva Dei. Quae, cum usque sategisset ob desiderium perfectionis ab appetenda morte abstinere, proximam eamdem persentiens, a gaudio temperare vix poterat. Amor erga Cor Iesu SS. magnitudo divinarum misericordiarum, hoc unum illi cogitationum et sermonum obiectum usque ad extremum anhelitum. Totius vitae commissa piaculari confessione detergere anxie postulavit. Quod, cum Confessarius prae eius virium infirmitate facere detrectaret : « ah, padre mio, Serva Dei inquit, io sono una peccatrice, egli ciò richiede da me, credetelo ! »

Sacramentali confessione absoluta in extasim rapta est,

Quaenam eius mentis occupatio fuerit interrogata misericordias Domini celebravit, petiitque, ut de Corde Iesu sibi fleret sermo. Ecclesiae Sacramenta iterum iterumque instanter efflagitavit et quodam veluti laetitiae impetu excepit. « È dunque vero che vedrò il mio Dio ? » sororem suam adstantem interrogavit. Et cum haec in lacrymas effunderetur: «non piangete, cara Suora, rallegratevi della mia felicità; poiché vedrò ben presto Dio, ed il regno del peccato sarà distrutto in me: ecco il felice istante in cui m'inabisserò e mi sommergerò nel Sacro Cuore di Gesù! ». Instante iam morte postulavit, ut, post preces *subvenite,* litaniae SS. Cordis Iesu super ipsius cadavere recusarentur. Hoc illi supremum votum fuit; neque ita multo post in aliquo ex vehementioribus illis amoris aestibus, quibusque penitus abripi usque ad obitum non destitit, animam reddidit Creatori suo. Eius obitus contigit mane diei 15 februarii a. 1730.

Merentur omnino quae referantur anonymi scriptoris verba pretiosum Servae Dei obitum sic describentia : « Aussitôt qu'elle 1 eut reçu (SS. Eucharistiae Sacramentum) elle eut un des ces saissiments, qui lui étaient si ordinaires. L'ardeur de l'amour divin, qui l'enflammait, lui causait des palpitations et des élancements de cœur, dont les assistants s'apercevaient. L'amour l'avait fait vivre, il devait la faire mourir. Elle en produisait des actes avec des transports violents, et c'est dans ces transports qu'elle rendit son âme a son Créateur. Cette mort précieuse aux yeux de Dieu arriva le 15 février de l'an 1730 a 5 heures du matin ».

Transitus animae beatissimae ad caelestem gloriam pluribus mirisque modis innotuit. Ut in nativitate Servae Dei, sic et in obitu, lux quaedam insolita facta est de caelo super castello de la Glacière, ubi parentes eius commorabantur. Traditionis, quae adhuc penes loci incolas de hoc facto servatur, testes in Summario habentur. Soror Chataigner, quae prope cubiculum infirmae Sororis obdormiebat, ignorans eamdem iam in extremis versari, repente expergiscitur, prodigiosa luce suum perfundi cubiculum admiratur, persentit ex hoc ipso signo prope esse *ut Israelis lumen exstingueretur,* et ad lectum properat Servae Dei iam iam moriturae. Haec Soror, quae supernum aliquod signum in ipsius corpore impressum iamdiu suspicabatur, mox post obitum, eius pectore detecto, certior facta est de supernaturalis stigmatis veritate.

Vix populo innotuit obitus Servae Dei illico ad monasterium tanquam ex condicto undique convenitur. Una omnium vox: « la Santa è morta, è morta la Santa! ». Brevi tantus factus est populi concursus, tantaque excitata cupido illius exuvias invisendi, ut clausurae lege, permittente Episcopo, remissa, Ecclesia et Monasterium totum fuerit ingruente multitudine occupatum. Lintea et piae suppellectiles cadaveri sine intermissione admoventur; vestium frustula redduntur; neque modus, neque finis huiusmodi popularis venerationis significationibus. Religiosum velum, quo fuerat cadaver superindutum, debuit semel atque iterum renovari; aditus ad ipsam cellam permitti debuit, quam populi pietas depopulatur; ob desiderium autem osculandi et contrectandi vix aegre cadaver ad humationem deducitur.

Servae Dei exuviae ad chorum Religiosarum translatae suni, ibique usque ad vesperam insequentis diei permanserunt expositae. Mane diei 16 februarii ipse Episcopus, praesente cadavere, Missam celebravit, una cum Cathedrali Capitulo rediturus, ut funebris absolutionis et humationis ritum persolveret.

Nullum corruptionis indicium in corpore tot laboribus, austeritatibus, infirmitatibus detrito. Os subridenti simile; vultus pulchra spectabilis maiestate; membra nullimode rigiditate detenta. Pectoris sectione peracta, liquens et rubescens sanguis ex cadavere profluit: mirum factum renovatur triduo post obi. tum Servae Dei cum alter Doctor physicus venae sectionem in eius brachio apposite operatur. Prodigiosum corpore manantem sanguinem certatim linteis suscipere contenderunt, qui coram aderant, reique notitia pervulgata, longe commorantes favoris loco postularunt.

Certo constat quinam locus sepulturae fuerit, ubi cadaver Servae Dei reconditum est, diuque servatum fuerat; at post gallicae rebellionis vicissitudines non amplius repertum est, neque ullum eiusdem vestigium in lucem prodiit, licet data opera diu ac sedulo conquisitum.

CALAGURRITANA et CALCEATEN.

Resolutiones dubiorum quoad ordinem divini officii recitandi.

Sacr. Liturg. summopere sollicitus Rmus Dnus Antonius Maria Cascaiares y Azara Episcopus Calagurritanus et Calceatensis, in votis habens, ut Ordo divini officii recitandi Sacrique peragendi pro sibi commissae Dioeceseos Clero adamussim concordet Rubricis, Sacraeque Rituum Congregationis Decretis, insequentia Dubia enucleanda Sacrae eidem Congregationi humiliter exhibuit, nimirum:

Dub. I. Differunt inter se Breviaria in assignando Officio S. Ildephonsi Pont. et Conf. quaeritur itaque an illud sit *Sint lumbi vestri,* prout assignatur in Appendice Breviarii typici Ratisbonae editi anno 1886, et in Codice SS. Hispaniorum, vel *In medio* prout in proprio Archidioecesis Toletanae, et in communi pro tota Hispania?

Dub. II. In Officio SS. Quinque Vulnerum D. N. I. C. quoad R), breve ad Primam *Qui vulneratus es pro nobis,* standum ne pro Breviariis et Diurnali Ratisbonensi, vel pro ceteris alibi excusis?

Dub. III. Num corrigendum sit Breviarium ad normam Martyrologii Romani in fine VI Lectionis Officii SS. Hemetherii et Celedonii MM.?

Dub. IV. Quaenam lectio est sequenda pro finali stropha Hymnorum SS. Cordis Iesu, seu Officio respondente Missae *Egredimini,* et in Officio respondente Missae *Miserebitur?*

Dub. V. Cuinam Rubricae standum quoad Lectiones I Noct. in Officio SS. Iustae et Rufinae VV. et MM.?

Dub. VI. Et quaenam Rubrica sequenda quoad Lectiones I Noct. in Officio S. Leocadiae V. et M.?

Dub. VII. Ex tribus lectionibus quae adducuntur pro Officio S. Eulaliae Emeritensis V. et M. quaenam est authentica?

Dub. VIII. Quoad lectiones I Noct. in Officio S. Dominici Silensis et S. Nicolai Factoris occurrentium in casu quidnam recte est tenendum?

Dub. IX. Quaenam lectio retinenda pro tota Hispania circa Orationes proprias in Missa S. Prudentii?

Dub. X. Et quid retinendum, vel cui standum etiam pro tota Hispania circa Orationes proprios in Missa S. Paschalis Baylon, et S. Nicolai Factoris?

Dub. XI. Abstrahendo a particularibus concessionibus, quaenam Missae dicendae sunt. universaliter in Festis S. Antonini ac SS. Gabini et Sociorum, et undenam sumenda sunt Secreta et Postcommunio?

Dub. XII. Pro Missa SS. Germani et Servandi Fr. MM. standum ne Missali Matritensi in tota Hispania, vel Codicibus Ratisbonen. Taurinen, et Barcinonen.? Et quatenus Missali Matritensi, undenam sumenda Secreta et Postcommunio?

Dub. XIII. In Missa S. Raphaelis Archangeli quaenam lectio est sequenda pro tota Hispania?

Dub. XIV. In Festo SS. Innumerabilium MM. Caesaraugustanorum retinenda ne est quoad Orationes in Missa lectio Codicis Ratisbonensis vel Matriten.?

Dub. XV. Quodnam Graduale est authenticum pro Missa SS. Aciscli et Victoriae Fr. MM.?

Dub. XVI. Pro tota Hispania, excepta Archidioecesi Toletana, quaenam Missa perlegenda in Festo S. Leocadiae V. et M. ?

Dub. XVII. Exceptis peculiaribus concessionibus quoad III Noct., et Missam de SS. Fructuoso et Sociis, num standum pro tota Hispania Codicibus Ratisbonensi, Taurinensi et Matritensi, qui assignant Homiliam in Evangelium *Cum audieritis*, et Missam *Intret* cum 1 Oratione propria: et hoc in casu undenam sumenda Secreta et Postcommunio?

Dub. XVIII. Habendaene sunt Missae Sanctorum sub hoc numero descriptorum, et Officia propria eisdem Missis respondentia, ut communes pro tota Hispania, vel ut peculiares singularum Dioecesum, pro quibus primitus fuerunt concessae ?

Dub. XIX. An Sanctus perpetuo collocatus extra propriam diem in Calendario approbato a S. R. C ob occurrentem Octavam, restitui debeat ad pristinum diem postquam elevatus fuerit ad ritum 2 classis, faciendo in perpetuum de die Octava sicut de Simplici?

Et quatenus negative, an idem dicendum ob occurrentiam alterius Sancti, sola hac differentia signanda, hoc in casu, nempe, ut Sanctus non simplificetur, sed perpetuo transferatur ad primam diem liberam?

Et quatenus Sanctus neutro in casu restitui valeat ad propriam diem, an saltem praeeminentiam habeat super Sanctos ante ipsum, et post propriam diem perpetuo collocatus stricto ordine translationis?

Dub. XX. Quomodo Vesperae ordinandae sunt in concurrentia Festi secundarii B. M. V. cum Festo primario eiusdem ritus, nimirum S. Gabrielis Archangeli?

Dub. XXI. Quoad mutationem 3 versus hymni *Iste confessor*, quae non adnotatur pro Sanctorum Officiis descriptis in Breviario typico, an sit deficientia eiusdem, ita ut sit supplendum in ordinando annuali Kalendario?

Dub. XXII. Circa modum annuntiandi in Kalendariis Missam pro Sacerdote, qui unam tantum vel duas vult celebrare in Festo Nativitatis Domini, quomodo intelligenda est clausula apposita in Decreto S. R. C. de die 19 Iunii 1875, videlicet *iuxta Rubricas peculiares eiusdem diei?*

Dub. XXIII. Considerari ne potest in Civitate Calagurritana Festum SS. Hemeterii et Celedonii diei 3 Martii affixum, velut unum ex solemnioribus de praecepto, ita ut in illo prohibeantur exequiae, et Missa solemnis Defunctorum adhuc corpore praesente, non obstante Decreto 8 Aprilis 1808 in Compostellana, et an in eodem Festo censeantur prohibitae Missae in Oratorio privato in praedicta Calagurritana Civitate?

Dub. XXIV. Quoad Missas, quae prohibentur in Oratoriis privatis num praeter dies enumeratas a P. a Carpo in suo Opere Liturgico, enumeranda sint inter prohibita quaecumque Festa modo solemniora, et praeceptiva?

Dub. XXV. Cum dicitur in Missa 2 Oratio *A cunctis*, eligi ne potest pro 3 Oratio pro Congregatione et "Familia, idest *Défende?*

Dub. XXVI. Quaenam regula servanda est circa capitis inclinationes in Missa faciendas, quoties occurrat nomen de Sancto, cuius dicitur Missa vel fit commemoratio: an nempe in principio Epistolae et Evangelii, in festo ex. gr. S. Pauli vel Matthaei, an etiam in vigiliis Sanctorum? Et versum quem locum vel obiectum inclinandum est caput, etiam cum nomen B. M. V. aut Summi Pontificis occurrit?

Dub. XXVII. Quibusnam diebus permittitur Missa de Requiem insepulto cadavere, sed absente ob civile vetitum, et ob morbum contagiosum?

Dub. XXVIII. Cum ex Indulto Benedicti XIV, Sacerdotes in Hispania et Lusitania celebrare possint tres Missas in die commemo rationis omnium Fidelium Defunctorum, modo pro prima tantum stipendium accipiant (sub poena suspensionis):

quamnam ex tribus Missis designatis in Indulto, nimirum I[a] Missa ut in die, 2[a] ut in Anniversario, 3[a] ut in Quotidianis, dicere debeat in Hispania et Lusitania Sacerdos, qui unam celebrare voluerit, in die Commemorationis Defunctorum, sive applicet pro uno, sive non? Et quatenus duas celebrare voluerit, quasnam ex tribus eligere tenetur?

Dub. XXIX. Quoad Lectiones I Noct. in Officio Boni Latronis standum ne Decreto in Minoricen. de die 27 Aug. 1836, vel assignation! in Breviarii etiam typici Ratisbonensis?

Dub. XXX. Tolerari ne possunt descriptae duodeviginti consuetudines, plus minusve a tempore immemorabili invectae in Cathedrali Calagurritana, quas ipse Episcopus Decretis S. R. C. ac dispositionibus Caeremonialis, ac Ritualis Romani innixus in antecessum reprobat?

Breviter eiusmodi consuetudines indicantur.

1. In solemnioribus Quadragesimae diebus Missa 2. de Feria non cantatur, sed legitur, et quidem in Altari Maiori, et dum in Choro cantatur Sexta et Nona. Insuper praedicta Missa, licet lecta, dicitur cum Sacris Ministris.

2. In Missis cantatis de Requiem, licet de die obitus, non canitur nec una stropha sequentiae *Dies irae.*

3. Ad exponendum SS. Sacramentum in Festo, et diebus infra Octavam Corporis Christi suspenditur in medio Altaris pallium rubrum ad instar magni conopei, in cuius centro collocatur thronus pro Ostensorio.

4. In Processione SS. Sacramenti Sacra Eucharistia defertur plurium Sacerdotum humeris.

5. In Feria 4 Cinerum, non Canonicus celebraturus, sed 1 Dignitas imponit cineres Episcopo.

6. In Missis Solemnibus (non Defunctorum) celebratis ab Episcopo, non adhibetur septimum candelabrum.

7. In Processionibus intra Ecclesiam, quibus intervenit Episcopus cum Mitra, Canonici incedunt capite cooperto.

8. Episcopo Divina pontiflcaliter paragente, Cappellanus, sive dum ipse Episcopus legit, sive dum cantat, librum sustinet.

9. Tempore Passionis velantur tantum Cruces Altarium, minime vero Imagines.

10. Finito Evangelio Missae Solemnis, cui assistit Episcopus cum Cappa, thuriflcatur Episcopus non celebrans.

11. Feria Sexta in Parasceve, rediens Processio ab Altari

Sepulchri, SS. Eucharistiam accipit de manu Episcopi Diaconus assistens, et non Diaconus Evangelii.

12. Dum Sabbato Sancto proceditur ad benedictionem novi ignis et incensi, defert Crucem Subdiaconus alius a cantaturo Epistolam, et quidem cum ceroferariis.

13. Presbyteri Reliquias deferentes procedunt capite cooperto.

14. Personarum thurificatio fit duplici thuribulo.

15. Ad absolutionem cantandam ad tumulum, corpore absente, Crucem non defert Subdiaconus Missae, sed Sacrista tonsura tantum insignitus, qui collocatur medius inter tumulum, et Altare.

16. Cum aliquis ex Capitulo aegrotat, Missam cantat pro infirmo, post Primam, capitularis alius, et Missa quae cantatur est ipsamet de Festo canendo post Tertiam.

17. In Missa cantata duo apponuntur Missalia, unum in cornu Epistolae, et aliud in cornu Evangelii.

18. Ex concessione privilegii, quae ut dicitur certo non constat, in Dominica infra Octavam SS. Hemeterii et Celedonii canitur Missa de iisdem Sanctis ad modum Votivae solemnis.

Ad Dubium 1. Servandam esse lectionem, quae prostat in proprio Archidioecesis Toletanae, utpote magis consonam, et correlati vam ad Missam, quae communiter assignatur videlicet, *In medio*, praesertim pro universo Hispaniae Regno, in quo S. Ildephonsus merito habetur, et veneratur ut Ecclesiae Doctor, etsi uti talis non sit adhuc a S. Sede declaratus.

Ad 2. Standum pro Breviariis, et Diurnali Ratisbonensi.

Ad 3. Corrigendum Breviarium ad normam Martyrologiis nempe *quinto Nonas*, ut respondeat ad diem tertiam Martii.

Ad 4. Iuxta Decretum in Taurinen, diei 12 Septembris 1857, nimirum *Iesu tibi sit gloria* in Officio, cui respondet Missa *Egredimini*, in alio autem Officio, cui respondet Missa *Miserebitur*, conclusiones Hymnorum minime sunt variandae.

Ad 5. Standum Rubricae, quae legitur in Codicibus SS. Hispanorum.

Ad 6. Tenendam Rubricam codicis Ratisbonensis, utpote generaliter servatam.

Ad 7. In posterum habendam ut authenticam Rubricam, quae annuntiatur in codice Ratisbonensi.

Ad 8. Utroque in casu legantur lectiones habita ratione ad aetatem.

Ad 9. Exceptis Dioecesibus Calagurritana et Calceaten. retinendam lectionem codicis Ratisbonensis.

Ad 10. Standum pro primis.

Ad 11. Abstrahendo in casu a particularibus concessionibus factis uni, vel alteri Dioecesi, quibus standum est, servandos codices Ratisbonenses in assignandis Missis pro utroque ex laudatis Sanctis.

Ad 12. Ut in praecedenti.

Ad 13, 14 et 15. Authenticam lectionem codicis Ratisbonensis retinendam.

Ad 16. Excepta Archidioecesi Toletana quoad Missam S. Leocadiae, in tota Hispania retinendam lectionem, quae traditur in Codicibus Ratisbonensi, Taurinensi et Barcinonensi.

Ad 17. Servatis peculiaribus concessionibus pro'tota Hispania, adhibenda Missa *Intret,* et Secreta ac Postcommunio sumenda ab ea.

Ad 18. Cum non constet de Decreto extensionis Missarum descriptarum et Officiorum eisdem respondentium ad universam Hispaniam, sequitur ipsas Missas esse habendas uti peculiares singularum Dioecesum, quibus primitus concessae fuere.

Ad 19. Negative in omnibus.

Ad 20. Dilata.

Ad 21. Supplendum in redactione Kalendarii.

Ad 22. Servandum Decretum diei 19 Iunii 1875, idest Sacerdos qui unam tantum Missam celebrat, legat Missam respondentem circiter horae diei, nimirum *primam* Missam si in media nocte, *secundam* si in aurora, *tertiam* si post auroram celebret.

Ad 23. Iuxta Decretum 12 Decembris 1867. Negative ad primam et secundam partem.

Ad 24. Standum indultis particularibus.

Ad 25. Negative.

Ad 26. Inclinationem capitis faciendam in festis Sanctorum tantum, quoties nomen eorum, de quibus celebratur Missa vel fit commemoratio, exprimitur, minime vero in initiis Epistolae et Evangelii; et ad nomina B. M. V. aliorum Sanctorum et Summi Pontificis inclinationem dirigendam versus librum seu nomen in libro expressum, nisi in loco principali altaris habeatur statua vel imago B. M. V. aut Sancti, ad quam, quia expressius repraesentant, caput inclinatur.

Ad 27. Cadaver absens ob civile vetitum vel morbum contagiosum, non solum insepultum, sed et humatum, dummodo non ultra biduum ab obitu, censeri potest ac si foret physice praesens, ita ut Missa exequialis in casu cantari licite valeat quoties praesente cadavere permittitur.

Ad 28. Quoad primam Missam, ut in die Commemorationis: quoad secundam, ad libitum.

Ad 29. Servandum quod praescribitur in typico Breviario.

Ad 30. Descriptas consuetudines non esse prorsus tolerandas, imo tamquam abusus et corruptelas reputandas, et ab Episcopo gravissimis rationibus adductis suffulto, pro sua prudentia sensim sine sensu penitus tollendas, exceptis tamen insequentibus iuxta respondentes resolutiones, nempe:

Ad 3. Posse servari.

Ad 16. Reprobanda; sed addi poterit in Missa conventuali de consensu Episcopi collecta pro infirmo: salvis Rubricis.

Ad 18. Conceditur privilegium vigore facultatum a SS. D. N. Leone XIII specialiter tributarum S. Congr.

Ad 19. Attentis loci adiunctis, tolerandam.

Dubia additionalia.

Dub. I. Non obstantibus Decretis diei 2 Maii 1867 et 12 Decembris eiusdem anni, quaeritur:

1. An S. Dominicus annuntiandus sit in posterum Patronus, totius Dioecesis, vel tantum Civitatis Calceatensis?

2. An hoc Festum sit praeceptivum pro Civitate Calceatensi?

3. An colendum sit sub ritu duplici 1 cl. cum sua Octava in universa Dioecesi extra Calceatensem Civitatem?

4. An in Missa dicendum sit *Credo* extra Civitatem Calceatensem?

5. Cum hic sit consuetudo recitandi commemorationem Patroni Dioecesis inter suffragia, an comprehendenda sit commemoratio S. Dominici inter communes commemorationes Sanctorum?

Dub. II. An in Missa SS. Angelorum Custodum diei 2 Octobris facienda sit commemoratio S. Angeli Regni Hispani Custodis, cuius Festum celebratur die praecedenti cum Octava?

Dub. III. An in administranda infirmis S. Communione non per modum Viatici, servandae sint tam extra quam intra cubi-

cui um infirmi omnes caeremoniae a Rituali praeceptae pro administratione Viatici, exceptis tantum verbis: *Accipe Frater, vel Soror?*

Dub. IV. In Offertorio Missarum Dominicae 2 Adventus, et Feriae 6 post Dominicam 3 pariter Adventus, quaenam lectio est recta, *Deus tu convertens,* vel *Deus tu conversus?*

Dub. V. In Oratione propria S. Prudentii Episc. Conf. et S. Pantaleonis M. praeponendum ne est nomen adiectivum *Beato, Beatum?*

Dub. VI. Quaenam lectio est sequenda post Introitum Missae S. Isidori Agricolae?

Dub. VII. An in Graduale Missae S. Ferdinandi Regis, tempore Paschali addendum sit *f. Iustus germinabit?*

Dub. VIII. An novum Festum S. Silvestri Abbatis assignatum in die 26 Novembris sit praeferendum Festo Desponsationis B. M. V. reposito in praefato die?

Dub. IX. Utrum usus, qui fere evasit communis, non leviter imbuendi amylo Corporalia, retineri possit?

Ad dubia additionalia.

Ad 1. Quoad 1 quaestionem, S. Dominicus annuntiandi^ tantum uti Patronus secundarius civitatis Calceatensis: ad 2 Negative: ad 3 Negative etiam in civitate Calceatensi: ad 4 ut in praecedenti: ad 5 Negative.

Ad 2. Negative.

Ad 3. Affirmative, iuxta Ritualis Romani praescripta, exceptis excipiendis.

Ad 4. In casu recte legendum *Deus tu conversus.*

Ad 5 et 6. Servandam typicam editionem.

Ad 7. Affirmative.

Ad 8. Negative, eo quod pro tota Hispania Festum Desponsationis Deiparae ab Apostolica Sede affixum fuit diei 26 Novembris tamquam in die propria.

Ad 9. Usus utpote communis in casu potest retineri.

Atque ita rescripsit et servari mandavit die 13 Febr. 1892.

% CAI. CARD. ALOISI-MASELLA, PRAEF.

VINCENTIUS NUSSI, S. R. C. *Secretarius*

BELLUNEN. et FELTREN. Resolutiones dubiorum, quoad consecrationem altaris portatilis.

Rmus Dnus Salvator Bolognesi Episcopus Bellunen. et Feltren. Sacrae Rituum Congregationi haec quae sequuntur humiliter exposuit:

Pontificale Romanum de Altaris portatilis consecratione agens, nusquam de coementi benedictione ad firmandum parvi sepulcri operculum verba facit; et solummodo praecipit ut Episcopus, sacris in eodem sepulcro Reliquiis repositis, illud claudat. Hinc Episcopus Orator hac in re obsequens iis, quae tradit ci. Martinucci in Manuali sacrarum caeremoniarum, quamplura Altaria portatilia pro utraque sua Dioecesi consecrans, neque coementum benedixit, nec sepulcra ipsemet lapideo clausit operculo; id muneris adsistentibus Sacerdotibus relinquens, qui fortasse aqua non benedicta in coemento conficiendo saepe usi sunt: de episcopali vero sigillo super sepulcra imprimendo ne quidem cogitavit: et in Pastoralibus visitationibus si quando lapidem sepulcri reperiit minus firmiter coemento connexum, illud novo addito coemento, a Parocho, vel alio Sacerdote firmari iussit. Perlectis deinde recentioribus Sacrae Rituum Congregationis Decretis, praesertim in Policastren, diei 23 Iunii 1879, in Lucana diei 3 Septembris 1879, in Vivarien. diei 28 Febr. 1880, S. Ioannis in America diei 15 Decembris 1882, et in Ravennaten, diei 18 Maii 1883, dubium extortum est, utrum recte quae exposuit gesta fuerint. Hinc idem Rmus Episcopus insequentia dubia pro opportuna declaratione eidem Sacrae Congregationi enodanda proposuit, nimirum:

Dub. I. *An in posterum coementum pro firmando in Altari portatili sepulcri lapide, benedicendum sit ritu pro Altaris fi,xi consecratione praescripto?*

Dub. II. *An ipse Episcopus idem sepulcrum coemento Unire et lapide claudere debeat?*

Dub. III. *An Episcopale sigillum super parvum sepulcrum Altaris addendum sit?*

Haec porro dubia, super quibus alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris suum votum typis cusum protulit, quum a me infrascripto Cardinali Sacrae eidem Congregationi Praefecto, proposita fuerint in ordinariis Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis; Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Riti-

bus praepositi, omnibus accurate perpensis, sic rescribere rati sunt:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Si agatur de unico Altari portatili consecrando, affirmative; si vero agatur de pluribus oris portantibus consecrandis, satis est ut Episcopus liniat coemento labium sepulcri unius Arae; et dum ipse prosequitur in Sacrarum Reliquiarum repositione, adsistentes Sacerdotes litteram et cuiusque sepulcri clausuram peragant.*

Ad III. *Iuxta Decretum in Vivarien. diei 28 Febr. 1880, sigillum Episcopale apponi posse, sed non debere.* Atque ita rescripserunt et declararunt die 10 Maii 1890.

SEDUNEN. Dubia quoad campanarum Benedictionem.

Hodiernus Cancellarius Curiae Episcopalis Sedunen. de mandato Rmi Episcopi, Sacrae Rituum Congregationi insequentia Dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum: « Rituale Romanum exhibens benedictionem simplicem campanae, addit haec verba: *Quae tamen ad usum Ecclesiae non inserviat*». Hinc quaeritur:

Dub. I. Utrum quoties benedicuntur campanae, quae ad usum Ecclesiarum vel Sacellorum inserviunt, adhibendae sint ab Episcopo caeremoniae et unctiones in Pontificali Romano praescriptae?

Et quatenus Affirmative.

Dub. II. Quibusnam campanis benedictio simplex proprie adhibeatur?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Omnibus campanis quae ad usum sacrum non inserviunt, et pro his adhibeatur adnexa, formula nuperrime approbata.* Atque ita rescripsit et declaravit die 4 Martii 1892.

BENEDICTIO SIMPLEX NOVAE CAMPANAE
QUAE TAMEN AD USUM ECCLESIAE NON INSERVIAT.

f. Adiutorium nostrum in nomine Domini.

R). Qui fecit caelum et terram.

Ps. 50. Miserere mei Deus, secundum magnam...
Ps. 53. Deus in nomine tuo...
Ps. 56. Miserere mei Deus, miserere mei...
Ps. 66. Deus misereatur nostri...
Ps. 69. Deus in adiutorium meum intende...
Ps. 85. Inclina Domine aurem tuam...
Ps. 129. De profundis clamavi...
f. Kyrie eleison.
R). Christe eleison.
f. Kyrie eleison.
Pater noster *(secreto).*
f. Et ne nos inducas in tentationem.
R). Sed libera nos a malo.
f. Sit nomen Domini benedictum.
R). Ex hoc nunc et usque in saeculum.
f. Domine exaudi orationem meam.
R). Et clamor meus ad te veniat.
f. Dominus vobiscum.
R). Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui rerum omnium cursum in mundo ineffabili sapientia disposuisti: praesta quaesumus, ut hoc vasculum ad actionum seriem indicandam destinatum, tuae benedictionis rore perfundas, quo cuncta iuxta ordinem fiant, et quaevis inde maligni spiritus perturbatio arceatur. Per Dominum...

Nunc Officians ponit incensum in thuribulum et benedicit, et primum aspergit circumeundo componam, choro dicente:

Dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo.

Tum producto Officions super Campanean signum crucis, discedit cum Ministris.

LINCIEN. Dubia quoad collectam pro imperatore etc.....

Rmus Dnus Franciscus Maria Doppelbauer Episcopus Linden. Sacrae Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna resolutione humillime subiecit, nimirum:

Dub. I. Cum varia sit interpretatio circa ea, quae per De-

cretum S. R. Congregationis diei 10 Februarii 1860, favore Augustissimi Imperatoris nostri Francisci Iosephi I statuuntur, ut gemino praefati decreti sensui uniformiter satisfiat, quaeritur:

1. An Sacerdotes exteri (v. g. Galli, Hispani etc.) in itinere celebrantes in Ecclesiis intra ditionem Austriacam, debeant in Canone addere verba: *Et Imperatore Nostro N?*

2. An iidem Sacerdotes orationem pro eodem Augustissimo Imperatore, quando est ab Ordinario imperata, debeant sumere prout iacet, vel omittere pronomen *Noster?*

3. An in eodem Decreto, ubi praecipitur Collecta pro eodem Augustissimo Imperatore in Missis, ea verba: « diebus tamen quibus per Rubricas licebit» sic intelligi debeant, ut aliqui volunt, ut haec Collecta nequeat omitti in Missis Parochialibus lectis festorum secundae classis; vel potius ita sint accipienda, ut in his Missis eadem Collecta omitti debeat, seu, ut de Collectis imperatis in Missis lectis festorum secundae classis communiter valet, sit ad libitum?

4. Quoad Missas vero solemnes dubitatur, an eadem Collecta, permittentibus Rubricis, sumi debeat: *a)* Dominicis et aliis diebus, si Missa (quamvis Ministri facile haberi possint) canitur sine Ministris, ad distinctionem Missae solemnis diebus maioris festivitatis? *b)* An in Missis solemnibus seu cantatis de festo tantum, an etiam de illis Dominicis et Feriis ac diebus infra Octavas privilegiatas, quae orationes imperatas admittunt? *c)* An in Missis votivis, quae, permittente ritu, simpliciter vel solemniter canuntur, v. g. initio et fine anni scholastici, vel in Missis Neopresbyteri etc., et pariter orationes imperatas admittunt? *d)* An etiam in Missis conventualibus, quae in Cathedralibus Ecclesiis et Collegiatis quotidie canuntur (vel quando canuntur sine ministris? *e)* An in Missa solemni seu cantata de Officio occurrente in Nuptiarum benedictione diebus Dominicis (sive fiat de ea, sive in ea fiat de festo duplici non classico), diebus infra Octavam Epiphaniae, Feria IV, V, VI, et Sabbato infra Octavam SSmi Corporis Christi? /) An demum eadem Collecta sumi debeat in Missa solemni seu cantata, si ea die, in eadem Ecclesia, Missa canatur praeter Missam parochialem lectam, quando in hac Collecta praedicta iuxta citatum Decretum addi debet?

Dub. II. An Decretum in Ravennaten, diei 18 Maii 1883 ad VII et VIII sic sit intelligendum, ut commemoratio Anniversaria Electionis et Coronationis Summi Pontificis, ac Electionis et Consecrationis Episcopi, in Missis lectis prohibeatur etiam illis diebus festa duplicia excludentibiis, qui tamen Orationes imperatas admittunt, ut sunt Dominicae Adventus et Quadragesimae, Feria IV Cinerum, et dies infra Octavas privilegiatas sub ritu semiduplici?

Dub. III. Quaenam oratio dicenda est in Officio Defunctorum die depositionis, tertio, septimo, trigesimo et anniversario

Sacerdotis: an semper dicenda Oratio: *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes?*

Dub. IV. In Missa de Requie pro defuncto in loco dissito cum primo nuntius mortis accipitur, aliqui putant sumendam •esse Orationem de die tertia, omisso verbo *tertium* (quae tamen minime convenire videtur, quando accepto nuntio per telegraphum, Missa canitur ante ipsius defuncti depositionem), vel dicendo « cuius obitus diem commemoramus ». Alii vero putant in casu esse semper dicendam Orationem de die obitus, omisso forte verbo « hodie » si depositio iam facta fuerit. Quaenam ex his opinionibus est in praxi sequenda?

Dub. V. In Exequiis pro depositione defuncti, quando unicum recitatur Nocturnum, debet ne dici illud, quod feriae currenti respondet?

Dub. VI. Quotiescumque unicum Nocturnum Defunctorum dicatur horis vespertinis, quod feriae respondere debet iuxta Rubricam Breviarii Romani, de qua feria erit sumendum?

Dub. VII. An pro hymno *Te Deum* (qui v. g. ob primam Missam Neo-presbyteri, vel ob aliam causam solemniter canitur immediate post Missam, quae iuxta Rubricas celebrari debet colore violaceo, ut in festo SS. Innocentium et Dominicis Adventus etc.) retineri possint paramenta coloris violacei, vel in casu cum aliis coloris albi permutanda sint?

Dub. VIII. An quando immediate post Missam solemnem exponitur SS. Sacramentum pro cantu hymni *Te Deum,* vel pro aliis precibus (aut etiam simpliciter pro Adoratione eiusdem ad plures horas duratura), liceat Celebranti benedictionem quoque cum eodem SSmo Sacramento in fine daturo, retinere casulam cum manipulo, vel debeat potius assumere Pluviale ?

Dub. IX. An pro Missis votivis S. Ioseph, Sponsi B. M. V., quando non recitatur eius Officium votivum in Feria IV, debeat sumi formulare ex Missa diei 19 Martii, vel formulare ex Missa, quae correspondet officio votivo eiusdem Sancti feriis quartis per annum?

Dub. X. An in Missa votiva Sacri Cordis Iesu («Miserebitur ») extra tempus paschale omitti debeant *Alleluia,* tum ad Introitum tum ad Offertorium et Communionem?

Dub. XI. An eadem Missa votiva de Sacro Corde licita sit privilegio utentibus, iis diebus, in quibus recitant Officium votivum de SSöio- Sacramento, Feria V, vel de Passione Domini, Feria VI. Item, an iisdem licita sit Missa votiva de Passione Domini, quando recitant Officium votivum de SSmo Sacramento et viceversa; vel Missa votiva de S. Cruce quando recitant alterutrum horum Officiorum votivorum? Et quatenus affirmative, quaenam erit in praedictis casibus secunda oratio: an de Officio votivo, vel de tempore (quando non occurrunt aliae commemora tiones?)

Dub. XII. Quaenam oratio debet dici tertio loco in Missa votiva SSmae Trinitatis infra aliquam Octavam B. M. V.; an de Spiritu Sancto?

Dub. XIII. An stola Concionatoris (quae in his regionibus semper est in usu) pro sermonibus festivis de S. Ioseph et Annuntiatione B. M. V., quando haec festa occurrunt in hebdomada maiori, debeat esse coloris albi, vel violacei? Et an die 2 Novembris (vel Dominica sequenti) ad sermonem pro defunctis liceat adhibere stolam coloris nigri?

Dub. XIV. An pro distribuenda SSma Communione Monialibus, quae habent Chorum retro post Altare, debeat aut possit Sacerdos post recitatum a Ministro vel ab ipsis Monialibus *Confiteor* deponere Ciborium ad fenestellam Chori, et ibi, ad Moniales conversus dicere *Misereatur,* etc., et *Eeee Agnus Dei,* etc., vel potius debeat haec omnia dicere ad Altare versus populum de more; et dein per medium Altaris descendere (quamvis fenestella sit in parte Epistolae) ad Moniales sancto Christi Corpore reiiciendas? Et an idem valeat etiam si Chorus non sit retro post Altare, sed in aliqua parte laterali Presbyterii?

Dub. XV. Duplex viget praxis pro ablutione digitorum in prima et secunda Missa die sancto Natalis Domini. Alii nempe in duabus his Missis digitos abluunt in vase mundo, vacuo, Ministro vinum et aquam de more infundente, interim dicendo *Corpus tuum Domine,* etc., quam ablutionem sumunt in tertia Missa una cum ultima ablutione. Alii vero digitos abluunt in vasculo cum aqua iam prius parato, ut fit post distributionem SSmae Communionis; quam aquam vel sumunt cum ultima ablutione in tertia Missa, vel in piscinam sacrarii effundendam relinquunt. Quaeritur: quaenam ex his praxibus sit, utpote Rubricis conformior, sequenda?

Dub. XVI. Quinam Versiculus sumendus est in Officio votivo SS. Angelorum Feria II tempore paschali ad II^{um} Nocturnum: an *Adorate Deum* ex Nona?

Dub. XVII. An quando festum Septem Dolorum B. M. V. in hebdomada Passionis caret primis Vesperis, hymnus Vesperarum debeat coniungi cum hymno Matutini, prout innuit Rubrica Breviarii, etiam si habeat integras secundas Vesperas; vel in hoc casu, debeant hymni (ut docet A Carpo) transponi, ita ut ad Matutinum dicatur hymnus Vesperarum, ad Laudes hymnus Matutini, et ad secundas Vesperas hymnus ex Laudibus?

Dub. XVIII. An pro quolibet Sancto Confessore Pontifice et Ecclesiae Doctore, pro quo in Missa Orationes sumuntur ex Communi Doctorum *In Medio,* in Postcommunione loco dicendi *Confessor tuus et Doctor,* dici debeat *Pontifex tuus et Doctor,* prout in editione typica Missalis die 21 Aprilis pro Festo S. Anselmi Ep. C. Doct. invenitur?

Dub. XIX. Viget usus in hac Dioecesi, sicut et in aliquibus

aliis, addendi tempore paschali in exercitiis devotionis, quae extra Officium canonicum, maxime coram SSmo Sacramento habentur *Alleluia* ad Versículos ; v. g. ad *f. Ora pro nobis* post Litanias Lauretanas, ad *f. Benedicamus Patrem et Filium* post *Te Deum,* etc., quinimmo et addendi in diebus Paschatis vel infra Octavam Paschae duplex *Alleluia* ad *Benedicamus Domino,* quod in his regionibus solet cantari finitis orationibus, quibus praecessit solemnis cantus hymni Ambrosiani. An usus iste tolerari possit?

Dub. XX. Episcopus Ordinarius, qui in aliena Dioecesi celebrat, tenetur ne in *Memento* Canonis nominare Episcopum huius alienae Dioeceseos, an semetipsum?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. *Posse, sed non teneri, quoad primam partem: quoad secundam, Affirmative ad primum, Negative ad secundum; quoad tertiam: Negative ad primum, Affirmative ad secundum; quoad quartam: Affirmative in omnibus.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Serventur Rubricae Ritualis Romani, nempe Tit. VI, cap. 3, n. 5, pro die Depositionis, et Tit. VI, cap. 5, n. 2, pro diebus tertia, septima, trigesima et anniversaria.*

Ad IV. *Recitanda oratio prout est in Missali.*

Ad V. *Dicatur primum Nocturnum.*

Ad VI. *Nocturnum debet respondere Feriae, qua canitur Missa.*

Ad VII. *Affirmative quoad primam partem; Negative ad secundam.*

Ad VIII. et IX. *Negative ad primam partem; Affirmative ad secundam.*

Ad X. *Negative.*

Ad XI. *Affirmative et secunda oratio sumatur de tempore.*

Ad XII. *Stola concionatoris sit coloris Officio diei respondentis, etiam die secunda Novembris.*

Ad XIII. *Stola concionatoris sit coloris Officio diei respondentis, etiam die secunda Novembris.*

Ad XIV. *Affirmative ad primam partem; Negative ad secundam; ad tertiam, Provisum in prima.*

Ad XV. *Secundus modus purificationis magis expeditus, et conformis est praxi universali.*

Ad XVI. *Loco primae Antiphonae usurpetur altera* Immittet Angelus.

Ad XVII. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

Ad XVIII. *Dicenda Oratio prout extat in Missali.*

Ad XIX. *Negative.*

Ad XX. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*

* CAI. CARD. ALOISI-MASELLA, PRAEF.

VINCENTIUS NUSSI, *Secretarius.*

EX 3. CONGR. R. U. INQUISITIONIS

DECRETUM quoad corporum cremationem.

Feria IV die 15 Decembris 1886.

Emi ac Rmi DD. Cardinales Inquisitores Generales decreverunt: Quoties agatur de iis, quorum corpora non propria ipsorum, sed aliena voluntate cremationi subiiciantur, Ecclesiae ritus et suffragia adhiberi posse tum domi, tum in Ecclesia, non autem usque ad cremationis locum, remoto scandalo. Scandalum vero removeri etiam poterit, si notum fiat, cremationem non propria defuncti voluntate electam fuisse. At ubi agatur de iis, qui propria voluntate cremationem elegerunt, et in hac voluntate certo et notorie usque ad mortem perseverarunt, attento decreto f. IV, 19 Maii 1886, (1) agendum cum iis iuxta normas Ritualis Romani, Tit. *Quibus non licet clare ecclesiasticam sepulturam.* In casibus autem particularibus, in quibus dubium vel difficultas oriatur, consulendus erit Ordinarius, qui accurate perpensis omnibus adiunctis id decernet, quod magis expedire in Domino iudicaverit.

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

Feria V die 14 Iulii 1892.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverenclissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque

(1) Decretum hoc iaui relatum fuit Vol. XIX, 46.

proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 Iulii 1892, mandavit et mandat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Anelli Abb. Luigi — / *Riformatori nel secolo XVI*— volumi 2. Milano 1891.

Mantegazza Paolo — *Igiene dell'Amore* — Terza impressione dell'edizione del 1889 — Milano 1891.

— *Fisiologia dell'odio* — Milano 1889.

— Epicuro — *Saggio di una Fisiologia del Bello* — Milano 1891.

— Epicuro II. — *Dizionario delle cose belle* — Milano 1892.

— *L'arte di prender moglie* — Milano 1892.

Graf Arturo — *Il Diavolo* — Milano, Fratelli Trêves Editori.

Uzard Prof. Leopoldo — *Storia del Diavolo* illustrata splendidamente da 50 disegni. — E. Perino Editore — Roma 1892.

Libro di Divozioni per le diverse ore della giornata e le principali feste dell'anno, aggiuntovi il matutino, i vespri, i notturni, ed i salmi penitenziali. — Piccola Biblioteca di libri devoti, edita dalla rivista *Cuore e Critica.* — Savona.

Il mese di Maggio (Strenna per nozze) — *(A. Ghisleri compilatore).* — Bergamo. Fr. Cattaneo succ. Gaffuri e Gatti.

Ansault M. l'Abbé — *Le culte de la croix avant Iésus-Christ.* I. *La Croix avant Jésus-Christ* (extrait du *Correspondant)* — Paris 1889.

*Le culte de la, Croix avant Jésus-Christ. Réponse à M. De Harles professeur **à V** Université de Louvain* (extrait de la *Science catholique)* — Emile Colin, Imprimerie de Lagny, 1890.

— *Mémoire sur le culte de la Croix avant Jésus-Christ*—Paris 1891. — *Auctor laudabiliter se subiecit et opuscula reprobava).*

Renan Ernest — *Souvenirs d'enfance et de jeunesse* — Paris, 1883.

— *Feuilles détachées faisant suite aux Souvenirs d'enfance et de jeunesse.* — Paris 1892.

De Régla Paul. — *Jésus de Nazareth au point de vue Historique, Scientifique et Social.* — Paris, 1891.

CAMILLUS Card. MAZZELLA Praefectus

Loco ***i&*** Sigilli

FR. HYACINTHUS FRATI O. P. *a Secretis.*

MOTU PROPRIO Sanctissimi O. N. Leonis XIII. De Theologiae disciplina in Seminario Vaticano constituenda.

Alumnis Seminarii Vaticani, qui prope sub oculis Nostris in tutela et quasi in umbra Beati Petri adolescunt, peculiares quasdam curas ad hoc tempus adhibere placuit; quemadmodum videmus illustres Decessores fecisse non paucos, nominatim Urbanum VIII, cuius providentia Seminarium ipsum anno MDCXXXVI est conditum, et utrumque Benedictum XIII, XIV, quorum ab altero in meliorem sedem traductum, ab altero privilegiis ornatum est. Qua in re et per se ipsam iuventuti sacrae opportuna et omnino decora ad religionem dignitatemque basilicae Principis Apostolorum, opera Nobis collegii Canonicorum eiusdem basilicae desideranda quidem non fuit. — Nos igitur, praeter nonnullas ipsis aedibus Seminarii accessiones adiunctas, id, quod pluris erat, impensiore diligentia spectavimus ut virtutis in eo doctrinaeque studia incrementis optimis proveheremus. Ad doctrinam proprie quod attinet, litterarum et humanitatis cursum iussimus esse apparatiorem; item cursum consequentem philosophiae, apta etiam rei physicae supellectile instructum ceterisque praesidiis, quibus adolescentium ingenia acui solent et expoliri: ista vero omnia eo modo et via eisque cum laudibus magistrorum exigenda censuimus, ut eadem institutio commode posset utiliterque vel externis patere, hac praesertim sub extremam Urbem regione. Consiliis Nostris atque expectationi bona fructuum copia, ex moderatorum et doctorum sollertia, respondit. Sic aucta in Nobis benemerendi voluntate, de villa cogitavimus ad saluberrimam alumnorum relaxationem paranda; quod iam in Sabinis, molitione a solo educta, perfecimus. — Illud reliquum esse videbatur, ut quod iure tridentino hac in causa decretum praecipue est, clericos *ecclesiasticis disciplinis instituendos,* hoc ipsi Seminario nequaquam opus esset petere aliunde, sed sibimet liceret domestica inter septa praestare posse; ex quo praeterea largior illis usura temporis esset futura et salva melius regulae sanctae custodia. Haec Nobiscum reputantes, optantesque posse Nos eo amplius eiusdem iuventutis institutioni prodesse, induximus animum, ut

disciplinam theologiae, quae ibi velut inchoata et compendiaria aliquandiu fuit, pleno quo decet modo et stabili, auctoritate Nostra constitueremus. — Itaque, ut visum est, sic hisce litteris edicimus et declaramus, velle Nos ad studia litterarum et philosophiae, quae in Seminario Vaticano coluntur, sacra theologiae disciplina in posterum accedat, ad eam plane rationem tradenda quam saepenumero in simili re commendavimus, ex praescripto nimirum Doctoris Angelici. Quare ad eius doctrinae cognatasque partes convenienter tractandas magisteria destinentur prudenti iudicio: in rei autem perpetuam tuitionem suppeditabit reditus certa vis pecuniae, quam eidem Seminario statuimus attribuere. Quod Nos tanto quidem libentius facimus quanto maiore tenemus spe, futurum sane, Deo bene iuvante, ut de hoc etiam benevolentiae Nostrae in dilectos filios testimonio, parem ipsi ac de collatis antea beneficiis ampliorenque gratiam sedulitate et fructibus referant, ad praeclaram Ecclesiae matris laetitiam et Cleri Vaticani ornamentum.

Iamvero quae per has litteras a Nobis decreta sunt, ea rata et firma perpetuo maneant, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die xxv iulii, an. MDCCCLXXXXII, Pontificatus Nostri quintodecimo.

LEO PP. XIII.

LITTERAE SSmi. D. N. Leonis XIII ad Episcopum gratianopolitanum: quibus gaudium depromit de comitiis iuventutis catholicae habitis sub Ordinarii eiusdem praesidentia.

Nous ne voulons pas tarder à vous exprimer, Vénérable Frère, combien Nous a été agréable la lettre par laquelle vous Nous rendiez compte du congrès catholique de la Jeunesse française, tenu à Grenoble,'sous votre présidence, avec le concours d'hommes recommandables par leur piété, leur science et leur parfaite soumission aux actes du Saint-Siège, dans lesquels Nous avons tout récemment tracé aux catholiques la ligne de conduite à suivre pour la défense efficace des droits suprêmes de l'Église.

Ces nouvelles ont tempéré les graves « amertumes » que ISious ressentons en voyant combattre de tant de manières cette religion chrétienne de laquelle dépend le salut des èmes, et par conséquent le bien-être de l'humanité, le progrès réel de la civilisation.

Elles Nous sont une preuve que Notre parole trouve aujourd'hui même, comme elle trouvera toujours, des esprits empressés à l'écouter docilement et à la prendre pour règle de leur vie. Ces hommes ont donné en même temps par là un public et salutaire exemple qui venait à son heure.

Il en est d'autres, en effet, Nous regrettons de le constater, qui, tout en protestant de leur catholicisme, se croient en droit de se montrer réfractaires à la direction imprimée par le Chef de l'Église, sous prétexte qu'il s'agit d'une direction politique; •eh bien, devant ces prétentions erronées, Nous maintenons dans toute leur intégrité chacun des actes précédemment émanés de Nous, et Nous disons encore : « Non, sans doute, Nous ne cherchons pas à faire de la politique; mais quand la politique se trouve étroitement liée aux intérêts religieux comme il arrive actuellement en France, si quelqu'un a mission pour déterminer la conduite qui peut efficacement sauvegarder les intérêts religieux dans lesquels consiste la fin suprême des choses, c'est le Pontife romain ».

A ce principe tutélaire du bien des âmes se rattachent tous les enseignements que Nous avons cru devoir donner récemment, à plusieurs reprises, en vertu de Notre ministère apostolique; et, loin d'introduire un principe nouveau, ils n'ont fait que continuer, en les appliquant aux conjonctures présentes, les enseignements traditionnels de tous Nos prédécesseurs qui, à diverses époques critiques, ont tout fait, dans leur dévouement aux âmes, pour éclairer les esprits perplexes ou préserver d'une déviation funeste ceux que leur zèle même exposait à faire fausse route, à se consumer en vains efforts, et à devenir une entrave au bien.

Mais, pour en revenir aux bons et courageux exemples donnés par le congrès de Grenoble, Nous constatons avec la satisfaction la plus vive quelle part importante y a prise la jeunesse catholique, avec l'appui d'hommes remarquables par leur expérience.

Dieu bénira certainement les efforts de ces jeunes gens.

non moins intelligents que dévoués, qui ont pris pour unique mot d'ordre la conservation de la fois chrétienne.

Il fut un temps où l'Orient chrétien demandait à l'Occident le renfort de ses armes pour mettre une digue aux invasions-dévastatrices des infidèles, et personne n'ignore avec quel héroïsme la France prit part à ce mouvement. Autres sont les temps, autres les maux à conjurer. Il n'est plus question pour les catholiques français dé refouler au loin le torrent des infidèles. Il s'agit de sauvegarder et de développer la foi dans leur propre patrie, menacée de se voir totalement déchristianisée. Ils ne peuvent lutter avec des armes matérielles semblables à celles des croisés; mais ils ont la liberté, et ils ont le devoir de recourir aux armes spirituelles. Telles furent les armes maniées avec tant de vigueur dans la vérité, avec tant d'éclat dans l'éloquence, par les apologistes; contre les erreurs et les calomnies des païens d'abord, contre le rationalisme des sophistes ensuite; telles furent encore les armes employées par les martyrs, alors que, dans leur courage héroïque, ils alliaient si étroitement l'amour de Dieu avec l'amour véritable de la patrie, où ils se laissaient tuer plutôt que de trahir l'un ou l'autre de ces deux amours; telles furent à tout âge les armes de vrais fidèles, résolus à tirer les conclusions des principes de leur foi par la pratique sincère et complète des devoirs du chrétien.

Évidemment, le génie des apologistes ne peut être la part de tous.

Tous ne sont pas appelés de Dieu à pousser la vertu jusq'à l'héroïsme ; mais il n'est pas un seul chrétien qui puisse méconnaître que c'est pour lui un devoir proportionné aux forces communes de conformer ses actes à sa foi, et de se rendre par là un digne instrument de la miséricorde divine dans la guérison des esprits aveuglés par l'ignorance ou les passions.

Ces dispositions ont été précisément celles du congrès catholique de Grenoble, ainsi que des congrès analogues qui l'ont précédé ou suivi ; aussi se sont-ils trouvés d'accord pour aboutir aux mêmes saintes résolutions.

Puissent ces assemblées se multiplier; puisse la France voir germer partout sur son sol des associations chrétiennes animées de sentiments identiques ! A ce prix, on peut espérer que l'esprit chrétien se maintiendra vivant, laborieux, communicatif ; et il portera la lumière de la foi au fond de toutes

les âmes qui l'ont perdue ou qui ne l'ont plus que vacillante et inerte.

Partout et toujours l'ignorance fut la grande ennemie de l'Église de Jésus-Christ ; elle l'est encore aujourd'hui, en France, où l'on ignore totalement, ou l'on ne connaît pas sous leur vrai jour les sublimes mystères de la religion chrétienne, ni les bienfaits incomparables prodigués à l'humanité par le Rédempteur du monde, ni le rôle salutaire de cette société divine qui s'appelle l'Église, maîtresse infaillible de vérité, sanctificatrice des âmes, et par conséquent source première de perfection pour les individus comme pour le peuples. Cette ignorance, exploitée par la calomnie, envahit les masses populaires qui tombent dans le sommeil de l'indifférence et laissent le champ libre à tous ces ennemis de l'Église acharnés pour la bannir de la moindre participation à la vie sociale de l'humanité. Le paganisme n'avait pas d'autres procédés envers le premiers chrétiens; heureusement que ceux-ci, loin de se démoraliser, n'en travaillèrent que plus énergiquement à répandre autour d'eux les bienfaits de la vérité chrétienne. On sait quels furent les fruits de leur confiance.

Une importante observation terminera ce que nous voulions dire : il est vrai que le progrès de la vie religieuse dans les peuples est une œuvre éminemment sociale, vu l'étroite connexion entre les vérités qui sont l'âme de la vie religieuse et celles qui régissent la vie civile ; il résulte de là une règle pratique, qu'il ne faut pas perdre de vue et qui donne aux catholiques une largeur d'esprit toute caractéristique. Nous voulons dire que, tout en se tenant ferme dans l'affirmation des dogmes et pur de tout compromis avec l'erreur, il est de la prudence chrétienne de ne pas repousser, disons mieux, de savoir se consilier dans la poursuite du bien, soit individuel, soit surtout social, le concours de tous les hommes honnêtes.

La grande majorité des Français est catholique, mais, parmi ceux-là mêmes qui n'ont pas ce bonheur, beaucoup conservent malgré tout un fond de bon sens, une certaine rectitude que l'on peut appeller le sentiment d'une âme naturellement chrétienne ; or, ce sentiment- élevé leur donne, avec l'attrait du bien, l'aptitude à le réaliser, et plus d'une fois ces dispositions intimes, ce concours généreux, leur sert de préparation pour apprécier et professer la vérité chrétienne. Aussi n'avons Nous

pas négligé dans Nos derniers actes de demander à ces hommes leur coopérations pour triompher de la persécution sectaire, désormais démasquée et sans frein, qui a conjuré la ruine religieuse et morale de la France.

Quand tous, s'élevant au-dessus des partis, concerteront dans ce but leurs efforts, les honnêtes gens, avec leur sens juste et leur coeur droit, les croyants avec les ressources de leur fois, les hommes d'expérience avec leur sagesse, les jeunes gens avec leur esprit d'initiative, les familles de haute condition avec leurs générosités et leurs saints exemples; alors, le peuple finira par comprendre de quel côté sont ses vrais amis et sur quelles bases durables doit reposer le bonheur, dont il a soif; alors, il s'ébranlera vers le bien, et dès qu'il mettra dans la balance des choses sa volonté puissante, on verra la société transformée tenir à honneur de s'incliner d'elle-même devant Dieu, pour contribuer à un si beau et si patriotique résultat.

Vous venez de Nous donner une nouvelle preuve de ce zèle dans le congrès, que vous avez présidé à Grenoble. Aussi espérons-Nous que les résolutions, qui ont été prises seront mises en pratique avec discernement et persévérance et qu'elles se perfectionneront par leur application même.

C'est dans cette confiance que Nous vous donnons, de grand coeur, ainsi qu'à tous le membres du congrès, et tout spécialement à l'élite de la jeunesse française qui s'y est rendue, Notre bénédiction apostolique.

Donné à Rome, le 22 juin de l'année 1892, de Notre pontificat la quinzième.

LÉON XIII, PAPE.

(Versio latina)

Quam gratae Nobis fuerint litterae tuae, Venerabilis Frater, quibus Nos de Comitiis certiores fecisti per iuniores Gallos, te praesidente, istic habitis, operam conferentibus Viris probitate, doctrina, atque in S. Sedis Acta, quibus Nos Catholicis tutam in supremis eiusdem S. Sedis iuribus naviter defendendis viam ferendam ostendimus, perfecta observantia conspicuis, tibi significare haud amplius morandum existimavimus.

Cuius rei notitia gravissimum animi moerorem, quem Nos christianam Religionem, in qua animarum salus, ac proinde praecipuum humani generis bonum, et civilis culturae progressus maxime nititur, tot modis impetitam cernentes persentimus, mirifice temperavit.

Eadem notitia novum Nobis argumentum suppeditat, plerosque etiamnum adesse, ac semper fore, qui verba nostra et fideliter excipiant, et iuxta illa vitae suae rationes exigant. Atque ita hi viri agentes, publicum ac summopere salutare exemplum, quando maxime opus erat, Galliae praestiterunt.

Alii enimvero sunt, idque notum facere mundo profecto Nos piget, qui quamvis sese Catholicos iactent, tamen sibi licere existimant rectam hisce Reipublicae temporibus agendi normam a R. Pontifice traditam palam respuere; causam praetexentes, quod ea politicen potius, quam Religionem spectet.

Atqui Nos prae hac falsa opinione, singula Acta a Nobis hactenus edita omnino integra sarta tectaque esse volumus ac confirmamus: et praeterea haec addimus: profecto Nos in iis, quae ad Reipublicae administrationem pertinent, neutiquam Nosmet immiscere volumus; sed quando Reipublicae administratio Religionis rationibus arcte colligatur, quemadmodum hodieque in Gallia reapse contingit ; si quis rectam agendi normam, quae Religionis iura rationesque in quibus supremus rerum finis consistit, efficaciter tueatur, praescribendi ius habet, hic praeterquam Romanus Pontifex est nemo.

Huic scopo salutis animarum curandae, omnes praeceptiones, quas nuper atque identidem, Apostolici nostri muneris causa, tradere visum nobis est, arctissime connectuntur: neque vero per eas novum agendi opinandive principium inducitur; imo potius nihil aliud eaedem dicendae sunt, quam quaedam earum praeceptionum, quas Romani Pontifices hactenus tradiderunt, continuatio; ac praesentibus rerum temporumque adiunctis opportuna applicatio: qui quidem Antecessores nostri subinde difficillimis quibusque rei publicae et Ecclesiae temporibus, pro sua in credentium animas cura et sollicitudine, omnia praestiterunt, ut dubias mentes illuminarent, atque eos, qui ipso suo zelo (non secundum scientiam) a recto veritatis et iustitiae tramite facile ac misere aberraturi essent, seseque vanis conatibus insumpturi, atque ipsi bono publico obstáculo futuri, a certa ruina servarent.

Sed ut ad optima atque praeclara virtutis exempla a nobili

Gratianopolitano Conventu nuper exhibita regrediamoli*, maxima animi nostri laetitia accepimus, quantum istic catholica iuventus, viris prudentia conspicuis operam sponte conferentibus, adlaboraverit.

Deus profecto istorum iuvenum prudentibus aeque ac generosis conatibus benedicet; qui unicam militiae suae tesseram Fidei christianae defensionem adscivere.

Tempus aliquando fuit, cum christianus Oriens armorum praesidium, ad vastatrices Infidelium excursiones cohibendas, ab Occidente expetebat; et quam strenue in id ipsum Gallia operam contulerit, profecto ignorat nemo. - Alia sunt modo tempora, aliaque avertenda mala. - Haud amplius Catholicis Gallis repellendae sunt minaces Infidelium turmae. - Opus est Fidem in ipsamet sua ipsorum Patria defendere ac promovere, cui christianae Religionis amittendae periculum imminet. - Luctari nimirum iidem aeneis armis non possunt, quas Christiani milites in Palaestina Crucem induti gestabant ; sed spiritualibus uti armis et possunt, et debent. - Huiusmodi procul dubio arma fuerunt, quibus Christiani Apologistae tanto veritatis robore, et eloquentiae nitore, primum quidem contra Ethnicorum errores et calumnias, dein vero contra captiosas Sophistarum conclusiones e ratione petitas, dimicarunt. Huiusmodi itidem arma fuerunt, quibus Sancti Martyres usi sunt, cum in animo quisque suo in vietissimo divinam charitatem una cum vero in Patriam amore adeo impense coniungentes, se in ipso patrio solo occidendus tradebant, potius quam alterutrum ex hisce animi sui affectibus abdicarent. Huiusmodi denique fidelium Christianorum quovis tempore arma fuerunt; quibus hoc certum deliberatumque in animo erat, ex propriae Fidei principiis consectaria, christiani hominis officiis integre ac sincere in praxim deductis, opportune derivare.

Plane Apologistarum ingenium omnes sortiri nequaquam possunt; non omnes ad virtutem usque heroicam exserendam divinitus vocantur; at vero christianus homo nemo est, qui inficiari possit, se officio reapse obstringi, actus suos Fidei, quam profitetur, rite conformandi; atque ita se idoneum divinae misericordiae instrumentum efficiendi, ut animas et ipse vel ignorantia, vel effrenibus cupiditatibus obcoecatas coadiuvando curare valeat.

Haec adamussim catholici Conventus Gratianopolitani, aliorumque similium Comitiorum, quae illum istic sive praecesserunt,

sive subsecuta sunt, consilia ac proposita fuerunt: proinde omnes in idem pie sancteque deliberandum mirabili animorum consensu convenerunt.

Utinam eiusmodi Conventus multiplicentur; utinam Gallia christianas id genus hominum consociationes, iisdem informatas sensibus, ubique in patrio solo exoriri atque excrescere videat! Hoc nimirum pacto contingere potest, ut christianae istic Religionis spiritus vivus, industrius ac beneflcus perseveret: iisque Fidei lumen afferat, qui vel eam amiserunt, vel adhuc languidam atque inertem in sinu abditam gerunt.

Ubique ac semper Ecclesiae Christi inimica ignorantia fuit: hodieque etiam in Gallia eiusmodi est; ubi vel omnino a plerisque ignorantur, vel haud ita dilucide, uti par est, ac vivaci Fidei luce cognoscuntur sive sublimia christianae Religionis Mysteria, sive praeclarissima a Christo Domino, Mundi Redemptore, in humanum genus collata beneficia, sive demum saluberrimum divinae illius Societatis, quae Ecclesia nominatur (quaeque infallibilis est Magistra veritatis, animasque per sacramenta sanctificans, ideoque tum singulis Fidelibus, tum vero etiam cunctis populis prima moralis perfectionis fons), praecipuum in terris exequendum munus docendi nimirum omnes gentes divinitus acceptum.

Isthaec ignorantia, qua maligni Ecclesiae adversarii in odium Religionis calumniando abutuntur, populos summatim invadit; qui idcirco irreligiosae indifferentiae somno corripiuntur, atque iisdem Ecclesiae hostibus castra libere diripienda relinquunt; qui quidem in insano animi proposito Eam ab omni vel minima Socialis hominum vitae participatione penitus removendiørociter insistunt.

Haud dissimili ratione Ethnici primis Ecclesiae saeculis in Christianos se gerere consueverunt; sed hi, opitulante Deo, nequaquam animum despondërimt: immo vero maiori in dies animi vigore Christianae Veritatis beneficia quaquaversus diffundere conati sunt. Quinam vero huius eximiae fiduciae fructus fuerint, probe novimus.

Postrema haec magni momenti animadversio iis quae dicere hactenus voluimus, finem tandem imponet.

Quoniam in populis, quiqui illi sint, religiosae vitae progressus ad ipsam humanam societatem verissime atque in primis spectet, propter veritatum, quae religiosae vitae anima sunt, et principiorum, quae civilem vitam moderantur, intimum nexum>

exinde regula deducitur summopere practica, quae oblivioni tradenda facile non est, quaeque moralem quamdam ac prorsus singularem Catholicis istic spiritus amplitudinem attribuit. - Nimirum salvis atque integris omnibus Christianae Religionis dogmatibus, omnique exclusa quoad oppositos errores servili conniventia Christiana prudentia est, neutiquam repellere, imo potius in bono sive cuiusque privato, sive praesertim communi prosequendo, omnium proborum hominum favorem opemque sibi conciliare.

Pleraque Gallorum pars catholica est; sed et in plerisque eorum, qui eiusmodi forte non sunt, aliquis nihilominus recti iudicii sensus inest, et quaedam animi probitas, quae cum Tertulliano, sensus animae naturaliter christianae appellari.potest.

Iam vero hic praecelsus animi sensus quamdam in morale bonum propensionem, eiusque opere complendi potestatem tribuit: ac saepenumero isthaec animi intima dispositio, isthaec generosa operis opisve collatio ad christianam iisdem veritatem agnoscendam amplectendamque viam sternunt. Hanc nimirum ob causam in postremis nostris, quae nuper edidimus, Actis, ab huiusmodi hominibus mutuam ipsorum operam efflagitare non omisimus, ut ex perduellium Sectarum, quae iam nunc, deposita persona, frenoque soluto, supremum in Galliam Religionis ac moralis probitatis excidium iurarunt, iniqua vexatione triumphum tandem nobis agere contingat.

Quando autem omnes istic, partium studio seposito, in id assequendum conatus omnes intenderint, viri quidem probi prudenti suo consilio ac bona voluntate; Catholici suae Fidei praesidio; viri aetate provecti sua rerum peritia atque experientia; iuvenes vivacissimo suae activitatis vigore; familiae locupletiores nobilioresque sua generositate, ac piae sanctaeque vitae exemplis, tum demum populus agnoscet, qua ex parte veri ac sinceri Patriae amici consistant, quibusque super basibus, et quidem firmissimis, ea, quam avidissime percupit, felicitas niti debeat: tum etiam ad bonum se compulsimi persentiet : ac vix in morali rerum libra praepotentem suam voluntatem imposuerit, statim humana Societas prorsus transformata conspiretur honori ac laudi sibi ducere, Deo sese ad hunc praeclarum patriumque scopum obtinendum sponte inclinare.

Tu quidem, Eme Cardinalis, novum huiuscemodi zeli testimonium ac specimen in Conventu Gratianopolitano, cui praeeras, nuper exhibuisti.

Speramus igitur fore, ut quae ibidem decreta et sancita sunt, in praxim sapienti consilio atque constantia pari quamprimum deducantur, eaque ipsa eorumdem exercitatione perficiantur.

Hac fiducia freti Tibi atque omnibus Gratianopolitani Conventus adlectus Viris praesertim vero, electissimae Gallicae Iuventuti, quae istuc convenit, Apostolicam nostram Benedictionem singulari benevolentia impertimus,

Dat. Romae, die XXII Iunii Anno Dñi MDCCCXCII, Pontificatus nostri XV.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

NULLIUS MONTISCASSINI

RESIDENTIAE

Die 9 Aprilis 1892.

Sess. 25 c. 12 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Ioannes Gamba archipresbyter ecclesiae S. Mariae de Minerva in communitate Castrinovi Parani, iam ab aliquo tempore neque in paroeciali habitatione, neque intra paroeciae limites noctes transigere consuevit. Ratus enim suae valetudini plenius esse consulendum, atque huic detrimentum afferre curialium aedium insalubritatem, vesperascente die paternam domum petere assolet, ut ibi pernoctet. Haec autem domus, in qua saepe et diurnis horis commoratur, haud nimium a paroeciae finibus abesse videtur. Abbas enim Montiscassini, illius loci Ordinarius scribebat: facile esse parocho quolibet die, mane et sero petere ecclesiam paroecialem, ut satisfaciat necessitatibus spiritualibus populi sibi commissi.

Verumtamen huiusmodi parochi agendi ratio haud semel populi querimoniis occasionem praebuit. Quare factum est,

ut Ordinarius illum de observanda residentiae lege primum quandoque monuerit, ac postea sui muneris esse duxerit de omnibus S. G. certiorem reddere.

Cum id archipresbyter cognovisset, statim ut sibi prospiceret ad S. C. C convolavit, ac sequentibus rationum momentis excusationes suas protulit : quia parochialis domus angusta est, et commodis destituta ad protuendam sanitatem; quia paterna habitatio, ubi orator moratur, quamvis extra paroeciae limites, distat ab Ecclesia paroeciali tantum infra miliare italicum; quia orator de mane et de sero cuiuslibet diei propriam ecclesiam petit ad omnia parochi onera explenda ; ibique etiam transit noctem quoties necessitas hoc exigat. Et ideo ex relatis motivis, ex mea aetate iam gravi, ex statu non florido meae valetudinis, exposco ut mihi liceat dormire in mea paterna domo, quando abfuerint casus necessitatis.

Ordinarius suetam informationem et votum S. C. transmittens, postquam ea quae superius relata sunt de itinere, quo domus paterna archipresbyteri a paroecia dirimitur, enarrasset, pergebat, veritate niti quod parvus sit populus, et domus paroecialis parum apta, sed parochum bona frui sanitate. Pluries querimononias audivisse a paroecianis, et consequenter monita dedisse eidem parocho ; cui tamen indulsit ob incommodam residen fiam, ut noctu domum paroecialem desereret si casus necessitatis contrarium non postularet.

Disceptatio Synoptica.

QUAE • PETITIONI FAVERE VIDENTUR. Post haec, favore petitionis archipresbyteri Gamba commemorari posset ex Benedicto XIV *De Synodo dioeces, lib. 7 cap. 1, nam. 4,* inter Tridentinus Patres acriter disceptatum fuisse, num residentia a iure divino esset imperata, ac huiusmodi quaestionem minime in Synodo fuisse definitam. Qui vero contrariam tuebantur sententiam, ratiocinationem prosecuti fuerunt S. Thomae *2. 2. quaest. 185 art. 5'in cor p.* quae modo et praesenti casui aptari videretur. Siquidem docet

S. Doctor in qualibet obligatione praecipue spectandum esse obligationis finem. « Cum autem finis, propter quem animarum pastoribus residentia praecipitur, sit spirituale bonum animarum quibus praesunt: exinde concludit Angelicus, quod si eumdem finem consequi possint in absentia, tunc licite se a suis ovibus iidem subducere queant. Et profecto si residentiae praecepto non satisfacit, qui ita inter suas oves versatur, ut animo ab illis absit, nullam gerens earumdem curam: quia tali pacto finem contemnit propter quem residentia ei imperatur;_____ob oppositam rationem censebitur residentiae praeceptum adimplere, qui etsi a suis ovibus corpus subducat, animo tamen iisdem adest, et finem obtinet illas pascendi et regendi, ad quem localis pastoris praesentia dirigitur ». Benedictus XIV *loc. cit.* Si igitur in themate sacerdos Gamba, non obstante nocturna absentia, ea spiritualia auxilia, ob quae parochi residentia praecipitur, plebi sibi commissae suppeditare valeat, iam quae ipsius precibus obstare possent penitus removentur. Cum autem Ordinarius illius agendi rationem putaverit tolerandam, nec post cautelas ab eo praescriptas ulteriores extiterint populi querelae, nullum detrimentum fidelibus inde obvenire videretur.

Neque leges, quae residentiam parochi praescribunt nimio rigore accipiendae essent. Siquidem ex sententia Barbosae *De off. et pot. parochi p. 1* c. 8, n. 37.* Posse vin. *De off. curati c. 1, n. 7.* Bonacinae *De on. resident, n. 2 et 4,* aliorumque plurium apud Ferraris, *Voc. parochus art. 11, n. 17',* « parochus, parochiali domo relicta, poterit in paterna vel cognatorum domo intra fines parochiae habitare, si ex ea poterit residentiae muneri satisfacere.... et alii plures id sustinent etiamsi talis domus sit extra fines parochiae dummodo non distet ultra miliare italicum. » Neque obstat, ut ait Ventriglia in sua *Praxi Annot. 20, § 1, n. 1 seqq.,* quod S. C. declaraverit habitationem parochi debere esse iuxta parochiam: nam id intelligi debet « parum distare, quia illa dictio *prope* refertur ad modicam quantitatem, ut

explicat Rice. *4 part., decis. 41 per tot.* Diana *3 part., tract. 4, resolut, loö in fine,* etiamsi parochus intra parochiae fines non commoretur, dummodo, parum distet, quia parum pro nihilo reputatur, et talis distantia in notabile subditorum incommodum vergere non videatur. »

Praeterea perpendendae veniunt causae ab archipresbytero allatae ad gratiam obtinendam, quae certe alicuius apparent ponderis. Refert enim Barbosa *De 'parochis, p. 1, cap. 8, n. 36,* ut legitur in Anglonen. et Tursien. *Residentiae, 22 Februarii 1851,* aliquando dispensatum fuisse cum parochis ob defectum commodae domus in paroecia, vel ob aeris intemperiem, quae profecto et in casu locum sibi vindicare viderentur. Porro quae archipresbyter Gamba de angustia et insalubritate aedium paroecialium retulit, etiam ab Ordinario plenissime confirmantur. Quod si contra haec plures S. C. C. resolutiones afferri possunt, observandum esset, nedum illas in peculiaribus casibus, atientis plerumque peculiaribus circumstantiis prodiisse, sed etiam hic non unam aut alteram, sed plures insimul causas concurrere, quae forsan proinde ad iuris rigorem emolliendum suaderent. Nec denique cogendus videretur archipresbyter ad ea incommoda tollenda, quae domum parochialem insalubrem reddunt; cum enim id Ordinarius non fecerit, praesumptio exurgit beneficiales reditus ad extraordinarias instaurationes impares esse. Quare haud undequaque absonum esset invocare iuris principium : « quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum. » *Cap. Quod non est extr. De regulis iuris.*

QUAE PETITIONI ADVERSARE VIDENTUR. EX altera tamen parte animadvertendum est, precibus archipresbyteri aperte obstare legem tridentinam *Sess. 23, cap. 1, De reform,* quae personalem et assiduam in sua ecclesia residentiam praesertim curam animarum obtinentibus severissime iniungit. Id autem ita intelligendum est, ut materialis parochi habitatio non modo intra paroeciae limites in loco commodo omnibusque opportunum esse debeat, sed « imo in domo prope ecclesiam pro habitatione parochi destinata, ut pluries Sacra Congre-

gatio declaravit. » De Luca *Annoi, ad S. Conc. Trid. Disc. IV, num. 11 ;* S. C. in Ravennaten, *lib. 2 Decret.,* in Tarraconen. *Residentiae 24 Martii 1736 ad 1. dub.,* in Fulginaten. *19 Augusti 1752 ad 1. dub.,* in Tiburtina *29 Iulii 1786 etc.* Quod si aliquando cum quibusdam parochis dispensatum fuit, ob defectum eommodae domus paroecialis vel aliis de causis eisdem per mittendo, ut in loco paroeciae proximo inhabitarenf, addita etiam conditio reperitur ut substitutus penes ecclesiam parochialem relinquatur. Barbosa *De parochis p. 1, cap. 8, n. 36;* Gallemart in *Conc. Trid. n. 10.* Insuper ad rem facit Fulginaten. *diei IO Maii 1687,* in qua 3. dubio « *An dicti parocid, qui ceteroquin diurno tempore resident apud suas ecclesias, possint nocturno tempore totius vel maioris partis armi commorari in civitate, licet apud dictas ecclesias adsint eorum substituti:* rescriptum fuit : *Negative.* »

Propius autem ad rationum momenta ab archipresbytero allegata deveniens, quoad primum adnotatum fuit, aedium paroecialium incommoda generatim a residentiae lege haud excusare, cum in citata Tiburtina anni 1786, S. C. C. praefìgendum terminum ad parochialem domum instaurandam parocho mandaverit ; quo elapso intra paroeciam et in domo ipsa parochiali inhabitaret. Nec forsan regerere valeret, domum de qua in themate non modo angustia, sed et insalubritate laborare: etenim si aeris inclementia ut eau sa sufficiens non invocari posset, veluti patet ex cit. Tarracon. ex S. Agathae Gothorum *16 Martii 1641* et ex Nicien. *4 Augusti 1645,* hic saltem ob easdem rationes idem fas esset arguere. Pariter quoad parvum numerum parochianorum occurrit Fagnanus in *cap. extirpandae, § Qui vero, n. 21, de presb, referens* quod < S. Congregatio consulta an parochus teneatur residere, etiamsi essent in illa parochia tres tantum vel quatuor incolae, respondit teneri. » Quae eadem in casu quodam rescripta fuisse die 3 Octobris 1661, testatur Benedictus XIV. *Inst. .Eccl. 17, n. 16.* Minusque archipresbyter orator iuvari posse videretur annorum pondere vel cor-

poris imbecillitate. Nam praeterquamquod haec ab Ordinario penitus excluditur, quoad utramque causam recolit idem Benedictus XIV *loc. cit., n. 14.* S. Congregationem declarasse *die 6 Aprilis 1647,* « non aetatem senilem, nec malam valetudinem excusare parochum a residentia personali. »

His breviter utrinque disceptatis, sequens propositum fuit dirimendum

Dubium

An et quomodo precibus archipresbyteri Gamba annuendum sit in casui

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 9 Aprilis 1892 censuit respondere: *Affirmative usque dum domus 'parochialis instaurata, fuerit, praefixo per Ordinarium brevissimo termino ad eamdem domum parochialem instaurandam.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Residentiam personalem et assiduam parochorum apud Ecclesiam paroecialem saeverissime iniungi a lege tridentina.

II. Ita ut materialis parochi habitatio, nedum esse debeat intra paroeciae limites; sed prope ecclesiam paroecialem, loco commodo, omnibusque opportuno.

III. Nec aeris inclementiam aut fidelium parvum numerum, nec aetatem senilem, aut malam valetudinem invocari posse, ut causam dispensationis a residentia S. C. C. saepe resolvit.

IV. Incommoda et angustiam aedium paroecialium tamen aliquando occasionem dedisse S. C. C. ut praefigetur terminus ad domum instaurandam, suspensa interim residentiae lege.

BAIONEN.

DISMEMBRATIONIS PAROECIAE

Die 9 Aprilis 1892.

Sess. 24 cap. 1 De reform, matrim.

COMPENDIUM FACTI. Civitatis Baionensis regio quae trans fluvium Adour ad septentriones et orientem vergit, quaeque tantum anno 1858 oppido accessisse fertur, partim intra limites paroeciae S. Spiritus continetur, partim vero iurisdictioni paroeciali ecclesiae suburbanae D. Stephano dicatae subiicitur. Postrema autem haec pars praecipue iis aedificiis et viis coalescit, quae ex publicis lanienis inibi iam existentibus vulgo « quartier de l'Abattoir » dici solent atque per viam ferream ubi clivus assurgit positam a reliquo paroeciae s. Stephani territorio seiungitur.

Iamvero incolae huiusmodi « quartier de l'Abattoir », ut id quod a plurimo tempore in votis habuerant assequi possent, anno praeterlapso apud Episcopum instíterunt pro suae regionis dismembratione a paroecia s. Stephani et unione alteri paroeciae s. Spiritus obtinenda. At acriter obstante parocho et consilio fabricae s. Stephani, maluit Episcopus ad sapiens S. C. C. iudicium provocare. Parochus ac moderatores fabricae s. Stephani, dum rationum momenta quae dismembrationi adversantur, exponebant, perpendentes damna quae inde ecclesiae suae essent obventura, expostülaverunt, ut si contra votum res succederet, annuam compensationem libell. 600 a fabrica s. Spiritus paroeciae s. Stephani persolvendam esse decerneretur. Ex altera vero parte fere iisdem verbis preces iteratae fuerunt. Hic tamen monendum est, praefatas preces licet nomine incolarum « du quartier de l'Abattoir » porrectae fuerint, ab oratoribus subscriptas minime fuisse, nec aliunde ex actis constare quot et qui sint qui dismembrationem efflagitant.

Vicariatus generalis iussu et nomine Episcopi de veritate eorum quae exponuntur amplissimis verbis testatus est, ac votum suum pandidit favore harum precum.

Disceptatio Syn o p tica.

QUAE FAVENT DISMEMBRATIONE. Ut ea quae dismembrationem suadere videntur innotescerent, animadversum fuit: legitimam dismembrationis causam in iure haberi, si parochiani ad suam ecclesiam sive ob locorum distantiam, sive ob difficultatem commode accedere nequeant. Hic vero sedulo notandum est cum Fagliano *hi Cap. Ad Audientiam De Eccl. aedi f. ii. 1 et seqq.* Concil. Trid. *cap. 4 sess. 21,* quod in Decretalibus dicebatur « sine magna difficultate » merito immutasse his verbis « sine magno incommodo » ; nam illud solum possumus quod commode possumus, ut /. *Nepos I're-culo ff. de verb. signi f.* Unde veterum canonum rigor quoad locorum distantiam et alias causas haud nimium esset urgendum, cum etiam maior populi commoditas ad dismembrationem concedendam sufficere possit, ceu legitur in Laquedonien. *Dismembrationis Paroeciae 16 Decembris 1776 § Addi.* Siquidem notum est, piam matrem Ecclesiam optime tenentem animarum salutem pro suprema lege, parochumque populo, non populum parocho dari, disciplinares suas ordinationes ad varias etiam temporum vices attemperasse, ut inquit Thomas *De nov. et vet. discipl. p. 1, cap. 18, n. 17, lib. 3, cap. 56, n. 19, et p. 2, lib. 1, cap. 45, n. 13 et 14.*

His praemissis, causae ad dismembrationem obtinendam ab incolis regionis « de l'Abattoir » sunt difficultas adeundi Ecclesiam s. Stephani, quae distat 1800 metr. a centro regionis et 2200 a pluribus habitationibus ; facilitas ad explenda religiosa munera proveniens ex proximitate Ecclesiae s. Spiritus quae in civitate adest et loco plano. Regio vero quae Ecclesiam habet s. Stephani separatur a reliqua paroecia per viam ferream; dum unum efficit corpus cum paroecia s. Spiritus.

Ea vero qune sive quoad distantiam regionis « de TAbattoir » ab utroque templo, sive quoad difficultatem ascendendi ad clivum quo ecclesia s. Stephani consurgit affirmantur, plene schematibus topographicis exhibitis, nec non atte-

stationi municipalis periti cohaerere videntur. Quod si ex adverso res cum aliquantulo discrimine exponuntur, id explicat Vicarius generalis. Ceterum quanta debeat esse distantia ad hoc, ut parochiani dicantur non posse sine magno incommodo ad ecclesiam accedere, cum iure definitum non sit, iudicis arbitrio relinquitur. Fagnanus *loc. cit.* Ac proinde graviter erraret qui nisus quibusdam S. C. declarationibus vel Rotae decisionibus, ut animadvertit Card. De Luca *Annoi. Conc. Trid. disc. 16,* in sola littera procederet pro dismembratione concedenda vel deneganda, quae cum quaestio nudi facti sit, ex individuis circumstantiis singulorum •casuum qualitate potius decidenda esset. Quapropter et S. C. C. aliquando dismembrationem decrevit, ut in Aquinatem seu Sorana *29 Ianuarii 1847* et in Verulana *10 Maii 1862,* eo quod experientia docebat, parochianos raro admodum ad suam ecclesiam accedere et propinquiorem adire, vel ad incommoda, quae Episcopi dolebant, removenda. Porro haec eadem in themate ipse Vicarius generalis refert.

Quae omnia maiori in pretio habenda videntur eo quod hac in re maxime deferendum est Ordinarii prudentiae, cui profecto locorum indoles et sibi commissi gregis necessitas atque utilitas magis quam cuilibet alteri notissima merito censentur. Rebufius *in Praxi benef, part., c. 1 de erect. in cur. et parodi.*

His praeterea addi posset quod licet, ut admonet Barbosa *De off. et pot. Ep. p. 3, alleg. 68, n. 4,* consensus populi ad dismembrationem non requiratur, attamen S. C. plurimi paroecianorum votum facere solent, praesertim si unanime sit et solidis innitatur rationum momentis, ceu forsan erui posset ex Cassanen. *Dismembrationis 17 Decerne. 1740,* Vintimillien, *Dismembrationis 7 Augusti 1818* etc. Ut id adstruatur perpendere praestat Vicarium generalem retulisse S. C. Congregationi, petitionem esse unanimiter exhibitam ab habitantibus de « l'Abattoir » ad obtinendam adnexionem Ecclesiae s. Spiritus.

Neque dismembrationis necessitas excluderetur ex venia

recipiendi Sacramenta in ecclesia s. Spiritus, quam paroecianis « de 1' Abattoir » tribuisse testatus est parochus s. Stephani. Nam praeterquamquod hoc ipsum dismembrationis utilitatem evinceret, facta, si Vicarium generalem audiamus, omnino verbis contradicunt atque litium periculum ostendunt.

Demum relate ad damna quae si preces incolarum « de l'Abattoir», excipiantur, paroeciae suae obventura timet parochus s. Stephani, Vicarius generalis, exhibitis S. O. rationum redditionibus eiusdem paroeciae pro anno 1890, minima esse demonstravit. Insuper quoad magnam imminutionem populi, attestationem allegat auctoritatis municipalis, in qua asseritur, incolas regionis s. Stephani in censu anni 1891 absque populo « de F Abattoir » 2286 numeratos fuisse; plebem autem s. Spiritus et regionis « de l'Abattoir » 5496 cives non excedere: atque haec addit: quod paroecias s. Stephani, non obstante dismembratione, numerabit plusquam 2000 habitantes, qui spectabilem paroeciam constituunt. Ex plebe autem paroeciae s. Spiritus fere mille hebraeos detrahendos esse affirmat. Quod si in kalendario dioecesano aliter populi numerus enuntiatur, id minime in casu attendendum putat, tum quia et ibi incolae « de l'Abattoir » in paroecia s. Spiritus describuntur, tum etiam quia ex censu remoto tempore confecto, populi frequentia desumpta fuit. Cum itaque de damno minime constet, consequenter et quaevis compensatio esset excludenda.

QUAE DISMEMBRATIONI ADVERSANTUR. Verum e contra prae oculis habendum videretur sacros canones a beneficiorum praesertim parochialium dismembratione, quam maxime abhorrere, utpote quae alienationis speciem praesefert, atque idcirco in iure odiosa haberi solet. *Abb. in cap. 3 Ad Audientiam De Eccl. Aedi f.* Reiffenstuel *lib. 3 Decret, tit. 48., § 2.* Amostazo *De caus. piis lib. 5, cap. 3.* Dismembratio enim veterem ovilis societatem disrumpit, eiusdem cum antiquo suo pastore consuetudinem destruit, ac res iamdiu recte constitutas subvertit. Lotterius *De re benef. I. 1, quaest.*

ri. 17. Hinc factum est ut ad eam legitime peragendam sicuti pro alienationibus iusta causa et quaedam solemnitates requirantur. Causae vero canonicae pro dismembratione paroeciarum decernenda, in necessitate vel evidenti ecclesiae utilitate consistunt, veluti fluit ex Tridentinae Synodi dispositione *Sess, 21, cap. 4, De reform.;* docentque Rebuffus *in praxi tit. de revoc. union, n. 6,* Reclusius *De re parodi, part. 4, tit. 12, n. 63* et S. C. in Derthonen. *5 Aprilis 1732,* in Terracinen. *17 Martii 1781,* in Anconitana *12 Februarii 1803 etc.* Iamvero in themate neutram adesse parochus s. Stephani contendit.

Deest necessitas , nam quoad distantiam regionis « de l'Abattoir » ab ecclesia parochiali, refert se munus commisisse illam computandi duobus peritis Michael et Baptistae .Dousdebet, quos paratos dicit ad ea quae asseruerunt etiam sub iuramenti sanctitate firmanda. Ex horum vero testimonio erui affirmat, distantiam quae separat l'Abattoir ab Ecclesia s. Stephani non excedere 1200 metri usque ad priores domus « de l'Abattoir » et 1800 metros usque ad centrum regionis. At dato etiam, quod, uti ex adverso asseritur, distantia regionis « de l'Abattoir » a templo s. Stephani in m. 1800 computanda sit, non tamen idcirco ea esset quae pro dismembratione requiritur, iuxta ea quae docet Fagnanus *cit. cap. Ad Audientiam, n. 23* centiesque retinuit S. C, quemadmodum, ceteris missis, videre est in Constantien. *27 Iun. 1761,* in Pisauren. *19 Aprilis et 10 Maii 1766,* in Lancianen. *18 Novembris 1747* et in Novarien. *12 Augusti et 18 Novembris 1747.* In quarum postrema reiecit preces pro paroeciae dismembratione oblatas, licet ageretur de trium milliariorum distantia iuncta cum nulla viarum securitate.

Neque meliori omine ad itineris difficultatem oratores in casu confugere dicendum esset. Etenim scribit parochus s. Stephani nullam, viarum causa, existere difficultatem, et hoc demonstrare sategit. Cum igitur via quae a regione « de l'Abattoir » ducit ad templum s. Stephani omnibus numeris absoluta appareat, neque ea sit quae parochianos impediat

ecclesiam paroecialem cum evidenti discrimine petere, tenendum esset et alteram dismembrationis legitimae causam prorsus exulare.

Verum equidem est, fatente ipso parocho et consilio fabricae, commodiori accessu patere iter ad ecclesiam s. Spiritus quam ad templum paroeciale, at minime inde magnum incommodum fidelium regionis « de l'Abattoir » deducere fas esset. Causam vero legitimam ad dismembrationem praebere tantum maiorem vel minorem populi commoditatem dici nequit, alioquin quam plurimae paroeciae dividendae essent. Praeterea in themate magnum incommodum a sacris canonibus requisitum existere s. Stephani parochus denegat.

His addi posset, causam dismembrationis praecisam, evidentem et absolutam esse debere *ad cap. 1 de rebus eccles, non alien.* Lotterius *Be re benef. I. 1, cap. 28, n. 30,* ac proinde extra omnem dubitationis aleam illam ponendam esse: « Ergo causa subsistente, eaque probata et non alias permittitur erectio », ait Fagnanus in *3 lib. decret., cap. 3, n. 15.* Quae causae comprobatio tantae necessitatis es*se videtur, ut assertio ipsius Episcopi super extraiudiciali informatione non sufficiat, ad tradita a Card. De Luca *De Benef. disc. 45.* Enimvero in casu iuridica probatio omnino deficit ac preces meris assertionibus innituntur. Neque Episcopus mentem suam favore dismembrationis pandidisse, parochus censet. Ex quibus imo et praesumptio defectus legitimae causae non incongrue deduceretur.

Ulterius, ad dismembrationem legitime decernendam parochianorum vocatio fieri debet, teste De Luca *De parochis p. 3, disc. 3, discept. 35, n. 6.* Rota *Recent, p. 13, dec. 29 et 165.* Et quamvis etiam contra eorum votum decretum ferri possit, nihilominus audiendi sunt, num argumenta alicuius ponderis opponere velint contra paroeciae dismembrationem Barbosa ad *cap. 5, sess. 21, De Personal, n. 8,* Monacelli *Form. tom. 1, tit. 2, formul. 7, n. 3.* Verum in casu non,modo totius plebis s. Stephani, sed neque incolarum « de l'Abattoir » sententiam exquisitam fuisse apparet. Quin-

imo in probatis haud est num preces Episcopo et S. C. oblatae sensum maioris et sanioris paroecianorum partis exprimant.

Denique parochus et consilium fabricae s. Stephani petunt a S. C. O. quod si, haud obstantibus iis quae deduxerunt, dismembrationem decernere opportunum videatur, saltem apta compensatio paroeciae suae assignetur. Ut id autem assequi valeant, damna inde obventura enumerant. Quae ut magis perspecta evadant exhibent folium kalendarii dioecesani, in quo auctoritativa populi utriusque paroeciae descriptio his verbis enunciatur: « St. Esprit-population 5152 - « St. Etienne - population 1900. » Porro si per dismembrationem et alii 750 incolae subducantur paroecia s. Spiritus, dum haec fere sex millibus animarum constabit, quem numerum lege civili Galliae pro unaquaque paroecia constitutum fuisse vehementer dolebat Pius VI, Apostolicis Litteris die 10 Martii 1791, paroeciae s. Stephani ultra tertiam partem suae plebis amittet. Hinc vero et aditus, ad postremae huius paroeciae extinctionem patebit, ut animadvertit parochus. Porro in vado posita damni existentia, aequum videretur compensatione aliqua paupertati paroeciae s. Stephani consulere; quod fieri posset vel persoluta aliqua summa pro unica vice, ut in Novarien. *22 Martii 1766,* vel iniuncto onere parocho s. Spiritus annuae alicuius praestationis favore paroeciae s. Stephani, ut factum fuit in Anglonen. *20 Decembris 1704.*

Omnibus itaque perpensis, propositum fuit diluendum

Dubium

An et quo molo locus sit dismembratio >\i regionis de l'Abattoir *civitatis Baionensis, a paroeciali iurisdictione s. Stephani, eiusque anioni paroeciae s. Spiritus in casu?*

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 5 Aprilis 1892 censuit respondere: *Affirmative in o mitibus* (1).

(1) Kecoli possunt relate ad paroeciarum dismembrationem Vol. I, 520, 543; Vol. III, 396, appendix de parochi populique consensu in paroeciarum dismembratione, Vol. XII, 287; Vol. XIII, 60, 289, 293; Vol. XV, 569; Vol. XVII, 100; Vol. XVIII, 315, 595; Vol. XXI, 400, 721: Vol. XXII, 69, 361, 660: Vol. XXIII, 263>, 682: Vol. XXIV. *27.*

TRIDENTINA

DISPENSATIONIS AB IRREGULARITATE

Die 5 Martii 1892.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus Tridentinus, litteris datis die 14 Decembris praeterlapsi anni, ita Supremi Principis benignitatem humiliter deprecabatur:

« Caesar, nuper assumptus inter Alumnos Seminarii theologici Tridentini, vitio manus sinistrae laborat, ita scilicet quod ante aliquot annos ob explosionem pulveris pyrii, articulos manus eiusdem laesos habuerit; unde pollicem indici reliquis ve digitis opponere nequit. Idcirco sacerdotio initiatus missam plane ad amussim rubricarum celebrare sacrasque species duobus prioribus digitis manus ofïensae apprehendere et frangere non posset. Ceterum quod ad substantiam attinet, omnes ritus absque impedimento et deformitate implere commode valeret; habet namque validos digitos indicem et medium, iisque adhibitis, esset idoneus ad universa, quae praescribuntur apte peragenda, et quidem absque populi adstantis admiratione, quum praeter debilitatem et rigiditatem pollici s, manus sit a quavis deformitate immunis; quae omnia experimento et voto caeremoniarii episcopalis, quod heic adiicitur, comprobata sunt. Est autem iuvenis ceteroquin bonae spei, qui utilitati ecclesiae Tridentinae, haec vero multis sacerdotibus indiget, eorumque nunc temporis gravem penuriam patitur, non sine fructu inservire poterit, ut bene coniici potest ex eiusdem vocatione, sat clare et evidenter probata. Quam ob rem praedictus Caesar a Beatitudine Tua demisse et impensissime postulat, ut ab irregularitate secum benigne dispensare dignetur, eum in finem, ut ad ordines maiores ipsumque presbyteratum licite pro tempore promoveri possit; hancque petitionem infrascriptus Episcopus de numero et statu sacerdotum resarciendo sollicitus, suo munit suffragio, quin et humiliter et enixe commendat ».

In adnexo autem caeremoniarii voto, praemissa narrat ione infortunii, quod absque ulla prorsus culpa Caesar passus est, haec quoad peractum experimentum enucleantur : in manu sinistra plena adest nativa vis, excepto pollice. Bene orator defert calicem, eum discooperit ; patenam ad offertorium sustinet ope digitorum indicis et medii ; pariter per eosdem digitos S. Hostiam elevat ; idque ita peragit, ut non cognoscatur, pollicis haud usum fieri. Ad communionem patenam probe sustinet, et bene abstergit interiorem partem digitorum medii ac indicis. Regit facili de modo Pyxidem pro fidelium communione, nullaque apparet deformitas.

Disceptatio Synoptica.

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. Quin referantur vulgatae iuris dispositiones, quibus corpore vitiati ab altaris ministerio repelluntur, adnotare satis sit, dispensationem ab irregularitate, ex defectu corporis, clericis promovendis difficilius tribui solere. Ex praxi enim S. O. C. deprehenditur, illis haud easdem rationes suffragari posse, quae ad gratiam concedendam iam promoto, qui dein irregularis effectus est, sufficiunt. Hinc in Policastren, *diei 21 Martii 1863,* preces cuiusdam Vincentii Balbi, cui loco digiti medii sinistrae manus erat truncus carnosus et indici eiusdem manus una phalanx deerat, licet Ordinarius irreverentiae erga divina et populi admirationis absentiam atque ecclesiae utilitatem testatus esset, dimissae fuerunt responso : *Non expedire.* Quod pariter et alias factum est in similibus prorsus casibus, uti videre est in Pam pilonen. *Dispensationis diei 13 Septembris et 22 Novembris 1856,* in Patavina *27 Aprilis 1861,* in Burgen. *24 Ianuarii 1864* etc.

GRATIA INDULGENDA «VIDETUR. His tamen minime obstantibus, diffiteri nequit exempla afferri posse promovendorum qui S. C. C. etiam in gravioribus irregularitatis adiunctis dispensationem obtinuerunt. Ita in Cephaluden, *diei 16 Iunii 1866* gratia concessa fuit clerico Iosepho Gianni, laevae

manus pollice omnino carenti, et recentius clerico Calderoni in Novarien. *27 Iunii 1891,* quamvis eius dexterae pollici una phalanx ac indici duae phalanges deessent. Ratio igitur dispensationis ex peculiaribus et comprobatis causis, ac praesertim ex Dioecesis bono, petenda videtur; quae omnia num in themate, ex relatis Episcopi litteris, apparerent remissum fuit decernere Emis Iudicibus.

Quibus animadversis, quaesitum est quomodo preces oratoris essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 5 Martii 1892 respondere censuit: *Pro gratia.*

MATRITEN.

COMMUTATIONIS VOLUNTATIS.

Die 21 Maii 1892.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Labente mense Ianuario currentis anni, Augustus Dasnoulet, sacerdos Congregationis SSmi Redemptoris et domorum eiusdem Congregationis in Hispania superior ac visitator, haec in litteris ad SS. D. N. transmissis humiliter exponebat :

« Per scripturam privatam, factam Matriti die 19 Ianuarii anno 1875, sacerdos Andrea Noboa interim defunctus, pro masma sua eraa institutum nostrum benevolentia tradidit nobis publicas syngraphas, valoris nominalis regalium hispanicorum centum et decem millium (110,000) i. e. libellarum ital. 27,500; quae quidem annuum fructum referebant regalium 3,300 seu libellarum 825, ea mente ut a nobis Matriti, sive ab alio sacerdote a nobis deputato, sacra liturgia duceretur in academia sive schola hunc in finem erecta; vel si hoc onus a nobis assumi nequiret, sors illa capitalis cum eodem annexo onere ,sacerdotibus Missionis traderetur a s. Vincentio de Paulo institutis. Quod si talia forent rerum

adiuncta, ut hoc consilium nec a nobis, nec a sacerdotibus Missionis executioni posset tradi, neque huic rei a Revmo Ordinario remedium afferri posset , facultas dabatur nobis servandi sortem capitalem, eiusque fructus impendendi in opera charitatis aut in missarum intentiones. Quo tempore haec nobis donatio facta est, Congregatio nostra in Hispania suppressa adhuc erat ac decennium fere efiTuxit, priusquam reviviscere ibidem potuit. Cum autem institutio praedictae .academiae liturgicae eo modo quo a donatore poscebatur, peragi a nobis non posset, interrogavimus, iam pridem missionarios s. Vincentii Matriti, num ipsi rem in se suscipere vellent. Qui negative responderunt, interrogatus similiter Archiepiscopus Toletanus, qui tunc Matriti Ordinarius erat, idem dedit responsum.

» Quae cum ita sint, humilis orator exponit : vi nostrae regulae, recipi -in domos nostras clericos et sacerdotes qui exercitia spiritualia sub nostrorum directione obire cupiunt, iisque tunc peculiares dari lectiones circa sacram liturgiam et rubricas ; qua de re regulae nostrae volunt, ut sacerdotes nostri in ea materia rite versentur, et statis temporibus inter se academias rubricarum instituant. Quoniam vero in eo sumus ut Matriti ecclesiam et domum a fundamentis erigendas construamus, orator Sanctitatem Vestram supplicat, ut sors capitalis supradicta, quae interea ob temporum calamitates et ne tota perderetur, alio modo investita est,- nuncque nominaliter constat lib. 17,500 quae circiter 500 libellas annuas reddunt, impendi possit in ea parte aedificiorum, quae destinatur excipiendis sacerdotibus et clericis, qui apud nos exercitiis spiritualibus vacare cupiunt ». Huiusmodi preces oratoris, « qui in fundo iam coempto proxime praedicta aedificia constructurus est divina providentia fere unice fretus », moderator generalis Congregationis SS. Redemptoris enixe commendat.

Praeterea et epistola seu privata scriptura sacerdotis Noboa, de qua superius fit mentio , petitioni adnexa fuit, cuius praecipua pars hic referre opportunum ducitur. In ea"

itaque legitur: « Cum in votis habeam academiam seu scholam s. Liturgiae Matriti instituere,. ut necessitati quae ibi deprehenditur subveniatur, tibi mentem meam aperio simul normas indigitans prae oculis habendas in istitutione, cum temporum adiuncta id sinant . . . Normae servandae sunt sequentes: 1. Optimum esset si ipsa Congregatio SS. Redemptoris, cui 'praees, ope nonnullorum sodalium, hoc meum consilium ad effectum perduceret. Quod si id fieri nequeat, nominet eadem Congregatio sacerdotem extraneum, cui aliqua pars redituum assignetur, reservata reliqua parte Congregationi propter curam et vigilantiam, quam semper ipsa adhibere deberet quoad adimplementum huius fundationis. 2. Si Congregatio SS. Redemptoris nullo modo possit academiae fundationem peragere, tunc vos omnes tamquam mandatarios vel delegatos meos constituo ut pecuniae summam a me reficiam, sodalibus Congregationis s. Vincentii a Paulo, qui id iam norunt, tradatis; et hi iisdem facultatibus ac vos muniti, praedictam academiam instituent. Quod cum sit maxime conforme scopo huius instituti, non dubito quin id libentes acceptent. 3. Si vero neque sodales Congregationis s. Vincentii a Paulo onus fundationis velint assumere, expectare poteritis ieraporis opportunitatem, adhibito tamen interim aliquo sacerdote extraneo, ut dixi, quoties id vobis possibile sit. Idem dicatur in casu quo onus academiae instituendae ad sodales Congregationis s. Vincentii a Paulo iam transierit. 4. Non est cur animad vertam, quod circa ea quae necessaria sint Rmum Praelatum dioecesanum consulere debeatis, ut favorem et auxilium praestare dignetur huic operi, quod ad bonum spirituale dioecesis et gloriam Dei promovendam mirifice inservire poterit. 5. Si talia fuerint temporum, adiuncta ut nulla spes instituendae academiae affulgeat, eo quia nec vos, nec sodales s. Vincentii eam erigere possitis, nec aliunde Episcopus remedium aliquod afferre queat, tunc vobis pecuniae summam retinere-fas erit, reditus vero in pia charitatis opera aut in missas a vobismetipsis celebrandas erogabitis. 6. Pro dicta fundatione constituo summam vigin-

tiseptem millium quingentarum libellarum (diez mil reales nominales en titulos dei 3 p. % consolidato) in publicis nominibus, ex quorum reditibus 825 circiter libellarum (3,300 real.), tributa erunt detrahenda. Quod si huiusmodi reditus ex integro non percipiantur, tunc viro ecclesiastico extraneo ad docendum deputato dabitur id omne quod vos inter et ipsum conventum fuerit. Pecuniae sors (ei fondo) manebit penes Congregationem aut vestram aut s. Vincentii a Paulo cum plenissima facultate illam permutandi vel alienandi ut in tutioribus nominibus constituatur. Huiusmodi pecuniae summa vel egomet vobis tradam, vel expresse ut id peragant, haeredibus meis testamentarais praecipiam. Haec omnia absque ulla formula Congregationis vestrae aut Congregationis s. Vincentii a Paulo bonae fidei committo propter fiduciam qua vos prosequor, sperans vos propositum meum accepturus, quod in maiorem Dei gloriam vergit ».

Episcopus Matritensis pro informatione et voto, ceu de more requisitus, haec in sua epistola diei 2 praeter lapsi mensis Martii, S. C. C. significanda existimabat: « Simul ac E. V. litteras inspexi, in primis testimonium ac opinionem exquirendam curavi a superiore sacerdotum s. Vincentii de Paulo, qui et verbo et scripto illico manifestavit mihi, a nemine umquam de re cum sua Congregatione actum fuisse ; immo vero ait, meae familiae individu is consultis, quos consulere oportebat, uno ore omnes tradunt vel ipsammet quaestionis existentiam ignorare omnino. Addit praeterea idem superior impraesentiarum nullo modo donationis acceptationem , de qua agitur suae Congregationi convenire. Ad Archiepiscopum Toletanum quod spectat nihil possum dicere, cum Emus Card. Moreno, qui illa tempestate primatem Hispaniarum cathedram occupabat, non paucis retro annis e vivis migraverit; verumtamen Tuae Eminentiae enarrare non dedignabor apud huius Cancellariae Episcopalis scrinia nec verbum, nec punctum inveniri de asserta responsione negativa. Cum vero in hac nova dioecesi Matritensi-Complutensi, iuxta S. Conc. Tridentini regulas seminarium Matriti ere-

ctum sit, ubi iuvenes quibuscumque scientiarum ecclesiasticarum disciplinis assidue excoluntur, et cum adhuc amplissimum seminar um eximendum sit, cuius aedificationis opera in dies magis ac magis progrediuntur; videtur mihi nullo modo, nullo in loco fundatoris intentionem melius adimpleri posse, quam hocce seminario, creando, videlicet, s. Liturgiae cathedram , quae fortasse ab ipsomet ecclesiae Cathedralis caeremoniarum magistro vel ab alio idoneo poterit pompieri, et unde clerici iuvenes totius dioecesis futuri parochi, tanti pretii disciplinis edocti certo exient ».

Disceptatio synoptica.

His, pauca in iure addenda sunt. Oratoris precibus obstare in primis videtur sanctissimum illud iuris principium quod iubet supremas testatorum voluntates religiosissime implendas esse et ad instar legis habendas , ita ut absque causa iusta et necessaria piae dispositiones, nec in usus evidenter meliores ullimode converti queant ad *cap. 6, sess. 22* Concilii Tridentini. Ferraris *v. Legatum a. 3, n. 69.* ReifTenstuel *111,26, n. 804.* D'Annibale *Summa theol. mor. vol. II, n. 379* etc. Porro in themate apertissima est testatoris voluntas quae sortem pecuniae servandam esse praecipit, quaeque postquam substitutionem sodalium Missionis admiserit, expresse cavit ut si academiae liturgicae institutio, quam animo fundator volutabat ad effectum perduci non posset, reditus ex data summa obvenientes in missarum celebrationem aliaque charitatis opera erogarentur. Causa praeterea quae a Congregatione SS. Redemptoris ad gratiam obtinendam allegatur cum potius quam publicum bonum, privatam petentium utilitatem respicere videatur, atque in detrimentum matritensis Dioecesis vergere possit, minime forsan sufficere ad commutationem voluntatis indulgendam. Nec praetereundum est agi in themate de recenti testatoris lege, quae proinde iuxta S. C. praxim difficilius immutari solet,, ne ceteri a piis fundationibus retrahantur.

Haec omnia vero, saltem ex parte, etiam proposito Episcopi aptari possent, attento praesertim, quod testator Congregationi Missionis Praesidem minime substituit, sed illum dumtaxat ad favorem et remedium in determinatis casibus praestandum, consulendum esse duxit.

Nihilominus ex adverso recolendum est S. C. C. innixam *cap. 6, sess. 22 de Reform.* Concilii Tridentini, millies testatorum voluntates immutasse, ubi pro rerum adiunctis maior adesset utilitas vel iustae causae id suaderent. Iamvero infìciari nequit aedificationem domus ad sacerdotes excipiendos qui exercitiis spiritualibus vacare cupiunt, magnam utilitatem praeseferre, ac in bonum cleri totius Dioecesis Matritensis apprime vergere. Cumque insuper orator exponat patres Congregationis SS. Redemptoris vi suae regulae sacerdotibus et clericis in pium recessum convenientibus peculiares lectiones circa s. Liturgiam tradere solere , etiam testatoris voluntas per gratiae concessionem aliquomodo effectum suum nancisceretur.

Quod autem Episcopum attinet, patet petitionem ab eo porrectam menti pii fundatoris adamussim congruere, ac prudenter praesumi posse quod si ille modo in vivis esset, in hisce rerum adiunctis assensum suum commutationi praebuisset. Ceterum ad rem monet Schmalzgrueber *III, tit. 26, n. 208:* « Si legatum relictum certo loco ad illum applicari non possit, tunc legata pia ita implenda sunt, ut quam minime recedatur a voluntate testatoris ».

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re visa, sub die 21 Maii 1892, censuit respondere: *Negative et ad mentem.*

COMPOSTELLANA

CONCURSUS

Die 5 Martii 1892.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Archiepiscopus s. Iacobi de Compostella de conformitate praxis inibi vigentis in paroeciarum provisione legibus Tridentinis aliquantulum anceps, iudicium, quod omne dubium removere valeat, exquirere satagit. Exposuit itaque : « In mentem se habere concursus ad parochias vacantes in hac Archidioecesi propediem indicere, et ad effectum perducere secundum sacros Canones, et disciplinam pro Hispania stabilitam ». Iuxta vero hanc disciplinam, « Episcopi indicunt concursum publicum et generalem, ut provideant simul pluribus parochiis, non solum vacantibus, sed vacaturis : nam ex concurrentibus approbatis proponunt Regio Patrono *terniones ;* deinde capta possessione a propositis, novi proponuntur terniones, ad parochias quae proveniunt vacantes, ex primis ternionibus *(primeras propuestas),* vel quae morte aut alia de causa canonica interim vacaverunt. Et adhuc successive fiunt alii terniones *(terceras propuestas)* ».

Huiusmodi autem agendi rationem inniti memorat art. 26. Concordati inter R. P. Pium IX s. m. ac Hispaniarum reginam anno 1851 initi, qui ita se habet : « Parochiis omnibus absque ullo prorsus ad loca, classes, et vacationis tempus respectu, providebitur publico indicto concursu, servata norma a Sacro Concilio Tridentino praescripta, eiformatisque per Ordinarios ternionibus ex concurrentibus approbatis, qui ad Maiestatem Suam deferentur, ut inter propositos nominare queat ».

Porro haec praxis, quamvis ibi Tridentinis legibus conformis enuntiari videatur, haud tamen in omnibus S. Synodi menti cohaerere, ut iam innui, Archiepiscopo apparet. Recolit enim in eadem Tridentina Synodo *Sess. 24, c. 18*

praecipi : « ut peracto examine renuntientur' ab examinatoribus quotcumque ab ipsis idonei iudicati fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis. Examinatores, pergit Antistes, in casu nequeunt iudicare de idoneitate concurrentium relate ad determinatam parochiam, quia nesciunt ad quam unusquisque adspiret, ex pluribus vacantibus, et iudicium debet ferri antequam Episcopus efformet terniones; Episcopus autem non potest in ternionibus quoscumque voluerit, sed quos magis idoneos iudicaverit inter eos, qui post approbationem obtentam, determinatis et sibi benevisis parochiis subscripserint ». Ut igitur Archiepiscopus in tam gravi negotio tuto valeat procedere, authenticam interpretationem exposcere opportunum ducit atque dubium proponere: « An ad implendam praescriptionem Tridentini, sufficiat illa examinatorum approbatio indeterminata superius descripta, nempe ad aliquam ex parochiis vacantibus vel vacaturis >.

Disceptatio Synoptica.

PRAXIS REIICIENDA VIDETUR. Itaque in primis animadverti posset approbationem illam indeterminatam pro cuiuslibet paroeciae etiam futura vacatione, tam in litteram quam in spiritum Tridentinae legis impingere. Sane sive verba Synodi *loc. cit.,* sive posteriores Romanorum Pontificum Constitutiones, nempe S. Pii V *In conferendis IS Martii 1567,* Clementis XI *10 Ianuarii 1721,* et Benedicti XIV *Cum illud 14 Decembris 1742,* expendantur, aperte colligitur in paroeciarum provisionibus semper determinatam, scilicet ad vacantem ecclesiam examinatorum approbationem requiri. Et re quidem vera, S. Tridentina Synodus non modo, ut etiam Compostellanus Archiepiscopus innuebat, exigit ut peracto examine renuntientur quotcumque idonei iudicati fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis, sed iam antea praescripserat Episcopis ut statim, habita notitia vacationis ecclesiae, idoneum vicarium constituerent et solum postea pro-

cedere ad concursum deberent. Ita pariter s. Pius V in *cit. Const.* statuebat « occurrente vacatione parochialis ecclesiae episcopus, habita notitia vacationis ipsius... procedat ad concursum ». Quae prorsus etiam occurrunt apud Bened. XIV *in cit. Const.*

Sed praeterea et spiritus legis, qui tamquam anima totius canonicae dispositionis habendus est, his accedere videtur. Siquidem idcirco concursus praescribitur, quia « expedit maxime animarum saluti a dignis atque idoneis parochis gubernari ». *Trid. loc. cit.* Porro huiusmodi finem, qui per approbationem ad determinatam ecclesiam apprime obtinetur, plerumque vigens in Hispania praxis frustraretur. Contingere enim optime posset ut, qui idoneus iudicaretur ad aliquam in genere regendam parochiam, talis haud tamen sit relate ad illam, cui reipsa providendum est. Quam Tridentini mentem insuper et mos fere omnium Dioecesum explicavit, eumque legitimum esse S. C. C. constanter tenuit.

Quoad vero concordati legem observari posset, eam undequaque claram in supposito articulo minime apparere, cum propria verba ad reservationes et affectiones, potius quam ad modum terniones efformandi forsan referri possent. Nec, uti vulgatum-est, observantiam opportune invocaretur, sive quia de Tridentina lege agitur, sive etiam quia ex iis esset quae ab Innocentio III in *Cap. 5 et 7 De Consuet.* reprobantur.

PRAXIS PROBANDA VIDETUR. Nihilominus ex adverso perpendendum est, quod licet praxis in Hispania inolita tridentinis sanctionibus adamussim conformis haud videatur, attamen rationum momenta non deficiunt quibus illa cohonestan valeat.

Praemittendum est idem et in aliis regionibus in more positum esse, ac praesertim in Germania, quin tamen aliquis hanc agendi rationem ceu iuri contrariam quoad sciam improbaverit. Audiatur sane De Angelis *Praelect. Iur. Can. Ubi 3, tit. 5, n. 22 I. c.* In Germania non applicatur lex concursus qualibet vice, qua beneficium parochiale est vacans:

ei tamen ob tempera tur per concursus generales, semestrales et annuales, in quibus renunciantur quotquot idonei sunt ad curam animarum... Hic modus obtemperandi legi concursus, fundamentum habet in ultimis verbis *Cap. 18, Sess. 24 Conc. Trid.* - ibi - « Licebit etiam Synodo Provinciali, si qua in supra dictis circa examinationis formam addenda remittendave esse censuerit providere ».

Si igitur praxis in themate introduci valuit in Germania per Synodos Provinciales, quin legi Tridentinae vulnus inferretur, eo magis inolescère potuisset dicendum est in Hispania per concordati legem. Concordatum enim ex Summi Pontificis auctoritate, legem exhibere observatu dignissimam nemo est qui ambigat, idque valere etiam in casu, quo illa deroget iuri communi ; a fortiori autem id tenendum esse patet si illi non deroget, sed tantummodo explicet, ut in casu de quo agitur contingere videtur.

Concordatum porro initum anno 1851 Pium IX f. r. inter et Hispaniarum Reginam , hanc praxim praescribere ex allato articulo 26 satis eruitur. Etenim ibi cavetur paroeciarum provisiones fieri quidem debere publico indicto concursu et servata norma Synodi Tridentinae, verum haec peragenda esse « absque ullo prorsus ad loca, classes et vacationis tempus respectu ». Quae licet undequaque perspecta non essent, suffragari et observantia posset, si non tamquam novam legem inducens, saltem uti praefati articuli interpretativa.

Tandem ad argumentum ab Archiepiscopo allegatum, scilicet non posse examinatores iudicare de idoneitate relativa examinandorum ad determinatam paroeciam, reponi posse videretur; primum, eiusdem pondus haud tale esse quod valeat legem Concordati infringere; secundo ab Archiepiscopo defectum illud suppleri posse, habendo, in ternionibus conficiendis, respectum ad idoneitatem cuiusque relate ad peculiarem ecclesiam.

Quibus praenotatis, quaesitum est quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. Congregatio sub die 5 Martii 1892 censuit respondere : *Iuxta exposita Archiepiscopus acquiescat.*

LUCANA

PAROCHIALIS-

Die 21 Maii 1892.

Sess. 25 cap. 9 De reform..

COMPENDIUM FACTI. Vicaria curata pagi Pontemazzori prope oppidum Camaiore in Lucana dioecesi, 300 circiter incolis et 75 familiis coalescit, atque perpetuo unita est paroeciae Montismagni, cuius rector vicarium perpetuum ab Ordinario approbandum eligit, eique annuam solvit pensionem.

Iam usque a remoto tempore inter oppidânos graves ibi enatae sunt quoad paroeciae sedem dissensiones. Contendebant enim aliqui vicarium curatum residere, ac sacras functiones peragere debere in ecclesia s. Andreae humili loco in valle posita, dum ceteri e contra aliam ecclesiam s. Laurentii in aprico colle assurgente m paroecialem esse tuebantur. Vicarius generalis Lucanus Paulinus Dinelli, die 18 Aprilis 1833, decretum promulgabat ita incipiens : Cupientes finem imponere controversiis et simultatibus, audito consilio R. Congregationis Synodi, resolvimus et constituimus ea quae sequuntur; nimirum, ut in quibusdam solemnioribus diebus idest Nativitatis D. N. I. C, Circumcisionis, Epiphaniae, Dominicae Palmarum, Paschatis, Ascensionis etc. sacrae functiones agerentur in templo s. Andreae; vicissim vero nox Nativitatis Domini, maior hebdomada, solemnitas Pentecostes etc. nec non Missae paroeciales, vesperae, aliaeque functiones omnes quae pabuli spiritualis animarum gratia fieri solent' celebrarentur in templo s. Laurentii. Cum autem huiusmodi decreto robur potestatis civilis ducatus Lucani accessisset, effectum statim nancisci atque brevem animorum concordiam restituere potuit-

Hoc autem tempore invenimus vicarium residere ad s. Laurentii, ibi SS. Eucharistiam asservari et plura administrari sacramenta; matrimonia vero modo in una, modo in altera ecclesia, iuxta singulorum voluntatem et devotionem celebrari: sed vicissim funera semper agi in templo s. Andreae, quippe coemeterio proximum. Commemorandum praeterea est hoc idem templum continentibus aedibus pro parochi habitatione tunc prorsus caruisse, easque initio anni 1884, Archiepiscopo consentiente, aere familiae Giannini fuisse extractas.

Ne taedio EE. PP. afficiam, varias praetereo causas, quae recenter lites inter paroecianos quoad vicarii sedem resuscitasse videntur. Satis enim est recolere in S. C. C. die 2 Aprilis anni 1887 (1) disputatum fuisse dubium: *An sit locus translationi sedis parochialis ad ecclesiam s. Andreae, seu potius standum sit dispositioni vicarii Dinelli anni 1833;* -et licet Ordinarius et rector Montismagni translationi faverent, propositam quaestionem dimissam fuisse ¿responso : *Negative ad primam partem, affirmative adjsecundam.* Quae •confirmata denuo fuere in plenariis comitiis diei 10 Septembris eiusdem anni 1887, cum formula: *An sit standum vel recedendum a decisis in casu.* EE. PP. rescribere placuit: *In decisis et amplius.*

Verum interea parochus Carolus Dini qui pro aris et focis contra propositam translationem dimicabat, adeo in contradictorum odium incidit, ut pluries eius vita in extremum discrimen adducta fuerit. Quibus sceleribus cum ulteriores minae adiicerentur, parochus Dini quieta mente numquam consistens nec ministerium suum absque periculo exercere valens, a S. C. veniam postulabat derelinquendi servitium paroeciae, absque paroeciae renuntiatione; ita ut frui valeret reditu scutorum centum ex dicto beneficio promanante. Exponebat praeterea se 33 annos paroeciale munus exercuisse, modo vero infirma plerumque valetudine et senio confectum

<1) Belata fuit quaestio Vol. XX, 41.

esse, neque alia media ad honestam sustentationem habere. Statim Archiepiscopus rogatus fuit ut informationem et votum transmitteret, simulque de annuo reditu et oneribus beneficii S. C. C. doceret. Praesul vero morem gerens omnia a parocho exposita plene confirmabat atque legitimae causae illius preces inniti profitebatur: ast reservationi fructuum aut cuiuscumque pensionis, attenta beneficii inopia, obstabat omnino. Etenim recolebat ab eodem Vicario curato in Sacra Visitatione anni 1887 redditionem rationum bonorum paroeciae fuisse exhibitam, ex qua desumebatur annuos reditus vix libellas 600 pertingere, onera vero libellas 300 excedere. Nihilominus die 23 Decembris 1889 ex audientia SSmi rescriptum prodiit : *Pro facultate resignandi enunciatum beneficium paroeciale, reservata favore parochi resignatarii annua pensione libell. 200 super reditibus beneficii, donec aliter provideatur, arbitrio Archiepiscopi, qui durante pensione, novum parochum dispensare poterit ab applicatione missarum pro populo, exceptis diebus solemnioribus.* Post haec sacerdos Dini e pago Pontemazzori discessit, atque infelix paroecia suo pastore viduata et quolibet sacerdotali ministerio destituta remansit.

Die 13 Novembris 1890 ad S. O. C. preces quorumdam patrum familias loci Pontemazzori provenerunt, in quibus, remedium aliquod miserae eorum conditioni efilagitabatur, simulque in culpam omnium malorum illi adducebantur, qui translationem residentiae parochialis ad aedem s. Andreae postulabant vel fovebant.

Verumtamen die 15 eiusdem mensis Novembris, Archiepiscopus e contra haec S. C. O. significabat: sese studuisse ut mitteret presbyterum ad administranda sacramenta animabus illius paroeciae, sed frustra studium adhibitum ad hoc fuisse propter redituum exiguitatem, et malorum minas. Mitterem, prosequitur, sacerdotem, ad discrimen faciendum, apud ecclesiam s. Andreae, sed obstat decisio S. O. C. quae iubet parochum e Pontemazzori residentiam habere apud s. Laurentium. His litteris praeterea allegata erat declaratio a quin-

que ex vicinioribus parochis conscripta, qua confirmantur difficultates maximae sacerdoti imminentes, qui apud s. Laurentii ecclesiam permanere deberet.

Disceptatio Synoptica.

Adnotandum est neque ab Archiepiscopo, neque a rectore Montismagni, neque demum ab aliis qui anno 1887 translationi sedis paroecialis favebant, petitionem pro merito illius causae iterum expendendo S. C. fuisse porrectam. Nihil enim ab his ulterius deductum fuit, praeter ea quae totidem verbis ex Archiepiscopi litteris depromptum fuit. Ibi autem, licet residentiae vicarii translatio tamquam possibile malorum remedium indigitari videatur, attamen nonnisi generice provisio aliqua in difficillimis rerum adiunctis exposcitur.

Qui vero translationi obstant ius suum in tuto positum vi reiudicatae tuentur, neque huic ob quorumdam audaciam detrimentum esse afferendum observant. Eo vel magis quod ex incolis, qui totius paroeciae plebem constituunt, 260 proximiores sunt ecclesiae s. Laurentii et tantum 71 ecclesiae s. Andreae.

Quibus expositis, propositum fuit diluendum

Dubium

An et quomodo providendum sit in casu?

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 21 Maii 1892 censuit respondere: *Archiepiscopo cum facultatibus omnibus necessariis et opportunis, ut per modum provisionis transferre possit Vicarii curati residentiam ad ecclesiam s. Andreae, quatenus in Domino expedire iudicaverit.*

EX S. CONGREG. EPISC. ET REG.

O AL ARIT ANA

IURIUM

COMPENDIUM FACTI. Christina Caboni ex oppido vulgo Serramanna, Dioecesis calaritanae, sub die 20 augusti 1891 supplici oblato libello, S. C. EE. et RR. adivit referens, familiam Caboni per centum circiter annos usque ad nuperrime haec tempora, absque interruptione, iure potitam fuisse retinendi aediculae clavim, in qua simulacrum sanctae Mariae a Monserrato dictae asservatur, nec non illud propriis monilibus ornandi in pervigilio festi, quod in singulis annis, die 8 septembris recurrente, celebratur.

Retulit quidem huiusmodi clavim uxoribus Sociorum cuiusdam Sodalitii datam fuisse quod vertente anno 1889, in praedicto oppido institutum fuerat, eisque facultatem quoque indultam fuisse B. Virginis simulacrum ornandi.

Quod aegre ferens Christina, recursum porrexisse ait Curiae episcopali, quae sub die 10 augusti 1889 nihil innovandum esse decrevit.

Verum, cum, non obstante huiusmodi decreto, sociorum uxores, Virginis simulacrum ornare perrexissent, Christina novum recursum contra huiusmodi agendi rationem Curiae episcopali obtulit.

Ad haec Vicarius generalis controversiam examini iterum subiicere statuit, perpensisque rationum momentis, tum a Christina, tum a Sodalitii confratribus adductis, decreto diei 20 iulii 1891 praecedentem dispositionem revocavit, decernens, ut ex hac die aediculae clavis a Parocho iugiter asservaretur, hac tamen adiecta clausula, ut recurrente B. Virginis festi pervigilio eam Sodalitii Praesidi traderet, onere huic imposito, ut ipsam post festi celebrationem ipsi Parocho restitueret.

Christina rei novitate perculsa ad S.C. Episc, et Regul. confugit petens, ut huiusmodi Vicarii generalis decretum quovis firmitatis robore destitutum renunciaretur.

Disceptatio Synoptica.

QUAE CHRISTINAE FAVERE VIDENTUR. Quod familia Caboni, observantia plusquam sexagenaria et fere centenaria usque ad annum 1889 iugiter et ulla absque oppositione ius exercuerit retinendi clavim aediculae, in qua simulacrum B. Virginis de *Monserrato* asservatur, nullatenus ambigi posse videtur. Hoc siquidem asserit Christina Caboni, ipsique chorum agit sacerdos Lai, qui testatur, ab anno 1853 clavim a Christina iugiter retentam fuisse.

Hoc in vado posito, sponte sequitur, Christinam huiusmodi iure expoliari non posse. Quandoquidem scitum in iure est huiusmodi observantiam nedum vim legis habere, verum etiam tantae efficaciae esse, ut quamlibet legem abrogare valeat, dummodo, ceu in praesenti casu contingit, irrationabilis haud sit. *Cap. ult. de Consuet.* Felin. *in Cap. 1, n. 13 de fren.* ReifTenst. *lib. 1. Decret, tit. 4, n. 105.* Imo nedum iustum* titulum favore , allegantes, De Luca *disc. XCI, num. 16 de Benef.,* sed etiam privilegium vel beneplacitum Apostolicum praesumere facit, ceu docet idem De Luca *disc. 1, n. 88 ; disc. 15, num. 9; disc. 16, n. 12 de Alien.; disc. 10, nam. 1 de Parodi.* In linea vero *praescriptiva,* observantia, quae quadragenalis sit, litibus finem imponit et quamcumque actionem extinguit, *leg. 4 Cod. de praescript. 30 vel 40 annorum:* ibi: « nullum ius privatum vel publicum in quacumque causa vel quacumque persona, quod quadraginta annorum extinctum est iugi silentio, moveatur ». Iuri Iustinianeo amico foedere concinit ius Pontificium *in cap. 6 Decret, de Praescript.* ubi haec scripta leguntur, ibi: « Quadragenalis praescriptio omnem prorsus actionem extinguit ».

Quin regerere valeat favore Christinae non 40 sed 30 annorum praescriptionem in themate militare: idque ex sa-

cerdotis Lai depositione argui. Quandoquidem observandum, occurrit, in praescriptionibus 30 annorum observantiam, eamdem vim habere ex *leg. 3 cod. de praescript. XXX vel XL annorum,* ibi : « Sicut in rem speciales, ita de universitate ac personales actiones ultra triginta annorum spatium minime protendantur, sed si quae res vel ius aliquod postuletur : vel persona qualicumque actione, vel persecutione pulsetur: nihilominus erit agenti triginta annorum praescriptione tuenda ».

Quin imo in subiecta materia, cum de observantia non *contra ius,* sed *praeter ius* agatur, observantiam nec quadraginta vel triginta annorum requiri, sed satis esse decennalem consuetudinem ad praescriptionem inducendam, tradit De Luca *Disc. XXX, num. 17 :* « Ista vero consuetudo non exigit immemorabilem vel quadragenariam cum titulo putativo, seu eius famam eo modo quo requiritur in iis quibus ius resistit, et cum quo praesupposito in huius causae decisionibus proceditur, quoniam id non est contra, sed praeter ius, et consequenter sufficit decennalis ».

Posito autem quod in vim tam diuturnae observantiae ius retinendi aediculae clavim Christinae tribui debeat, a fortiori, ius ornandi B. Virginis simulacrum, ob hanc rationem ipsi tribuendum esse videtur. Siquidem, tum e sacerdotis Lai depositione, tum ex Archiepiscopi Calaritani informatione, tum denique ex supplici ipsius Christinae libello manifestum erumpit, praedictum B. Virginis simulacrum usque ad annum 1889 a Christina singulis annis iugiter ornatum fuisse.

Sane sacerdos Lai, qui ab anno 1853 in oppido *Serramanna* degebat, ad rem percontatus testatur, quod Christina *vestiva il simulacro.* Cui concinit Archiepiscopus, qui in suis uteris informatoriis de hac re verba faciens, asserere haud dubitat : *questo si fece sempre dalla Caboni.* Nec aliter se exprimit ipsa Christina, quae insuper addit hoc ipsum nedum ab avia, sed etiam a proavia iugiter peractum fuisse. Idipsum arguitur ex depositionibus tum parochi Vidili, tum

canonici Lussu, qui per 25 circiter annos parochiae praefuit. Idipsum tandem scatet ex decreto Curiae episcopalis diei 10 augusti 1891, ubi Vicarius generalis statuit, ut parochus clavim Christinae tradere deberet, eum in finem, ut ipsa ante diem festum, B. Virginis simulacrum ornare valeret.

Cum igitur ex facto constet, quod Christina B. Virginis simulacrum iugiter ornaverit, sponte sua fluit hoc ius ipsi competere; ideoque nullum atque irritum declarandum esse decretum, quo Vicarius generalis hoc iure ipsam expoliavit et ad uxores transtulit sociorum novi Sodalitii, quod ante annum 1889 hoc ius nunquam exercuerat.

QUAE CHRISTINAE OBSTARE VIDENTUR. Ex adverso Archiepiscopus animadvertit, quod Christina perperam petit, ut aediculae clavis sibi restituatur, ex eo quod ipsa asserit quidem, sed non evincit, hoc ius ex observantia plusquam sexagenaria sibi conpetere. Iamvero tralatitii iuris est, actore non probante, reum absolvi. De Luca *disc. 2, num. 17 de iudic,* ibi : « Praecipuus autem, omniumque maior effectus est ille circa onus probationis, quod actori incumbit... quo perfecte et concludenter non probante id, quod est suae actionis vel intentionis fundamentum, reus absolvitur ».

Quin in aliquo pretio haberi debeat sacerdotis Lai depositio, tum quia est testimonium unius testis, quod nullam vim in iudiciis habet, ex nota iuris regula : *unus testis, nullus testis;* tum quia, ut Archiepiscopus observat, sacerdos Lai duo inter se maxime diversa confundit, nempe factum retinendi aediculae clavim cum facto B. Virginis simulacrum ornandi.

Hoc siquidem a Christina iugiter peractum fuisse Archiepiscopus asserit; sed de facto retinendi aediculae clavim aliter dicendum esse contendit.

Ceterum Christinae dicta asserentis , ius sibi competere retinendi aediculae clavim, eamque a suis maioribus iugiter retentam fuisse, falsitate laborare, tam ab actuali parocho Vidili, quam ab eius praedecessore canonico Lussu, Archiepiscopus evinci posse contendit. Uterque siquidem testatur,

quod aediculae clavis iugiter penes parochum asservabatur, -a quo Christinae eam petenti, ante diem B. Virginis festum, singulis annis tradebatur. Imo canonicus Lussu addit quod huiusmodi clavis non ex iure, sed ex quadam tolerantia Christinae quotannis dabatur.

Neque de ipsorum depositionum veritate ullo pacto dubitare fas esse Archiepiscopus urget, praesertim vero de canonici Lussu testimonio, quippe qui per 23 annos et ultra paroeciae praefuit.

Cum igitur haud constet aediculae clavim a Christinae avia ac proavia, eiusque matre ac ab ipsa, usque ad annum 1889, asservatam iugiter fuisse. Cum e contra in probatis •sit, huiusmodi clavim penes parochum reperiri, qui Christinae eam petenti quotannis tradebat: quisque ingenio suo facile percipit in pleno firmitatis robore manutenendum esse Vicarii generalis decretum statuentis, ut aediculae clavis penes parochum in posterum remanere deberet.

Neque aliter dicendum esse Archiepiscopus contendit de altero decreti puncto, vi cuius statutum fuit, ut Christinae loco pium Sodalitium ius ornandi B. Virginis simulacrum exercere valeret; idque tribus de causis. 1. Quia Lai, Christinae maritus, est *uomo maligno ed evitando. 2.* Quia pium Sodalitium tam de Cappella, in qua B. Virginis simulacrum asservatur, quam de ipso simulacro est optime meritum. 3. Quia si pium Sodalitium ex arena victum discederet, de ipsius Sodalitii nec non de Cappellae ac de B. Virginis cultu iam actum esset. Quandoquidem nihil boni a familia Caboni sperari potest, cum ipsa extrema egestate laboret. Et hanc fuisse praecipuam causam Archiepiscopus urget, ob quam decreto 29 iulii 1.891 Vicarius generalis iussit, ut B. Virginis simulacrum ex hac die a pio Sodalitio ornaretur.

Quibus ex utraque parte delibatis, propositum fuit diluendum sequens

Dubium

An et cui competat ius retinendi aediculae clavim, in qua simulacrum B. Virginis di Monserrato *asservatur, nec non praedictum simulacrum ornandi in pervigilio festi, quod die 8 septembris celebratur in casu?*

RESOLUTIO. S. O. Episc, et Regul., re discussa, sub die 18 martii 1892 proposito dubio respondere censuit : *Ad auctoritatem ecclesiasticam, et ad mentem. Mens est: Ordinarius curet rem componere.*

DUBIA circa decretum « Quemadmodum » (1).

Beatissime Pater,

In Decreto a S. Congregatione Episcoporum et Regularium die 17 Decembris praeteriti anni 1890 edito, haec verba leguntur : « Sanctitas Sua Praesules Superioresque admonet, ne extraordinarium denegent Confessarium quoties ut propriae conscientiae consulant ad id subditi adigantur, quin iidem Superiores ullo modo petitionis rationem inquirant, aut aegre ferre demonstrent ». Quibus verbis haec subsequuntur: « At ne evanida tam provida dispositio fiat, Ordinarios exhortatur, ut in locis propriae Dioeceseos, in quibus mulierum Communitates existunt, idoneos Sacerdotes facultatibus instructos designent, ad quos pro sacramento Poenitentiae recurrere eae facile queant ». Omnibus perpensis, necnon sanctae Apostolicae Sedis patefacto proposito nullum infligendi vulnus disciplinae de Confessariis ordinario et extraordinario, Episcopo Malacitano sequentia eveniunt dubia,, quae ipse sacrae Congregationi solvenda submittit.

I. Quis sub nomine Praesulis vel Superioris, cuius est subditis concedere vel denegare Confessarium extraordinarium, intelligitur? An ipse qui ordinarium Confessarium deputa vit, vel potius qui domui praeest, sive vir sit, sive femina?

(1) Retuli decretum hoc Vol. XXIII, 505.

IL Cum ex Decreto Superior, quicumque sit, nequeat Confessarium extraordinarium denegare, immo nec aegre se ferre petitionem demonstrare, teneturne subditi precibus semper indulgere, quamvis plane videat necessitatem esse fictam et vel scrupulis, vel alio mentis defectu, ut veram ab ipso petenti apprehensam?

[III. Praesul, qui ex dictis Confessarium extraordinarium subdito concedit, designare debet in unoquoque casu nominatim personam ipsius Confessarii, vel idem Religiosus eligere poterit, inter diversos ab Ordinario deputatos, qui hoc sibi munus impleat?

In eodem allato Decreto hoc praeceptum invenitur: « Quoties ob fervorem et spiritualem alicuius profectum Confessarius expedire iudicaverit, ut frequentius quam diebus statutis in propriis regulis accedat Religiosus ad sacram Synaxim, id ei ab ipso Confessario permitti poterit».

Cum vero in pluribus Constitutionibus, Apostolica Sede approbatis, non tantum certae statuantur dies, ut Religiosi ad sacram mensam accedant, verum explicite vetetur ne ultra praefatas dies ipsi Religiosi Communionem accipiant, veluti de Monialibus Discalceatis Sanctae Mariae de Monte Carmelo constat, sequens oritur dubium:

Utrum Constitutiones quarumdam Familiarum religiosarum, quibus vetatur ne Moniales sive Religiosi Sacram Eucharistiam recipiant ultra certas et statutas dies, abrogatae fuerint in hoc capite Decreto 17 Dec. 1890, ita ut eis non obstantibus liceat Confessario frequentiorem accessum suis Religiosis poenitentibus concedere, vel adhuc post memoratum Decretum in vigore maneant?

Et Deus, etc.

Sacra Congregatio Erñorum Rmorum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, propositis dubiis respondendum censuit prout respondet:

Ad I. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Ad II. *Affirmative; sed subditi moneantur non posse extraordinarios Confessarios petere, nisi ad id adigantur ut propriae conscientiae consulant.*

Ad III. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Quo vero ad postremum dubium, quod frequentiorem ad S. Synaxin accessum quam diebus statutis in propriis regulis respicit, *abrogatas eensendas esse Constitutiones, quibus vetatur, ne Moniales sive Religiosi Sacram Eucharistiam recipiant ultra certos et statutos dies.*

Romae, 17 Augusti 1891.

I. Card. VERGA, *Praefectus.*

Fr. ALOYSIUS, EP. CALLINICEN., *Secr.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DECRETUM *Urbis et Orbis,* **quo constituitur, festum s. Ioseph, si occurrat in Dominica Passionis, transferri in feriam secundam immediate sequentem; et si occurrat in maiorem hebdomadam reponi in feria quarta post Dominicam in albis, tanquam in sede propria.**

Ex quo Summus Pontifex Pius IX. beatum Ioseph, purissimum Deiparae Immaculatae Virginis sponsum atque Christi Domini Salvatoris nostri putativum patrem, universae Catholicae Ecclesiae Patronum constituit, antiqua Christifidelium pietas erga ipsum inclytum Patriarcham mirifice aucta est. Haec porro pietas, nova veluti addita flamma, ferventius exarsit postquam Sanctissimus Dominus Noster LEO PAPA XIII. per suas encyclicas litteras, sub die xv. Augusti anno MDCCCLXXXIX. datas, gloriosi eiusdem Patriarchae dignitatis praestantiam et validissimum apud Deum patrocinium celebravit, atque erga caelestem Patronum devotionem cohortationibus favoribusque inter fideles fovere subinde non destitit. Hinc factum est, ut ad Apostolicam Sedem undique transmissae sint postulationes, quo amplioris in sacra liturgia cultus honores beato Ioseph tribuerentur.

Iamvero Sanctitas Sua, etsi de his supplicibus votis sibi de. latis summo afficeretur gaudio, utpote quae populorum in dies succrescentem devotionem referrent; nihilominus eumdem Sanctum Patriarcham potiori liturgico cultu, qui ordinem immutaret iamdiu in Ecclesia sapientissime praestitutum, ditare minime censuit.

Verumtamen quum saepe saepius illius Festum xiv. Kalendas Aprilis affixum, ob occursum Dominicae Passionis, vel Hebdomadae Maioris ea die recoli nequeat, ac proinde eius celebratio iuxta rubricas aliquando nimium protrahenda sit, ne id in detrimentum vertat singularis illius obsequii, quod suo caelesti Patrono universus Catholicus Orbis una simul exhibeat; Sanctitas Sua, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, statuit ut iis annis, quibus praefatum Festum occurrerit in Dominica Passionis, transferatur in Feriam secundam immediate sequentem, et quoties inciderit in Maiorem Hebdomadam, reponatur in Feria quarta post Dominicam in Albis, tamquam in sede propria: servato rubricarum praescripto quoad translationem festorum iisdem diebus occurrentium.

Hoc autem decretum promulgari, atque in rubricis Breviarii ac Missalis Romani adiici praecepit. Die xv. Augusti MDCCCXCII.

C CARD. ALOISI-MASELLA *S. R.* C. *Praefectus.*

L. & S.

Pro R. P. D. VINCENTIO Nussi .*S. R. C. Secretario.*

IOANNES PONZI *Substitutus.*

SPALATEN. Dubia quoad benedictionem fontis baptismalis.

Rmus Dnus Philippus Franciscus Nakic Episcopus Spalaten. Sacrae Rituum Congregationi humillime quae sequuntur exposuit: « In Dioecesi Spalatensi antiqua viget consuetudo in Sabbato Sancto et in Vigilia Pentecostes fontem baptismalem benedicendi tantum in Cathedrali, Concathedrali, Collegiata et nonnullis praecipuis parochialibus Ecclesiis; pro usu vero fontium baptismatum reliquarum Ecclesiarum parochialium defertur aqua benedicta ex memoratis Ecclesiis. Eiusmodi consuetudo, minime consentanea ritualibus praescriptionibus, repetenda probabiliter est ex eo quod olim istae Ecclesiae parochiales fuerint succursales illarum, in quibus aqua baptismalis benedicitur: et ex eo quod in nonnullis parochiis ob defectum ministrorum, quia fideles in memoratis diebus ad Ecclesiam non accedunt, solemnis benedictio difficulter perageretur ». Idem Rmus Episcopus, hisce expositis, a Sacra Rituum Congregatione declarare petiit :

I. An ista consuetudo ulterius toleranda sit?

IL An benedictio fontis, in casu quo fideles non accedant ad Ecclesiam diebus statutis, privatim absolvenda sit?

Et Sacra eadem Congregatio,, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisi toque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita hisce dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad L *Negative;* exceptis, si adsint, specialibus ac determinatis iuribus circa Ecclesias matrices.

Ad II. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit ac declaravit die 17 Iunii 1892.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA PRAEF.

VINCENTIUS NTJSSI, *Secretarius.*

METEN. Dubia quoad symboli recitationem.

De mandato Rmi Dñi Episcopi Meten, hodiernus Redactor Calendarii Dioecesani Sacrae Rituum Congregationi insequentia Dubia pro opportuna resolutione humillime subiecit, nimirum :

Dubium I. Invaluit usus Symbolum recitandi in Festo, ritus duplicis maioris, Inventionis S. Stephani, sive in Ecclesia Cathedrali, quae sub eiusdem Sancti invocatione dedicata est, sive in tota Dioecesi, in qua uti Patronus die 26 Decembris rite colitur.

Potestne hic usus servari?

Et quatenus *Negative,* petitur ut, attenta consuetudine, in tota Dioecesi Symbolum recitari queat die 3 Augusti.

Dubium II. Utrum Missa votiva Sacratissimi Cordis Iesu, per Decretum diei 28 Iunii 1889 concessa pro ea feria VI, quae prima in mense occurrit, habenda sit ut votiva pro re gravi, etiam si dicatur sine cantu, attenta praesertim dignitate festorum, in quibus haec Missa conceditur: an potius habenda sit ut votiva privata sine *Gloria* et sine *Credo,* cum omnibus Collectis a Rubrica praescriptis?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. *Pro gratia, facto verbo cum SSmo.*

Ad II. *Detur recens Decretum in una, Montis Politiam,* 20 Maii 1890 (1). Atque ita rescripsit die 20 Maii 1892. Facta postmodum Sanctissimo Domino nostro Leoni Papae XIII per infrascriptum Secretarium relatione de primo Dubio, Sanctitas Sua resolutionem Sacrae ipsius Congregationis benigne approbare dignata est. Die 22 Iunii, anno eodem.

* CAI. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. PRAEF.

VINCENTIUS NUSSI, *Secretarius.*

LAUDEN. Dubia quoad sacra indumenta, altaria portatilia, et alia.

Rmus Dnus Ioannes Baptista Rota Episcopus Lauden, animadvertens in Pastorali Visitatione, quod in pluribus Dioeceseos sibi commissae Ecclesiis sacra paramenta et supellectilia adhibentur haud liturgicis legibus conformia, quae quidem ob res angustas haud facile est passim renovari; Sacrae Rituum Congregationi sequentia Dubia pro opportuna resolutione humillime subiecit, nimirum:

Dubium I. Utrum adhiberi possint sacra paramenta ex lana confecta, prohibendo tamen ne in posterum emantur?

Dubium. IL Albae veteres ex gossypio acu pictae permitti possunt donec consummentur?

Dubium III. In oratoriis ruralibus atque Ecclesiis, quae parvum habent censum, planetae sericae flavi coloris, ut antea, adhiberi ne queunt ?

Dubium IV. In hac Dioecesi extant multa altaria portatilia, vulgo « pietre sacre » quorum operculum ex metallo confectum est. Quaeritur utrum eiusmodi altaria consecrationem amiserint ?

Dubium V. Thecae vetustae cum Reliquiis, quae authentico documento carent, olim ad suppressa Monasteria spectantes, possuntne exponi in altari, uti fit ab immemorabili tempore?

Dubium VI. Altaria Ecclesiarum olim ad monasticos ordines

(1) Hoc Decretum in primo ex Dubiis quaerit: "Missa votiva SS. Cordis Iesu.... celebrari debet sine *Gloria,* sine *Credo,* et cum tribus Orationibus, an ritu quo celebrantur Missae votivae solemniter cum *Gloria* et *Credo* et unica Oratione? Responsum vero est: « Negative ad primam partem, affirmative ad secundam,,.

pertinentium, quae habentur passim consecrata, etsi careant sepulcro Reliquiarum, procul dubio sub tabulis marmoreis reconditarum, uti recognitum fuit in duabus Ecclesiis, quarum altaria rursus consecrata sunt, debentne rursus consecrari?

Dubium VII. Causa sufficiens haberi potest ad permittendum Parochis Oleum Infirmorum apud se domi retinere, quia haec ab Ecclesia parochiali seiuncta est; ita ut huius fores noctu per accitos famulos aperiendae essent?

Dubium VIII. Fasne est Parochis stolam induere super rochettum aut superpelliceum, sed mantelletta confectum, quoties sacramenta administrant?

Dubium IX. Canonici Ecclesiae Cathedralis induti cappa magna et stola, possuntne sacram synaxim distribuere, vel patenam -deferre, seu porrigere quoties Episcopus solemniter Sanctissimam Eucharistiam Fidelibus distribuit?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis Dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. *Negative,* iuxta Decretum in una *Senen. diei 18 Decembris 1877, ad V.*

Ad II. *Pro gratia, donec eonsummantur.*

Ad III. *Negative,* iuxta Decretum in una *Mutinen. diei 22 Septembris 1837 ad VIII.*

Ad IV. et V. *Negative.*

Ad VI. Datur potestas, vigore facultatum Sacrae Rituum Congregationi a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII tributarum, consecrandi per breviorem formulam ea tantum altaria, quae certo constet numquam consecrata fuisse.

Ad VII. *Standum Decreto* in una *Toletana diei 31 Augusti 1872 ad V* (1).

Ad VIII et IX. *Negative.* Atque ita rescripsit, declaravit et indulsit. Die 23 Iunii 1892.

S CAI. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. PRAEF.

VINC Nussi, S. R. C. *Secretarius.*

(1) TOLETANA. *Dubium V.* Possunt parochi retinere sanctum Oleum infirmorum in domo sua, eoquod extra Ecclesiam parochialem habitent, nonobstantibus S. Rituum Congregationis decretis? Ad V. *Negative* et servetur decretum diei 16 Decembris 1826 in Gandarensi ad III.

NICOSIEN. Dubium quoad matutinum defunctorum recitandum.

In Ecclesia olim Collegiata nunc Concathedrali Nicosiensi singulis feriis secundis per annum ab immemorabili tempore viget consuetudo a vespere Matutinum Defunctorum recitandi. Nunc vero dubium inter Capitulares exoritur, an teneantur id exequi quoties in Feriam secundam incidat festum solemnius ex. gr. Nativitatis, Epiphaniae Domini, vel duplex quodpiam primae vel secundae classis. Hinc Rmus Dfius Bernardus Cozzucli hodiernus Episcopus Nicosien. sequens Dubium Sacrae Rituum Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum: « An stante immemorabili consuetudine recitandi singugulis feriis secundis totius anni Officium Defunctorum, debeat recitari ratione Rubricae, etiam quando in aliqua ex dictis feriis incidat festum de praecepto, vel primae aut secundae classis,, vel Octava ex privilegiatis»?

Et Sacra eadem Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito Dubio censuit rescribendum, videlicet: « Consuetudinem recitandi vespere Officium Defunctorum qualibet feria secunda per annum, occurrente licet festo de praecepto, vel duplici primae aut secundae classis, vel infra Octavam privilegiatam servari posse, dummodo submissa voce fìat, expleto Officio diei ». Atque ita rescripsit die 22 Iulii 1892.

* CAI. CARD. ALOISI-MASELLA PRAEF.

IOANN. PONZI *Substit.*

MEXICANA. Dubium quoad collocationem statuarum in Ecclesia.

Hodiernus Caeremoniarum Magister Ecclesiae Collegiatae sub titulo B. M. V. de Guadalupe in civitate atque Archidioecesi Mexicana de mandato sui Rmi Ordinarii, Sacrorum Rituum Congregationi sequens Dubium pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum : in memorati templi, quae nunc absolvuntur, instaurationibus habetur renovatum altare maius, ubi B. M. V. de Guadalupe imago depicta collocanda erit, medium inter binas marmóreas statuas, scilicet Rmi Dfii Zumarraga primi Antistitis Mexicani et cuiusdam Indi Ioannis Didaci, cui Deipara Virgo

fertur apparuisse. Quaeritur an praedictas virorum statuas etiamsi adorantium instar, ibi apponere liceat?

Et Sacra eadem Congregatio, re mature perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet: *Simulacra de quibus in casu, collocari poterunt in Ecclesia, dummodo non exponantur super altare.* Atque ita rescripsit die 15 Iulii 1892.

& GAI. CARD. ALOISI-MASELLA PRAEF.

Io ANN. PONZI *Substit.*

DIANEN. Dubium quoad cantum *Kyrie, Gloria, Credo* **et** *Sanctus.*

Rmus Dnus Vincentius Addessi Episcopus Dianen, sequens Dubium a Sacra Rituum Congregatione declarari humiliter expetivit, nimirum: « A pluribus annis in Cathedrali Ecclesia Dianen, invecta est consuetudo, qua Canonici et Mansionarii Choro addicti in Missis Conventualibus, imo et in Pontificalibus, neque canunt, neque submissa voce recitant *Kyrie, Gloria, Credo, Sanctus et Agnus;* sed haec omnia peragi sinunt ab uno laico, qui organum pulsat. Quaeritur an haec consuetudo sustineri possit, vel potius eliminanda velut abusus?

Et Sacra eadem Congregatio huic Dubio censuit rescribendum: *Standum esse in omnibus Caerimoniali Episcoporum.* Atque ita declaravit et rescripsit die 22 Iulii 1892.

& CAL CARD. ALOISI-MASELLA PRAEF.

IOANN. PONZI *Substit.*

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIA quoad decretum *Tametsi.*

Beatissime Pater,

Ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter provolutus Ordinarius Argentinensis expostulat solutionem ad sequentia dubia:

I° An protestantes civitatis Colmar, qui, saltem ab anno 1632, suum habent templum, quique legem Tridentinam nunquam observarunt, censendi sint ab hac lege exempti?

2° Cum alia, hac in Dioecesi, adsint loca, in quibus decursu temporis protestantes distinctam effbrmarunt civitatem: quodnam requiratur temporis intervallum, ut lex Tridentina censenda sit, huiusmodi in locis, quoad protestantes per non observantiam in desuetudinem abiisse?

Feria IV, die 6 Iulii 1892.

In Congregatione generali S. Romanae Universalis Inquisitionis Emi ac Rmi DD. Cardinales in rebus fidei et morum generales Inquisitores propositis suprascriptis dubiis ac praehabito voto DD. Consultorum, responderi mandarunt:

Ad 1. Reformato dubio prout sequitur nempe:

An Protestantes civitatis Colmar censendi sint a capite *Tametsi* sacri Concilii Tridentini exempti?

Respond. Iuxta ea quae hac de re Apostolicae Sedi exposita sunt, affirmative.

Ad 2. In decisis feria IV, die 5 Iulii 1848, nempe, recurrendum in casibus particularibus, et ad mentem. Mens autem est nullum temporis spatium sufficere, ut lex tridentina vim obligandi amisisse censeatur aliquo in loco per simplicem inobservantiam haereticorum.

Feria V loco IV, die 7 Iulii 1892.

Facta autem a R. P. D. Adsessore S. Off. de iisdem resolutionibus relatione SSmo D. N. Leoni Dei Prov. PP. XIII, Idem SSmus D. N. Emorum PP. resolutiones approbavit.

(L. S.)

Sign. I. MANCINI, S. R. et U. I. *Notarius**

Dubium S. Sedi propositum: Quid faciendum sit de iis catholicis, qui secundum veterem Dioecesium nostrarum (i. e. in Borussia existentium) usum, licet coram ministro acatholico matrimonium contraxerint, a confessariis sine speciali facultate absolvendi ad Ss., Sacramenta admissi sunt?

S. Congregatio die 18 Maii 1892 respondit: Qui matrimonium coram ministro haeretico ineunt, censuram contrahere: Ordinarios autem vi facultatum quinquennalium nedum posse eos absolvere, sed etiam alios subdelegare ad eosdem absolvendos. Qui vero hucusque nulla praevia a censuris absolutione, ab huiusmodi culpa absoluti sunt, iuxta exposita non esse inquietandos.

APPENDIX L

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT, AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

Instr. S. C. de Prop. Fide 17 Ianuarii 1763
De Mulieribus Tertii Ordinis, earumque privilegiis.

Cum diuturna experientia Emi PP. non sine gravi moerore edocti sint non levia inter Ordinarios locorum, et Superiores Regularium de Tertiariis, earumque exemptione ac iuribus in dies oriri dissidia, ea potissimum causa, quod Pontificum Constitutiones omnes hac de re non satis sint notae, ac privilegia a Sede Apostolica Tertio Ordini concessa non probe intelligantur: ne malum hoc diutius perseveret, in locis praesertim Missionum, in quibus pacis et concordiae vinculum inter clerum saecularem et regularem maxime conservari oportuit ad cavendum a fidelium scandalis, ab infidelium blasphemiis, et ab haereticorum schismaticorumque calumniis, iidem Emi PP. in Congregatione Generali habita die 2 Augusti 1762, provide decreverunt instructionem aliquam esse adornandam, in qua exerta veterum decretorum summa, et norma in causis occurrentibus ab omnibus servanda contineatur.

Pro cuius decreti exequutione, ut ordine procedatur, primo illud prae oculis habendum, hic non agi de Tertiariis, quae latini ritus non sint; huiusmodi enim mulieres a missionariis latinis cuiusvis Ordinis, aut Instituti, minime licere ad habitum Tertii Ordinis suscipiendum admittere; quin imo, et admissae si quae fuerint ab iisdem missionariis curandum esse, ut quantocius susceptum habitum deponant sub poenis Apostolicae Sedis arbitrio subeundis, iam declaravit Sac. Congregatio decreto edito in Cong. Gen. sub die 9 Maii 1757 et a san. mem. Benedicto XIV approbato, quod sic se habet: « Referente Emo, et Rmo

MONITUM. — Saepenumero accidit, ut ad manus nostras perveniant acta Apostolicae Sedis maximae utilitatis, edita aut peractis temporibus, vel haud dudum ; quae tamen prius omnino nos latuerant. Ne Ephemerides nostrae, optimique lectores hoc priventur commodo, censuimus eadem ista acta, quando nobis innotescant, per appendices parvas referre, notando, ope cuius s. Congregationis, Rom. Pontifex haec protulerit.

Dno Cardinali Tamburino Ponente literas R. P. D. Patriarchae Catholici Armenorum Ciliciae, quibus quaerebatur, Patres Terrae Sanctae plures mulieres armenas ad habitum Tertii Ordinis admisisse, easque insolita in illis regionibus veste indutas incedere, aliaque in iisdem uteris plane exposita peragere unde gravia mala, scandala, et incommoda oriebantur; ideo orabat, ut aliquod opportunum remedium adhiberetur: Emi Patres, re mature perpensa, censuerunt consulendum esse SSmo, ut praecipiat Patribus Terrae Sanctae, aliisque religiosis viris cuiuscumque Ordinis, et Instituti, ne mulieres cuiuscumque ritus orientalis admittant ad habitum Tertii Ordinis, vel ad alium quemcumque eiusmodi: admissas vero habitum iam receptum quamprimum deponere, et veste illius regionis in qua degunt communi uti omnino curent, sub poenis Sanctitati Suae benevisis ».

« Factam autem per R. P. D. Nicolaum Antonelli Secretarium SSmo Dno Nostro in audientia eodem die habita de supradictis omnibus relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis in omnibus approbavit, eamque servari mandavit sub poena privationis vocis activae, et passivae, non obstantibus Apostolicis Constitutionibus, statutis, consuetudinibus auctoritate Apostolica confirmatis, aliisque in contrarium quibuscumque. Datum Romae die et anno, quibus supra ».

Cum igitur ad unius latini ritus mulieres Regularium circumscripta facultas intelligatur, pronum est habitum Tertii Ordinis professas duas in classes referre: alteram earum, quae simul collegialiter vivunt, alteram earum, quae seorsum suis in domibus degunt. Quoad primas explorata res est, privilegiis Tertii Ordinis minime frui etiam illas, quae votum simplex castitatis emiserint, nisi vota solemnia nuncuparunt, et clausuram sancte religioseque custodiant. Quamvis enim eiusmodi privilegiis olim fruerentur vigore Constitutionum Leonis X, quarum altera incipit *Dum intra*, altera incipit *Nuper*, ea tamen privilegia diserte revocata leguntur a san. mem. Pio V, Constitutione quae incipit *Cura Pastoralis Officii*, in qua distinctius cautum est ne Tertiariis quae vota solemnia non emittunt, et clausurae lege obstrictae non sunt, usquam collegialiter vivere liceat. Quod etiam a Gregorio XIII plane confirmatum est Constitutione quae incipit *Deo sacris Virginibus.*

Fatendum, quidem est his non obstantibus, et hactenus fuisse, et adhuc esse Conservatoria quaedam ubi Tertiariae collegialiter vivunt, etiamsi nec solemnia vota emittant, nec clausurae lege teneantur ; at cum ea ab Apostolica Sede tolerata, non approbata esse intelligantur, ut Religiosae domus canonice erectae haberi non possunt, sed potius ut domicilia fundata contra mentem Sedis Apostolicae, et contra De-

creta Pontificum Pii V et Gregorii XIII, ideoque certis privilegiis, quae nonnisi clausis Tertii Ordinis Monasteriis propria sunt, carere omnino necesse est. Quomodo enim Apostolicae Sedis indultis, et gratiis frui possent, quae contra eiusdem Apostolicae Sedis mentem sine clausura et votis solemnibus, adhuc tamen collegialiter vivunt? Sequitur ergo huiusmodi Tertiarias iurisdictionis Ordinarii integre solideque subiectas manere.

Quod huc usque deductum est iuxta doctorum omnium sensum, luculentissime docuit san. mem. Benedictus XIV Instit. Can. 105 n. 76, ac constanti stylo rescripsere Sacrae Urbis Congregationes, quarum celebrior duo afferre decreta abs re non erit. Primum nempe Sacrae Cong. Concilii in una *Lauden,* die 27 Maii 1677, in qua quidem causa, cum de Tertiariis oppidi Cottonei vota quaedam simplicia castitatis, paupertatis, et obedientiae emittentibus, sine solemnitate tamen et sine clausura, ageretur, proposito dubio: « An mulieres huiusmodi subsint visitationi et correctioni Episcopi » ; S. Congregatio, audito Procuratore Generali PP. Reformatorum S. Francisci, sub quorum cura vivebant, respondendum censuit: *Affirmative.* Alterum vero est Sacrae Cong. Concilii in una *Lünen. Sarzanen.* die 30 Ianuarii 1723, in qua quidem cum de mulierum, assumpto habitu Tertii Ordinis S. Francisci collegialiter in Conservatorio Massae viventium exemptione disceptaretur, S. Cong. de more rescripsit: « Conservatorum esse subiectum omnimodae iurisdictioni Episcopi, citra tamen approbationem S. Congregationis quoad dictum Conservatorum. » In quo quidem decreto, eodem temporis ac loci vestigio quo eiusmodi mulieres subiectae declarantur omnimodae iurisdictioni Episcopi, ne probari sub ea forma viderentur huiusmodi Conservatoria, verbis adiectis *citra approbationem* solertissime cautum est; adeo S. Congregationis mens ab eiusmodi collegiis sine votorum solemnitate, et sine clausurae lege fundatis vel ipsa specie probandis aliena est.

Disciplinam hanc aliquantulum immutavit Benedictus XIII, nonnullis Constitutionibus editis, nimirum ea quae incipit *Paterna,* altera quae incipit *Exponi nobis,* tertia denique, quae incipit *Pretiosus,* quarum dispositione Tertiariae, quae sine solemnibus votis, et sine clausurae lege collegialiter viverent, a iurisdictione Episcoporum subductae, in iurisdictionem et curam Superiorum Ordinis redierunt. At vix defuncto laudato Pontifice, eius Successor Clemens XII, Constitutione quae incipit *Romanus Pontifex,* sublatis iterum eiusmodi gratiis et privilegiis, pristinam de Tertiariis Ordinario subiectis disciplinam restituit ; in ea quippe sic expresse habetur: «Statuimus, et decernimus de

omnibus, et singulis praedictis Literis et Constitutionibus, quae ab eodem antecessore nostro Benedicto prodierunt, nec non de omnibus privilegiis, gratiis, favoribus, indultis, exemptionibus, facultatibus, et declarationibus in iisdem contentis eam deinceps decisionem ac iudicium etiam in foro conscientiae habendum, quod sive ex iure communi, sive ex Consilio, sive ex Decretis, et Constitutionibus Apostolicis, sive ex aliis legitime habebatur antequam eaedem Literae, et declarationes ab eodem Benedicto concessae fuissent, perinde scilicet ac si illae non émanassent; ad quam dispositionem, eiusque pristinum statum, ac terminum omnia superius enunciata omnino reducimus et reducta esse volumus; ita ut in posterum supradicti Ordines Regulares earumdem Literarum et Constitutionum usu, commodo, et effectu penitus carere debere intelligantur ». Ex quibus sane verbis colligit Benedictus XIV Inst. Can. 105 n. 76: « Redit in pristinum Ordinariorum iurisdictio supra Tertiarias collegialiter sine votorum solemnitate, et sine clausurae lege viventes; eademque de causa' ut nobis subiectas eas libere visitavimus ».

Gradum nunc faciendo ad alteram Tertiariarum classem quae seorsim suis in domibus degunt, maioribus privilegiis olim gavisas eas fuisse compertum est, inter quae praecipua numerantur: 1. privilegium Fori, quod tamen locum non habet in locis missionis, ubi vix Religio toleratur: 2. ut Patribus illius Ordinis cuius regulam profitentur, sua peccata in sacramento Poenitentiae aperire liceret, quamquam ab Ordinario non approbatis: 3. ut Communionem paschalem in eorumdem Regularium ecclesia recipientes praecepto Ecclesiae satisfacerent : 4. ut ab iis etiam Viaticum, atque Extremam Unctionem in exitu vitae possent percipere. Haec tamen omnia successivis temporibus a Summis Pontificibus, atque a Sacris Cardinalium Congregationibus, pluribus editis constitutionibus, et decretis, penitus sublata, atque ad terminos iuris communis redacta sunt, ut late Fagnanus in Cap. *Omnis* n. 64 de Poenil. et Remiss, ex S. C. rescripto refert his verbis: « Cum Fratres Monasterii S. Dominici de Lugo Imol. Dioecesis declarari postulassent an ipsis liceret praesertim ex suis privilegiis audire confessiones virorum et mulierum professorum Tertii Ordinis S. Dominici, eisque in Paschate Sacramentum Eucharistiae ministrare, Viaticum praebere, atque Extremam Unctionem ministrare, Sacra Congregatio consideravit, praesupposito quod huiusmodi professi eodem iure censeantur cum aliis professis Tertii Ordinis S. Francisci, de quibus in gloss, in Glem. *Cum ex* eo de sent. excom., eorum non esse aliquam Religionem, seu modum quemdam vivendi approbatum a Sede Apostolica, nec dici plene translatos ad

Ordinem ita, ut desinant esse de saeculo (Card. in Clem. *Per litteras* num. 9 de Praeb.) Quod cum ita sit, non magis horum, quam aliorum saecularium confessiones praedictos Religiosos audire posse, iuxta cap. 15 sess. 23 ubi privilegiis quibuscumque derogatum est, et amplior derogatio habetur in Bulla Pii IV revocatoria omnium privilegiorum sub quibusvis formulis, in his quae Sacro Tridentino Concilio sunt contraria. Ex quo sequitur, tales Religiosos non esse proprios sacerdotes horum professorum; ac proinde non posse eisdem Sacramentum Poenitentiae, vel Eucharistiae in Paschate ministrare, iuxta Cap. *Omnis utriusque sexus* de poenit. et remiss.; idemque iuris esse de Viatico, siquidem praecedente confessione exhiberi debet *(C. 7 de praepar. quae adhibenda est* etc. sess. 13 in Decreto de SS. Eucharistiae Sacramento). De Extrema Unctione non esse iudicium Congregationis, sed tam constare eius administrationem, sicut aliorum Sacramentorum, pertinere ad parochum, de cuius parochia dicuntur esse tales professi, nisi speciali privilegio sint exempti ».

Latius hoc ipsum Benedictus XIV ex Pontificum Constitutionibus inter se collatis" et S. C. Decretis deducit *{Inst. Can. 105, n. 67, et seq.)* his verbis : « Si Leonis X Constitutio vim totam , et integram , obtineat, hae Tertiariae privatim vitam agentes, Episcopi iurisdictione prorsus immunes esse d.eberent : eos sibi Confessarios deligere possent, qui ad monialium confessiones, non vero saecularium excipiendas probantur : ad parochiam accedere non tenerentur, ut paschali praecepto satisfacerent: tandem a praefectis suis Regularibus Extremam Unctionem percipere, et post mortem in ecclesia sui Ordinis sepeliri iure possent; sed aliter se res habet : nam Leonis X Constitutio ad certos quosdam limites redacta fuit a Summis Pontificibus, qui deinde Sedem Apostolicam tenuerunt. Cum hae mulieres revera non habeantur Regulares, eo quod tribus votis solemnibus non adstringatur, ideo non censentur immunes ullo modo ab Episcopi facultate.... Insuper de his mulieribus Tertiariis haec S. Cong. Concilii decernit: S. Cong. Cardinalium Concilii Trid. Interpretum saepius respondit, minime posse sacerdotes Regulares mulierum Tertii Ordinis, quas de *Poenitentia,* vel *Pinzocheras* vocant, confessiones sacramentales audire, nisi fuerint ab Ordinario approbati ad confessiones personarum saecularium audiendas, quemadmodum nec posse illis Sacrosanctum Eucharistiae Sacramentum administrare in die Paschatis Resurrectionis Sanctissimi D. N. Iesu Christi. Item ex epistola S. Congregationis pro causis Episcoporum et Regularium constitutae ad Episcopum Mutinensem die 17 Iunii 1639, haec in ipsas Ternarias sancita deprehenduntur: Circa Tertiariam simi-

Uter censuerunt (nempe Cardinales S. Cong.) permissum haud fuisse Fratribus eiusdem monasterii ob quodcumque privilegium Ordinis administrare ipsi Sacramentum Divinae Eucharistiae et Extremae Unctionis, neque eius cadaver domo efferre, indicta funebri pompa, sine parocho aut sine ipsius licentia. Nam haec revera ad parochos pertinent, qui debent assiduo, sed hoc praesertim tempore, cognoscere, iuvare, accuratoque studio fideles sibi traditos instituere. Accedit quod Ternaria, licet nuncupatis votis, claustro non tenebatur, sed domi suae intra parochi eiusdem ditionem habitabat». Possunt tamen earum cadavera sepeliri in Ecclesiis sui Ordinis, si locus Tertiariis designatus seorsum existat; sin minus in parochiali Ecclesia, ut caeterarum cadavera, sepelienda sunt. Lucrantur etiam indulgentias, gaudentque aliis spiritualibus gratiis Ordini adnexis, quem profitentur, statim ac ad habitum Tertii Ordinis, ac ad votum simplex castitatis a Superioribus Regularibus admittuntur, quibus hanc facultatem ex Apostolicae Sedis indulto reservari compertum est. Non tamen ad omne mulierum genus haec facultas extenditur, sed ad eas dumtaxat, quae conditiones a Sacris Congregationibus rite praescriptas habuerint, nimirum: ut honestis probisque moribus fulgeant; ut annos quadraginta saltem attingant; ut necessaria ad congruam vitae sustentationem bona possideant; ut nonnisi cum consanguineis vel affinibus in primo gradu cohabitent. Huiusmodi autem conditionum examen et iudicium non ad Superiores ipsos Regulares, sed ad locorum Ordinarios pertinere Summi Pontifices decreverunt, adeo ut recte subiiciat Benedictus XIV *loco cit.* « Quare si quod proprium est unicuique tribuatur, ad Praefectum Regularem spectat religiosum habitum his mulieribus impertiri: ad Episcopum vero facultatem tradere, et praescriptas conditiones accurato examine cognoscere ».

Haec omnia, quae exacte tradit Benedictus XIV cit. Inst. can. 105, Sacr. Congreg. Episcoporum et Regularium negotiis praepositae Decreto edito sub die 20 Decembris 1616 disertissime sanciuntur ; sic enim § 5: «Praeterea si contingat aliquas ex praedictis Tertiariis sine sepulturae electione decedere, eas sic decedentes ita demum in Ecclesiis Ordinis, cuius habitum assumpserunt, sepeliri debeant, si in ipsis earum communis sepultura reperiatur ; sin minus, in Ecclesiis parochialibus sepeliendas esse decernit : Superioribus autem Regularibus sufficienti facultate ad id a S. Sede Apostolica suffultis (Cappuccinis exceptis) libere mulieres ad huiusmodi habitum recipere, atque ad ipsos vestiendi eas officium pertinere : non autem ad habitum admittendas, et recipiendas esse, nisi probatae vitae ac'bonis moribus prae-

ditas, ac in aetate saltem quadraginta annorum constitutas, quae de proprio habeant unde sufficienter vivere possint, et non cum aliis viris, quam consanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu sibi coniunctis cohabitent, et ab Ordinario loci licentia prius impetrata, qui non aliter eam concedat, nisi de praedictis praevio examine diligenti sibi constiterit ».

Universa haec iterum a G. Concilii confirmata sunt : nam Episcopo Mazarae quaerenti anno 1727: «Quaenam sint conditiones requisitae, ut Regulares habentes facultatem dandi habitum suae Religionis mulieribus non collegialiter viventibus, dictum habitum dare possint », et: «An examen dictarum facultatum pertineat ad Episcopum?» Sacra Congr. Concilii respondit : « Examen facultatum concedendi habitum pertinere ad Sedem Apostolicam : examen conditionum quoad mulieres vestiendas, et licentia vestiendi pertinere ad Ordinarium, et conditiones vestiendarum esse expressas in decretis generalibus alias editis, et haec decreta esse omnino servanda ». Ad normam huiusce decreti subiecta hac formula Episcopi uti consuevere, qua mulieri facultatem assumendi habitum Tertii Ordinis concedere testificantur.

« Dilectae Nobis in Christo N. salutem, et benedictionem in Domino. Ut tu, quae bonis moribus imbuta, bonaeque frugis, ac laudabilis vitae existis, in aetate annorum quadraginta constituta, propria bona, ex quorum fructibus honeste vivere vales, possides, et non cum aliis viris, quam cum consanguineis, vel affinibus in primo gradu constitutis habitas, prout haec omnia nobis praevia informatione constare fecisti, habitum Tertii Ordinis S. N., quem postulasti, suspicere possis per R. P. N. Ordinis Provincialem, illum tibi conferendi licentiam, et facultatem concedimus, et impertimur. In quorum etc. Datum etc. N. Episcopus.

Ex quibus omnibus consequitur, quam recte S. C. de Propaganda Fide in Congregatione Particulari habita die 31 Augusti 1761, per modum decreti generalis servandi in toto regno Hiberniae inter alia rescripserit pro Tertiariis nullo modo licere Regularibus admittere ad habitum, nisi servatis servandis, et de licentia Ordinarii: aliter admissas declaretur ab Episcopis nec esse Ternarias, nec ullis gaudere privilegiis, aut indulgentiis.

Etiamsi vero eiusmodi casus occurrere aliquando possit, in quo potius expedire videatur adulescentulam aliquam habitu Tertii Ordinis ante praefixam aetatem, quodam veluti tegumento securitatis assumpto, a periculis liberare, quam medias inter insidias inermem relinquere: non ideo sequitur fas esse Superioribus Regularibus sine licentia Epi-

scopi, vel Vicarii Apostolici puellas ad habitum suscipiendam admittere': consulant ipsi potius in huiusmodi casibus loci Ordinarium, qui se facilem pro sui prudentia atque adeo conscientia, motus ipsius periculi gravitate, praebebit. Nec expedit semper in adolescentulis votum castitatis cum habitus susceptione coniungi, quin potius ad aetatem provectiorem quandoque differri : ab ea quippe longius abesse solent illa, sive pericula, sive scandala, quae ferventiori quam prudentiori zelo agitante possunt oriri.

Haec habet Sacra Cong. quo dissidia, ac iurgia hisce de rebus in posterum tollantur, iisque sublatis, unitas spiritus et vinculum pacis inter Operarios Vineae Domini conservetur. Et ut maxima, quae in terris a Domino relicta est, potestate roborentur, SS. D. N. P. Clementis XIII, feliciter regnanti legenda, consideranda, probanda curavit; et idem SS. D. haec omnia lecta, considerata, probata auctoritate Apostolica confirmavit.

Confidit in D. I. Sac. Cong. hinc Superioribus Regularibus ad normam Instructionis huiusce ambulantibus, inde locorum Ordinariis et Vicariis Apostolicis ad aliorum iura servanda sollicitis, collatis utrimque studiis, illud concordiae gluten coaliturum, quo qui ex adverso sunt, nihil habentes malum dicere de eis, vereantur magis, et domus Dei, quae est Ecclesia, ipsa unitate terribilis ut castrorum acies ordinata, fideles laetitia, infideles, haereticos, schismaticos rubore suffundat.

Quam Sac. Cong. Instructionem Sanctissimo D. D. Clementi XIII per Secretarium eiusdem S. C. relatam in audientia habita die 16 Ianuarii anni 1763 Sanctitas Sua benigne in omnibus approbavit, et omnino servari mandavit.

S. C. de Prop. Fide C. G. II Decembris 1838.

Missionarii latini quoad confessionem monialium orientalium.

Utrum absque speciali consensu Ordinariorum orientalium missionarii latini possint excipere confessiones monialium (orientalium).

R. Negative, et servetur Const. Gregorii XV *Inscrutabili* (1).

(1) In Const. *Inscrutabili Dei providentia* 5 Febr. 1522 haec habentur: «...Confessores vero sive regulares sive saeculares, quomodocumque exempti, tam ordinarii quam extraordinarii, ad confessiones monialium, etiam Regularibus subiectarum, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi prius ab Episcopo dioecesano idonei iudicentur, et approbationem, quae gratis concedatur, obtineant ».

Ex Litt. S. C. de Prop. Fide 16 Novembris 1870 (ad Archiep. Ultraiecten.)
De pueris admittendis in scholis Monialium.

Cum sacerdos..-, in ista dioecesi parochi munere fungens, labente mense Maio datis uteris significaverit perutile futurum si in Sororum scholis adulliores pueri admitti possent, cumque et huiusmodi literae S. Congregationis examini subiectae fuerint, eadem S. C. remittendum esse decrevit Ordinario, ut permittere possit admissionem puerorum usque ad duodecimum annum completum, in cubiculis tamen separatis atque iis in locis ubi adsit necessitas vel evidens utilitas.

Ex Litt. S. C. de Prop. Fide 20 Februarii 1877 (ad Vic. Ap. Aegypti).
De confessario immutando.

Quanto al dubbio sul confessore delle Suore che dirigono le scuole o assistono all' ospedale, sembra doversi ritenere che se le medesime vivono in comunità ed hanno uno speciale confessore, questi va soggetto alle regole generali, e dovrà approvarsi di triennio in triennio. Ma se le medesime si confessano nella chiesa pubblica, o dal parroco, se questo è il solo sacerdote residente nel luogo, o da altro confessore, siccome non si verifica nello stretto senso che o l'uno o l'altro sia il confessore ordinano della comunità, così per lui non occorre alcuna deputazione o conferma.

Quoad dubium de confessano sororum quae moderantur scholas aut inserviunt Hospitali, retineri posse videtur, quod si eaedem in communitatem vivunt specialemque habent confessarium, hic subiicitur eisdem regulis generalibus et approbari debebit quolibet triennio. Verum si eaedem confessionem peragunt in Ecclesia publica, vel apud parochum, si ipse sit unicus sacerdos in loco residens, vel apud alium confessarium, quoniam stricte dici nequit unum vel alterum esse ordinarium confessarium communitatis, ideo pro eo nullam requiri deputationem aut confirmationem.

S. C. Concilii 2 Septembr. 1617 — Moniales quoad confessarium.

1. An Archipresbyter Cathedralis, cui imminet cura animarum, possit esse Confessarius ordinarius Monialium?

2. An Episcopus possit denegare Monialibus petentibus Confessarium extraordinarium bis vel ter in anno?

3. An Confessarii ordinarii possint ultra triennium durare, et maxime per longum tempus ?

4. An Confessionalia Monialium possint esse in Sacristiis, vel in domibus quas inhabitant Confessarii?

R. Ad 1. Non posse, sed posse indulgen.

Ad 2. Non posse, immo teneri offerre.

Ad 3. Singulis trienniis mutari debere.

Ad 4. Non posse, sed extare in ecclesiis monasteriorum.

S. C. Iudulg. 18 Novem. 1842 — Dubia quoad erectionem Confraternitatum.

in variis Galliarum Dioecesibus, et specialiter in Dioecesi Caenomanensi, permultae existunt Confraternitates SS. Rosarii, B. M. V. de Monte Carmelo, et SS. Cordis Iesu. Diversae illae Confraternitates, ex speciali S. Sedis facultate, ab Episcopis cum brevi formula fuerunt erectae ; nomina Confratrum et Consororum in particularibus regestis inscribuntur, sed ad Directorem Archiconfraternitatis non mittuntur, nec Administratores pro unaquaque Confraternitale eliguntur. Caenomanensis Episcopus, omnes fidelium anxietates praecavere aut sedare volens, expostulat a S. C.

1. An aliqua determinata formula necessaria fuerit sub poena nullitatis?

2. An necesse sit sub eadem poena ut Administratores eligantur?

3. An Episcopus designare possit Directorem uniuscuiusque Confraternitatis suae Dioecesis, sive iam existentis, sive ab ipso ex speciali Apostolica facultate erectae?

4. An Director ab Episcopo sic designatus eo ipso rosaría cum applicatione Indulgentiarum, et scapularia benedicere ac imponere possit?

R. Ad 1. Negative, quia formula praescribitur tantum pro erectione Sodalitatum a Regularibus peragenda.

Ad 2. Negative, quia Administratorum electio erit tantum ad bonum Sodalitatum regimen, minime vero ad validitatem erectionis necessaria.

Ad 3. Affirmative.

Ad 4. Negative, nisi in huiusmodi concessionibus facta sit facultas Rectori pro tempore benedicendi rosaria, coronas, et scapularia.

S. C. Concilii 24 Febr. 1872. — De monialibus humanáis.

S. C. Concilii sub die 24 lanuarii 1846i6tatuit posse Regulares cum stola et cruce Conventus et sine parochi interventu, deferre ad coemeterium commune Regularis defuncti cadaver, quod lege civili obstante, nequit in conventu sepeliri, modo id fiat absque solemni pompa, et defunctus recto tramite deferatur ad coemeterium. Quaeritur itaque an huiusmodi decretum extendi etiam queat ad moniales Ordinariorum dioecesum iurisdictioni subiectas, ita ut ipsarum cadavera possint absque parochorum interventu ab ordinariis monasteriorum capellanis afferri, moderato at funere, ad commune coemeterium.

R. Affirmative, dummodo cadaver deferatur cum stola et cruce, sed absque pompa et recto tramite ad coemeterium.

S. C. Indulgentiarum 26 lan. 1871. — Dubia quoad impositionem scapularium.

Cum S. C. de Prop. Fide soleat aliquando concedere missionariis facultatem benedicendi et imponendi christifidelibus scapularia, nonnulla oborta sunt dubia, quae dictae S. Congregationi ab Episcopis et missionariis proposita, et ab eadem ad hanc S. C. Indulg. transmissa fuerunt, nempe :

1. Utrum sacerdos, qui a S. Sede obtinuerit facultatem benedicendi scapularia, habeat eo ipso facultatem ea imponendi christifidelibus, et eosdem adscribendi Confraternitatibus a S. S. approbatis?

2. Utrum necessaria sit praevia erectio canonica talium Confraternitatum ex parte Ordinarii loci, ut qui habent a S. Sede facultatem adscribendi dictis Confraternitatibus, possint christifideles eisdem adscribere?

Quibus vigore specialium facultatum a.SS. D. N. Pio PP. IX tributarum, S. Congregatio Indulg., re sedulo diligenterque perpensa, respondendum censuit prout respondet:

Ad 1. Affirmative, ita tamen ut sacerdotes qui praedictum indultum benedicendi scapularia ab Apostolica Sede legitime obtinuerint, penes se habeant privatum regestum, et quamprimum commode possunt, transmittere teneantur ad Superiores respectivae Sodalitatis vicinioris, canonice erectae, nomina receptorum, ut in album ipsius Sodalitatis referantur:

Ad 2. Detur Instructio prout sequitur:

INSTRUCTIO. — Ex piis Sodalitiis, quaedam sunt ab Apostolica Sede ita approbata, ut christifideles ubique locorum eisdem, ab iis qui le-

gitimam facultatem habent, possint adscribi, licet in eorumdem christifidelium respectivis dioecesibus peculiariter erecta non reperiantur, ut ex. gr., sunt Confraternitates Scapularis B. V. M. Montis Carmeli, Rosarii, Septem Dolorum; ac propterea, quoad ista Sodalitia, nulla requiritur in Dioecesi praevia Episcopi erectio.

Quod si agatur de Confralernitate approbata a S. Sede pro determinato aliquo tantum territorio, non requiritur praevia erectio Episcopi, sed sacerdos habens Apostolicam facultatem adscribendi, non potest eâ uti, nisi in eodem territorio quo circumscribitur ipsa pia Sodalitas.

Pariter non requiritur praevia erectio Episcopi, si pium Sodalitium legitime erectum reperiatur in Dioecesi a Superioribus Regularibus qui ad hoc speciale privilegium ex Apostolicae Sedis concessione habent, dummodo in erectione conditiones in Constitutione Clementis VIII incip. *Quaecumque* servaverint.

Quibus positis apparet eos qui, ut supra, a S. Sede facultatem obtinuerint benedicendi scapularia eaque imponendi, et christifideles adscribendi, posse dicta facultate uti duntaxat quoad Confraternitates, scapulare habentes, et canonice erectas, prout superius explicatum est; et si in indulto apposita sit clausula : *de consensu vel licentia Ordinarii,* illa cum aliis conditionibus a iure praescriptis omnino servanda erit.

Ut autem qui praedictam facultatem habent satis instructi sint in benedicendis et imponendis scapularibus , communicentur resolutiones huius S. C. in *Urbis* et *Cameracen,* diei 18 Augusti 1868, quae sunt sequentis tenoris:

URBIS. — Ex quo parva scapularia, quae fideles gestare solent, in sua origine et institutione aliud non sint quam scapularia variis Ordinibus Religiosis propria, pro maiori fidelium commoditate ad parvam formam redacta, enata sunt dubia a R. P. Procuratore generali Congregationis SS. Redemptoris S. Congregationi Indulg. et SS. Reliq. proposita solvenda, quae tam ad antiqua quam ad recentiora scapularia referuntur, scilicet:

1. Utrum ad scapularia conficienda necessario et exclusive adhibenda sit materia ex lana , vel utrum sumi etiam possit cylinum *{cotone)* aliave similis materia? Et quatenus affirmative ad primam partem, et negative ad secundam:

2. Utrum vox *pannus, panniculus* ab auctoribus communiter usurpata sumi debeat sensu stricto, i. e. de sola lanea textura proprie dicta *{tessuto, tissu),* vel utrum etiam intelligi possit de lanae textura reticulata (vulgo *lavoro di maglia, tricotage),* et de quocumque laneo opere acu picto *{ricamo, broderie),* adhibito tamen semper colore praescripto?

3. Utrum validum sit scapulare ex panno laneo coloris praescripti, quod intexta vel acu picta habet ornamenta pariter ex lana, sed diversi coloris?

4. Utrum validum sit scapulare ex panno laneo coloris praescripti, quod intexta vel acu picta habet ornamenta non lanea, v. gr. ex serico, argento, auro, etc. ?

5. Hucusque generalis viguit usus conficiendi scapularia formae •oblongae, vel saltem quadratae. Nunc autem quibusdam in regionibus introducitur usus conficiendi scapularia formae rotundaè vel ovalis, imo et multangulae. Quaeritur itaque utrum alia forma praeter oblongam vel quadratam obstet validitati scapularis?

6. Permultis in regionibus laudabilis viget usus, a S. Sede approbatus, gestandi per modum unius plura simul inter se diversa scapularia, quo in casu variorum scapularium panniculi, alii aliis superposita duobus tantum funiculis assumitur, ita tamen ut singulorum scapularium panniculi dependeant tam a pectore quam ab humeris. Non raro autem haec scapularia unita sic conflciuntur ut, loco plurium panniculorum diversi coloris, unicus tantum in utraque funiculorum •extremitate panniculus habeatur, in quo conspicitur ornamentum intextum vel acu pictum ex diversis coloribus ad significanda plura diversa scapularia. Quaeritur utrum haec diversa scapularia sint valida?

R. Ad 1. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.

Ad 2. Affirmative ad primam partem, Negative ad secundam.

Ad 3. Affirmative, dummodo ornamenta talia sint, ut color praescriptus praevaleat.

Ad 4. Ut in praecedenti.

Ad 5. Nihil esse innovandum.

Ad 6. Negative.

SSmus die 18 augusti 1868 resolutionem S. C. ratam habuit.

CAMERACEN. — Nonnunquam accidit, praesertim sacrarum missionum tempore, ut cum sacerdos, ad id legitime deputatus, scapulare B. M. V. de Monte Carmelo aliudve fidelibus imponit, deficiant scapularia, priusquam omnium fidelium votis satisfieri potuerit; hinc Superior domus religiosae Missionariorum Societatis Mariae in civitate vulgo *Tourcoing* nuncupata, Archidioecesis Cameracensis, humiliter supplicat S. C. Indulg. pro sequentium dubiorum solutione :

1. Utrum unum idemque scapulare semel benedictum valide possit pluribus per vicem imponi, repetita solummodo super singulis receptionis sive impositionis formula?

2. Utrum huiusmodi formula usurpari solita in actu impositionis

scapularium, 'essentialis sit ut quis scapulare rite accepisse censeatur,, iusque habeat ad Indulgentias illud ferentibus concessas; an vero absque Indulgentiarum dispendio possit omitti praesertim in morbis alioveurgenti casu ?

R. Ad i. Affirmative, ita tamen ut primum scapulare, quod deinceps adscriptus induere debet, sit benedictum.

Ad 2. Tam ad primam, quam ad-secundam partem proferenda esse verba quae sunt substantialia, ad formam Decreti huius S. Congregationis diei 24 Augusti 1844, quod sic se habet: *An rata sit fidelium adscriptio Confraternitati B. M. V. de Monte Carmelo, quae fit a sacerdotibus quidem facultatem habentibus, non servata tamen forma in Rituali et Breviario Ordinis Carmelitarum descripta?* S C. respondit:.

Affirmative, dummodo sacerdotes facultatem habentes non deficiant in substantialibus nempe in benedictione et impositione habitus, ac in receptione ad Confraternitatem.

SSmus 18 Augusti 1868 resolutionem S. C. ratam habuit.

Instr. S. C. S. Officii 26 Martii 1866. — Quoad scholas mixtas in Helvetia.

Iampridem ad Sacram hanc Congregationem quaestio de scholis mixtis, quae per totam fere Helvetiam perniciem rei catholicae minitantur, delata est, tribus propositis dubiis, quorum duo omnibus communia haberi possunt: — 1. An sacerdoti liceat scholarum, de quibus agitur, alumnis catholicis, sive intra earum septa, sive alio, uti in ecclesiam, ad id convocatis fidei Christianae documenta speciatim tradere,, aut pro eis Capellani (aumonier) quovis munere fungi.

2. An parentibus liceat liberos suos huiusmodi scholis instituendos, committere.

Tertium ad Iurae incolas Bernensi Reipublicae addictos pertinet^ nimirum :

3. An catholicis Iurassensibus liceat nuntium remittere iuri suo pactis publicis innixo, vi cuius nefas est quemquam in publicis eorum scholis docendi munus obire, qui Religionem catholicam non profiteatur.

Quemadmodum in re gravissima oportuit, tum diligentem circa rei veritatem ac statum ab Episcopis notitiam conquiri, tum mature agitari conferrique consilia, Sacra Congregatio curavit. Quibus rebus praemissis de eadem denique dirimenda egit feria IV die 17 Ianuarii huius anni 1866.

Porro praecipuum et capitale dubium quod secundo loco proponebatur visum est:

An liceat parentibus liberos suos huiusmodi scholis instituendos committere: quo in excutiendo vehementer Eminentissimos Patres commoverunt tum intrinsecum rei periculum, tum ea quae ad eos ab ipsis Episcopis relata sunt. Itaque omni ope curandum esse censuerunt, ut omnibus patribus familias persuadeatur se nihil peius de prole sua, de patria, de re catholica universa mereri posse, quam ut natos suos in extremam hanc aleam immittant. Cum enim puerilis aetas, pro sua ipsa ingenuitate ac simplicitate, vafrorum hominum seductionibus, nisi diligenter custodiatur, tota pateat, tum vero maxime si iis implicetur rerum adiunctis, in quibus eam versari in eiusmodi scholis necesse est. auctoritas quippe praeceptorum, quae maxime in adolescentium animis valet, ad ea omnia approbanda, quae in iis vident, ex iisve audiunt, naturali quadam vi eos rapit; quo fit ut illorum erga religionem indifferenlia, errores ipsi haereticales, catholicaeque religionis contemptus, venenato quodam alitu, tenella pectora inficiat, extinctoque calore omni pietatis, penitus corrumpat. Cui pesti haud minus lethifera accedit haereticorum condiscipulorum contagio, quorum corrupti mores, indita ex sectario dogmate indocilitas, quaeque pueriles animos vehementissime movet, in catholicam fidem atque Ecclesiae praecepta mordax dicacitas, si quid incorruptum, aut firmum in ipsis manserit, labefactent ac perdant necesse est. Quae sane per se gravissima graviorem etiam in molem assurgere Emi Patres perspiciebat, ea considerantes quae ab Episcopis aperiebantur, eo consilio eiusmodi scholas institutas esse ut catholica Religio ex istis Regionibus extirpetur; eo enim praefixo scopo nihil industriae, nihil fraudum, nihil adversarum virium praetermissum iri ad contraditam ipsis iuventutem pervertendam nemo non videt.

Neque vero illud quispiam sibi persuadeat immunes ab hac pernicie scholas illas fore, quae materiam a religione discretam atque profanam habent. Etenim praeterquam quod eadem in illis ab haereticorum, sive praeceptorum, sive discipulorum, vitae ratione ac familiaritate scandala impendent, novus profecto in humanis rebus sit oportet qui non sentiat etiam in eiusmodi scholis, aditum haereticis magistris undequaque aperiri, ut puerilem simplicitatem opportune et importune, data et non data occasione circumveniat, et in laqueos inducat, cuius quo magis inopinae atque occultae sunt artes, eo magis sunt ad perdendum efficaces. Itaque non tantum quae sacris, sed etiam quae profanis disciplinis, non tantum quae metaphysicae aut ethicae, sed etiam quae ma-

thesi aut physicae, aut historiae, aut humanis litteris, aut linguis, aut artibus quibusvis tradendis institutae sunt, periculi atque exitu plenas eiusmodi scholas esse nulla ratione est dubitandum.

Quae sane cum ita se habere apprime nossent Emi Patres, non illud tamen eos praeteribat, peculiaria quaedam rerum adiuncta id efficere posse, ut easdem adire aliquando cogat necessitas ; ubi scilicet ea tyrannide opprimantur catholici, ut ad scholas proprias id est catholicas adeundas, nulla iam illis aut pateat via, aut suppetat facultas, ideoque in ea sint optione, ut vel necessaria domui suae studiorum subsidia deserant, publicumque ipsum regimen heterodoxis totum relinquant, aut scholas mixtas utut invitissimi subeant. At vero licet id Patribus persuasero non posse absoluto atque indefinito iudicio aditum ad scholas mixtas omnino improbari, remque potius singulorum Episcoporum prudenti arbitrio religiosaeque conscientiae esse relinquendam, nihilominus ne in re gravissima quisque sese decipiat, duo voluerunt serio moneri quae, cum agitur de subeunda occasione proxima peccandi quae necessaria sit, omnes monent theologi: primo ut videant Episcopi, ne fucata aut proprie talis non sit ea quae obiicitur necessitas; secundo ut ab iis ad quorum officium id spectat, remedia omnia studiose adhibeantur, quae ad avertendum perversionis periculum efficacia sint. Et ad primum quod attinet, animadverterunt frustra quempiam necessitatem causari, si ad alias scholas, quae sint mere catholicae, licet in extraneis regionibus sitae, possit liberos suos sine notabili damno mittere. Ad alterum vero quod pertinet, moneri voluerunt plurimum ad hanc rem conferre, planeque esse necessariam unanimem sinceramque concordiam sive laicorum cum Clero, sive minoris Cleri cum Episcopis, sive omnium inter se, ut dum Episcopi, sive coniuncti de opportunis adhibendis remediis in Synodis provincialibus agunt, sive singuli gregem suum qua voce, qua Uteris pastoralibus instruunt et confirmant, a supremis vero Reipublicae moderatoribus sive per se, sive gravibus interpositis viris, ut meliorem in dies rerum ordinem et conditiones aequiores impetrent constanter studioseque curant, dum Clerus minor, ac praesertim Parochi in catechesibus, ac praecipue in his exponendis veritatibus sive fidei sive morum, quae magis ab incredulis atque heterodoxis impetuntur, diligentem operam ponunt, expositamque tot periculis iuventutem magis magisque, qua frequenti Sacramentorum usu, qua pietate in B. Virginem, communiter student, et ad Religionem firmiter tenendam excitant, in omnibus vero iustum ac vehemens desiderium ut eiusmodi religionis ac pietatis offendicula, cuiusmodi certe scholae mixtae sunt, remove-

antur, prudenter quidem, sed assidue aiunt, dum singuli genitores, quive eorum loco sunt, liberis suis sollicite invigilant ac vel ipsi per se, vel si minus idonei ipsi sint, per alios de lectionibus auditis eos interrogant, libros iisdem traditos recognoscunt, et si quid noxium in illis deprehenderit, antidota praebent; a familiaritate vero et consortio haereticorum discipulorum omnino arcent et prohibent, omnium simul ac ratione coniunctae et consociatae vires facilius efficaci usque adolescentium salutem tueantur, omnemque pestem ab eorum animis avertant. Itaque ad dictum dubium: «An liceat parentibus liberos suos huiusmodi scholis instituendos committere; » responderunt: «Generatim loquendo non licere, sed in casibus particularibus iudicio et conscientiae Ordinarii id esse relinquendum, cuius tamen erit officii diligenter curare, ut non modo a se et a parochis, verum etiam a singulis genitoribus opportuna remedia adhibeantur, quibus periculum perversionis ab alumnis removeatur, simulque eniti apud magistratus ac praesides, ne vis inferatur conscientiae catholicorum adhibendo libros qui Religioni Catholicae sint infensi ac denique assidue et instanter monere et hortari omnes, atque eos praesertim, quibus facultas est, ut liberos suos in alias regiones mittant, ubi catholice educentur ».

Ex hisce autem quae de hoc dubio considerata sunt, facile ad alterum patuit responsio quod primo loco hisce verbis proponebatur: « An sacerdoti liceat scholarum, de quibus agitur, alumnis catholicis sive intra earum septa, sive alio, ut in Ecclesia, ad id convocatis, fidei christianae documenta spectatim tradere,- aut pro eis Capellani (aumo-*nier) quovis munere fungi ». Ex quo enim constat gravissima ac plane extrema iuventuti catholicae in eiusmodi scholis versanti instare pericula, neque profecto cuipiam dubitare licet in extremo gregis periculo teneri vi muneris proprii Episcopos in subsidium accurrere, et sacerdotes ab eo evocatos, ac praesertim parochos omni studio opem suam conferre, cui tandem veniat in mentem infelices illos adulescentulos in mortis faucibus haerentes negligi ac deseri posse? Qui sane, si culpa propria eo devenissent, eripiendi tamen essent ; nunc autem cum non sua, sed aliorum culpa eo fuerint perducti, quanto magis aequum est ut sacerdotali cura suscipiantur? Neque vero quidquam movit Eminentissimos Patres aut obiecta desperatio fructus, aut concepta spes ex desertione eorum qui eas scholas adeunt ceteros ab iis deterrendi, aut formidata scandali species ne, si populus videat docendi munus in eisdem scholis a sacerdotibus suscipi eas ab Ecclesia approbari, liciteque ac libere adiri posse existimet. Cum enim agatur de obligatione quae officio sacerdotali inest, palam est non in ea exe-

quenda scandalum timendum esse, quod sane pharisaicum foret, sed potius in eadem negligenda, neque bonum quodvis (pro quo obtinendo facienda mala non sunt) ex eius violatione esse quaerendum, neque denique ob desperationem fructus, quem divinae Bonitati committere decet, deseri illum debere. Quicumque enim speculatores domui Israel dati sunt, retinere non sine metu in auribus debent quae Dominus per Ezechielem monuit, nimirum: Si loquuti ipsi non fuerint, ut se custodiat impius a via sua, fore ut impius in iniquitate sua moriatur: a simul sanguis eius de manu eorum requiratur; quod si, curantibus illis impii salutem, nullus ex eorum labore fructus succédât, impium quidem in iniquitate sua periturum, sed illos animam suam omnino liberasse.

Itaque praedicto dubio: «An liceat Sacerdoti in praedictis scholis fidei Christianae documenta tradere aut Capellani munere fungi »: respondendum censuerunt; « affirmative, et ad mentem: mens est ut non modo fidei christianae tradendae, verum etiam aliarum disciplinarum scholis quotquot fieri potest praefici sacerdotes, aut honestos perspectaeque religionis laicos curandum sit ; quo vero omnis cesset scandali formido, movendum esse populum id fieri ut mala quae ex huiusmodi scholis dimanant, quantum fieri potest avertantur; idque proinde nemini excusationi esse debere, quominus liberos suos mittant ad scholas mere catholicas, in quibus eorum fides ac mores nullo modo periclitentur ».

Restat tertium dubium quod pertinet ad incolas Montis Iurae ßernensi reipublicae addictos, quodque ita propositum fuit: « Etiamsi illae {scholae mixtae) utcumque possint tolerari, an catholicis Iurassensibus liceat nuntium remittere iuri suo pactis publicis innixo, vi cuius nefas est quemquam in publicis eorum scholis docendi munus obire, qui religionem catholicam non profiteatur » : Cui dubio absque ulla haesitatione Emi Patres respondendum esse censuerunt: «negative, sive agatur de expressa, sive etiam de tacita cessione ex silentio, ac tolerantia culpabili ». Itaque licet cavendum sit, ne quid imprudenter agatur quo ad graviora mala inferenda adversariorum excitetur ferocitas, nihil tamen de industria deque constantia remittendum est, quo minus media legitima, quae in catholicorum potestate sint, adhibeantur, ad praedictum ius una cum foederis sanctitate et Catholicae Religionis indemnitate recuperandum. Qua in re cum de zelo sive Antistitis, cuius iurisdictioni regio illa subiecta est, sive utriusque ordinis, clericalis scilicet et laicalis, Emi Patres minime dubitent, quippe qui praeclara de eodem monumenta habent, tum illud commendare non desinunt ut

mutua concordia quam maxime retineatur, quae nisi vigeat nihil unquam succedere feliciter poterit.

S. C. S. Officii 14 Februarii 1704.—Praef. Aethiopiae. De Oleorum Sanctorum usu.

Se il missionario, non avendo comodità dei nuovi Olì Santi, possa usare i vecchi, e per quanto tempo.

An missionarius, qui Oleorum Sanctorum commodum habere néqueat, oleis veteribus uti valeat, et quantum temporis.

R. Factis debitis diligentiis, si nova Olea non suppetant, posse missionarium, ex privilegio Clementis VIII uti veteribus Oleis per quatuor annos et ultra.

S. C. de Propaganda Fide. C. G. 18 Februarii 1783.
De veteri Oleo Sancto quoad Sacramenta.

Se possa il Vic. Ap. lecitamente servirsi per tutti i Sacramenti dei vecchio Olio Santo, finché non gli arrivi il nuovo da Costantinopoli,

An possit Vicarius Apostolicus licite uti veteri Oleo Sancto pro cunctis sacramentis, donec novum de Costantinopoli perveniat.

R. Posse ipsum uti veteribus Oleis Sanctis quoties, adhibita diligentia, olea recenter consecrata a catholico Episcopo, cum Romana Ecclesia communionem habente paschali tempore recipere nequeat, urgeatque necessitas Sacramenta administrandi.

Ex Instr. S. C. de Prop. Fide 23 Iunii 1830 (ad Vic. Ap. Siam.)
De Sacramento Baptismi.

Si in ratione generica Sacramenti consideratur (Baptismus), tria necessaria ad (Sacramenti) valorem requiruntur, nempe: materia, forma, et persona ministri, ut docuit Eugenius IV in celebri Instructione pro Armenis, in haec verba: *Omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet: rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, et persona ministri; quorum si aliquid desit, non perficitur Sacramentum.* Nempe necesse est ut per ministrum materia applicetur formae, alias non habetur Sacramentum. Quamobrem Augustinus, de Baptismo loquens, inquiebat: *Detrahe verbum, quid est aqua nisi äqual Accedit ver-*

bum ad elementum et fit Sacramentum. (Tract. 80 *in Ioannem* n. 3. part. 2).

Materia et forma esse debent iuxta divinam Sacramenti cuiuslibet institutionem, a qua recedere datum non est in iis quae divinae sunt institutionis ; quamobrem substantialis materiae vel formae mutatio irritum faceret Sacramentum; non idem dicendum est de accidentali mutatione, quae illicitum quidem, minime vero etiam invalidum faceret Sacramentum.

Relate ad ministrum, in ipso saltem generica requiritur intentio faciendi quod facit Ecclesia. Quapropter Martinus V in Constitutione, quae extat ad calcem Constantiensis Concilii, anno 1415, ab iis qui in haeresis suspicionem venerant, quaeri iussit: *An credant quod malus sacerdos, cum debita materia et forma et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia vere absolvat, vere baptizet, et vere conferat alia Sacramenta?* (Tom. 12. Concil, p. 269). Et Trid. Concilium adversus Lutherum ita definivit: *Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem faciendi quod facit Ecclesia, anathema sit.* (Sess. 7. *De Sacram, in genere* can. 11).

S. C. de Prop. Fide 27 Septem. 1835. De usu Oleorum veterum.

Cum Episcopis et Vicariis Ap. in Sinis et Regnis adiacentibus quandoque contingat, ut iis premantur angustiis, quibus legitime impediantur quominus iuxta sacros Ritus quotannis Olea sacra benedicant, SSmus (Greg. XVI).... indultum, alias concessum in similibus .casibus, ut veteribus Oleis utantur confirmat in perpetuum et ad omnes Episcopos et Vicarios Ap. supradictos extendit.

EPISTOLA encyclica Sanctissimi D. N. Leonis XIII. De Rosario mariali.

i

Magnae Dei Matris amorem et cultum quoties ex occasione liceat excitare in christiano populo et augere, toties Nos mirifica voluptate et laetitia perfundimur, tamquam de ea re quae non solum per se ipsam praestantissima est multisque modis frugifera, sed etiam cum intimo animi Nostri sensu suavissime concinit. Sancta nimirum erga Mariam pietas, semel ut poene cum lacte suximus, crescente aetate, succrevit alacris valuitque in animo firmius : eo namque illustrius menti apparebat quanto illa esset et amore et honore digna, quam Deus ipse amavit et dilexit primus, atque ita dilexit, ut unam ex universitate rerum sublimius evectam amplissimisque ornatam muneribus sibi adiunxerit matrem. Eius autem bonitatis in Nos beneficentiaeque complura et splendida testimonia, quae summa cum gratia, nec sine lacrimis recordamur, eamdem in Nobis pietatem et foverunt amplius et vehementius incendunt. Per multa enim et varia et formidolosa quae inciderunt' tempora, semper ad eam confugimus, semper ad eam intentis oculis cupidisque suspeximus; omnique spe et metu, laetitiis et acerbitatibus, in sinu eius depositis, haec fuit assidua cura, orandi ab ea, Nobis vellet benigna in modum matris per omne tempus adesse et illud impetrare eximium, posse Nos ei vicissim deditissimam filii voluntatem probare. — Ubi deinde arcano providentis Dei consilio est factum, ut ad hanc Beati Petri Cathedram, ad ipsam videlicet Christi personam in eius Ecclesia gerendam, assumeremur, tum vero ingenti muneris gravitate commoti, nec ulla sustentati fiducia virtutis Nostrae, subsidia divinae opis, in materna Virginis beatissimae fide, impensiore studio flagitare contendimus. Spes autem Nostra, gestit animus profiteri, quum in omni vita, tum maxime in supremo Apostolatu fungendo, eventu rerum numquam non habuit fructum vel levamenturn. Ex quo spes eadem Nobis multo nunc surgit erectior ad plura maioraque, auspice illa et conciliatrice, expetenda, quae pariter saluti christiani gregis atque Ecclesiae gloriae felicibus incrementis proficiant. —- Est igitur recte opportuneque, Venerabiles Fratres, quod incitamenta quaedam universis filiis Nostris, renovata per vos hortatione,

adhibeamus, ut octobrem proximum, Dominae nostrae et Reginae augustae a *Rosario* sacrum vividiore pietatis sollertia, quam necessitates ingravescentes exposcunt, studeant celebrare.

Quam multis et quibus corruptelarum modis nequitia saeculi eo fallaciter connitatur ut christianam fidem et, quae ipsam nutrit movetque in fructus, observantiam divinae legis, debilitet ac prorsus evellat ex animis, iam patet nimium: iamque passim dominicus ager, teterrima velut afflatus lue, ignoratione fidei, erroribus, vitiis propemodum silvescit. Quod vero ad cogitandum acerbius est, improbitas' tam arroganti et noxiae tantum abest ut frena iniecta aut iustae sint poenae impositae ab iis qui possunt maximeque debent, ut immo saepius ex ipsorum vel socordia vel patrocinio augeri spiritus videantur. Inde est cum causa dolendum de publicis doctrinarum et artium palaestris sic dedita opera constitutis, in quibus nomen conticescat aut vituperetur Dei; dolendum de impudentiore in dies licentia quidlibet in vulgus edendi, quidlibet declamandi Christo Deo et Ecclesiae probrosum; neque ea minus dolenda consecuta in multis remissio et desidia catholicae professionis, quae si non aperta est a fide defectio, eo certe evasura prociviter est, cum fide nihil iam vitae habitu congruente. Quam qui perpendat maximarum rerum confusionem et labem, non ei profecto fuerit mirum, si late gentes divinae animadversionis pondere ingemiscant afflictae, metuque graviorum calamitatum anxiae, trepidae teneantur.

Iamvero ad violatum Dei mimen placandum, ad eamque afferendam quae misere laborantibus opus èst sanationem, nihil sane valuerit melius quam pie perseveranterque precandi officium, modo sit cum studio et actione christianae vitae coniunctum : quod utraque \n parte ducimus per *mariale Rosarium* potissime assequendum. — Ab ipsa rei satis cognita origine, quam praeclara monumenta illustrant et commemoravimus Ipsi non semel, praepotens vis eius laudatur. Quo enim tempore Albigensium secta, integritatis fidei morumque specie quidem fautrix, re vera perturbatrix pessima et corruptrix, magno multis gentibus erat exitio, in eam consceleratasque factiones pugnavit Ecclesia, non copiis neque armis, sed interposita praecipue sacratissimi Rosarii virtute, cuius ritum ipsa Dominico patri Deipara tradidit propagandum; atque ita de omnibus magnifice victrix, suorum saluti, tum per eam, tum per

similes deinceps procellas, exitu semper glorioso consuluit. Quamobrem in hoc rerum et hominum cursu quem conquerimur, luctuosum religioni, perniciosissimum rei publicae, pari omnes pietate sanctam Dei Genitricerii communiter implorare, exorare oportet, ut eamdem eius Rosarii virtutem secundum vota laetemur experti. — Enimvero quum precando confugimus ad Mariam, ad Matrem Misericordiae confugimus, ita in nos affectam, ut qualicumque necessitate, ad immortalis praesertim vitae adeptionem, premamur, illico nobis et ultro, ne vocata quidem, praesto sit semper, atque de thesauro largiatur illius gratiae qua inde ab initio donata est plena copia a Deo, digna ut eius mater existeret. Hac scilicet gratiae copia, quae in multis Virginis laudibus est praeclarissima, longe ipsa cunctis hominum et angelorum ordinibus antecellit, Christo una omnium proxima: *Magnum enim est in quolibet sancto, quando habet tantum de gratia quod sufficit ad salutem multorum: sed quando haberet tantum, quod sufficeret ad salutem omnium hominum de mundo, hoc esset maximum; et hoc est in Christo et in Beata Virgine* (1). Ei nos igitur, quum gratia plenam angelico praeconio salutamus, eamdemque iteratam laudem in coronas rite connectimus, dici vix potest quam gratum optatumque fecerimus: toties enim a nobis memoria quasi excitatur tum dignitatis eius excelsae, tum initae a Deo per ipsam humani generis redemptionis; unde etiam commemorata pendet divina et perpetua necessitudo, qua ipsa cum Christi gaudiis et doloribus, opprobriis et triumphis tenetur in regendis hominibus iuvandisque ad aeterna. Quod si Christo benignissime placuit tantam nostri praeseferre similitudinem; seque hominis Alium atque adeo fratrem nostrum dicere et praebere, quo testatior sua in nos misericordia patesceret, *Debuit per omnia fratribus similari, ut misericors fieret* (2); Mariae non aliter, ex eo quod Christi Domini eiusdemque fratris nostri electa est mater, hoc supra matres omnes singulare inditum est, ut misericordiam nobis proderet effunderet suam. Id praeterea si debemus Christo quod nobiscum ius sibi proprium quodammodo communicant, Deum vocandi patrem, eidem similiter debemus communicatum amantissime ius, Mariam vocandi et habendi matrem. Quando autem natura ipsa nomen matris fecit dulcissimum, in

(1) S. Th. *op.* VIII *super salut. angelica.*

(2) Hebr. n, 17.

eaque exemplar quasi statuit amoris teneri et providentis, lingua quidem haud satis eloqui potest, at probe sentiunt piorum animi, quanta in Maria insideat benevolentis actuosaeque caritatis flamma, in ea nimirum, quae nobis, non humanitus, sed a Christo est mater. Atque multo illa magis nostra omnia habet cognita et perspecta; quibus ad vitam indigeamus praesidiis, quae impendeant publice privatim pericula, quibus in angustiis in malis versemur, quam in primis sit aeris cum acerrimis hostibus de salute animae dimicatio : in his autem aliisve asperitatibus vitae , multo ipsa potest largius, et vehementius exoptat, solatium, robur, auxilia omne genus carissimis filiis afferre. Itaque ad Mariam non timide, non remisse adeamus, per illa obsecrantes materna vincula, quibus cum Iesu itemque nobiscum coniunctissima est; praesentem eius opem quo precationis modo significavit ipsa et peracceptum habet, religiosissime invocemus: tum erit merito in tutela optimae matris securis laetisque animis conquiescendum.

Ad hanc Rosarii commendationem ex precatione ipsa profectam, accedit ut in eodem insit facilis quidam usus ad summa fidei christianae capita suadenda animis et inculcanda: quae quidem alia est nobilissima commendatio. — Est enim maxime ex fide quod homo recte certeque gradus facit ad Deum, eiusque unius maiestatem immensam, imperium in omnia, summam potentiam, sapientiam, providentiam discit mente et animo revereri: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit* (1). Quoniam porro aeternus Dei Filius humanitatem suscepit, praeluxitque nobis et adest velut via, veritas, vita, idcirco fides nostra praeterea complectatur necesse est Trinitatis divinarum personarum augustae et Unigenae Patris hominis facti alta mysteria : *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti Iesum Christum* (2). Permagno quidem beneficio donavit nos Deus, quum fide hac sancta donavit: cuius munere non solum supra humana erigimur, tamquam speculatores effecti et consortes divinae naturae, sed habemus hoc amplius causam praestantia meriti ad praemia caelestia; proptereaque spes nostra alitur et confirmatur, fore aliquando ut Deum, non iam per adumbratas rerum imagines, .sed aperto in lumine contingat

(1) Hebr. xi, 6.

(2) Ioann. XVII, 3.

intueri ipsum ipsoque frui ultimo bono perpetuum. At vero christianus homo tam variis destinetur vitae curis tamque evagatur facile ad levia, ut, nisi crebra admonitio succurrat, quae maxima et pernecessaria sunt oblivione lenta dediscat, ob eamque causam eius oblanguescat atque etiam intercidat fides. Quae nimis magna ignorantiae pericula ut a filiis suis Ecclesia prohibeat, nulla sane vigilantiae diligentiaeque praetermittit consilia, neque ultimum est fidei adiumentum quod ex mariali Rosario petere consuevit. Quippe in eo, cum pulcherrima fructuosaque prece certo ordine continuata, recolenda succedunt et contemplanda praecipua religionis nostrae mysteria: illa primum quibus *Verbum caro factum est,* et Maria, virgo integra et mater, materna illi officia sancto cum gaudio praestitit; tum Christi dolentis aegritudines, cruciatus, supplicium, quorum pretio salus generis nostri peracta; tum eiusdem plena gloriae mysteria, et de morte triumphus, et ascensus in caelum, et demissus inde divinus Spiritus, atque Mariae sideribus receptae splendida claritudo, denique cum gloria Matris et Filii consociata caelitum omnium gloria sempiterna. — Haec rerum plane admirabilium contexta series in fidelium mentes frequenter assidueque revocatur, et fere in conspectu explicata proponitur: id quod Rosarium sancte colentibus aspergit animos nova semper quadam pietatis dulcedine, perinde afficiens et movens quasi vocem ipsam exciperent indulgentissimae Matris, eadem aperientis mysteria multaque salutariter alloquentis. — Quare non id nimis affirmatum videbitur, quibus et locis et familiis et gentibus honorem pristinum marialis Rosarii consuetudo retineat, nullam ibi iacturam fidei ab ignorantia pestiferisque erroribus metuendam.

Sed alia non minus praestat, quam Ecclesia filiis suis magnopere a Rosario quaerit, utilitas; ea est, ut ad fidei sanctae normam et praescripta vitam moresque suos diligentius componant. Si enim, ut omnes, tenent divinum effatum: *Fides sine operibus mortua est* (1), eo quia fides vitam ducit a caritate, caritas autem in ubertatem exit sanctarum actionum; nihil profecto emolumenti ad aeterna christianus homo percepturus erit ex fide sua, nisi rationem vitae secundum eam direxerit: *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera au-*

(1) Iac. II, 20.

tem non habeat? numquid poterit fides salvare eum? (1) Istud immo hominum genus reprehensionem Christi iudicis multo graviorem incurret, quam qui ' christianae fidei disciplinaeque sint misere ignari; qui non, ut illi perperam, aliter credunt, aliter vivunt, verum quia carent Evangelii lumine, habent ideo quamdam excusationem aut minore sunt certe in noxa. — Quo igitur fides quam profitemur consentanea fructuum laetitia melius florescat, simul ex mysteriis ipsis quae mens considerando persequitur, ad virtutum proposita mire animus inflammatur. Opus nempe salutiferum Christi Domini, quale nobis eminet ac nitet in omnes partes exemplum! Magnus omnipotens Deus, urgente in nos nimia caritate, ad infimi hominis conditionem sese extenuat; nobiscum velut unus de multis versatur, amice colloquitur, singulos et turbam ad omnem erudit docetque iustitiam, excellens sermone magister, auctoritate Deus. Omnibus omnino se dat beneficium; e morbis corporum relevat languentes, morbisque animorum gravioribus paterna medetur miseratione : quos vel aerumna exercet vel sollicitudinum moles fatigat, eos in primis blandissime compellat et vocat: *Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos* (2). Tum ipse interquiescentibus nobis in complexu suo, de illo spirat mystico igne quem ad homines detulit, deque sui mansuetudine animi ac submissione benigne insinuât, quarum usu virtutum nos optat verae solidaeque pacis, cuius est auctor, participes: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde; et invenietis requiem animabus vestris* (3). Sed ipse tamen, pro ea sapientiae caelestis luce et insigni beneficiorum copia quibus homines demereri debuerat, hominum subit odia iniuriasque atrocissimas, atque sanguinem et spiritum cruci suffixus profundit, nihil spectans enixius quam ut illis pariat sua morte vitam. — Talia peramantis Redemptoris nostri monumenta carissima nequaquam fieri potest ut quispiam attenta secum cogitatione reputet et commentetur, neque grata adversus eum voluntate exardescat. At verius probatae vis fidei tantum efficiet ut, illuminata hominis mente et animo vehementer impulso, totum prope rapiat ad ipsius Christi vestigia per omne discrimen sectanda, ad eam usque Paulo dignam obtestationem : *Quis ergo*

fi) Iac. II, 14.
(2) Matth, xi, 28.
(3) Ib. 29.

nos separabit a caritate Christi ? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius ?.... (1) *Vivo autem iam non ego; vivit vero in me Christus* (2).

Ne vero ad exempla quae Christus, homo idemque Deus, de se exhibet sane quam maxima, nativae nos imbecillitatis conscientia absterriti deficiamus, una cum mysteriis eius mysteria Matris sanctissimae habemus oculis mentis ad contemplandum oblata. E regia Davidis stirpe est ea quidem progenita, cui tamen nihil iam est reliquum de maiorum vel opibus vel amplitudine, quae vitam in obscuro agit, humili in oppido, humiliore in tecto, recessu ipso et rei familiaris tenuitate eo contenta magis quod uberiore potest animo se tollere ad Deum eidemque summo desideratissimo bono penitus adhaerere. Atqui est cum ipsa Dominus, quam complet et beata gratia sua; ipsaque, allato caelesti nuntio, designatur, ex qua, virtute agente Spiritus Sancti, expectatus ille Servatur gentium nostra in humanitate sit proditurus. Celsissimum dignitatis gradum quanto plus ea miratur et muneri tribuit potenti misericordique Deo, tanto se, nullius sibi conscia virtutis, deprimit humilius, seque Dei ancillam, eius dum fit mater, prompto animo edicit et devovet. Quod autem pollicita sancte est, id alacris sancte praestat, iam tum perpetua cum Iesu filio, ad gaudia, ad lacrimas, communione vitae instituta. Sic tale fastigium gloriae, ut nemo alius nec homo, nec angelus, obtinebit, quia cum ipsa nemo erit virtutum promeritis conferendus; sic eam superi et mundani regni manet corona, quod invicta futura sit regina martyrum; sic in caelesti Dei civitate per aeternitatem omnem coronata assidebit ad Filium, quod constanter per omnem vitam, constantissime in Calvaria, redundantem tristitia calicem sit cum illo exhaustura. - Ecce autem in Maria virtutis omnis exemplar vere bonus et providens Deus constituit nobis aptissimum: eamque oculis et cogitatione intuentes, non animos, quasi divini numinis fulgore perstricti, despondemus, sed ex ipsa allecti communis propinquitate naturae, fidentius ad imitationem enitimur. Cui studio si nos, ea maxime adiuvante, totos dediderimus, licebit profecto virtutis tantae sanctitatisque lineamenta saltem exprimere, et quam admirabiliter tenuit ad omnia Dei consilia aequabilitatem vitae, referentes,

(1) Rom. VIII, 3B.
(2) Gal. n, 20.

ipsam licebit subsequi ad caelum. — Iam nos peregrinationem eo susceptam, quamvis aspera multisque sit difficultatibus impedita, animose fortiterque insistamus; neve molestiam inter et laborem cessemus tendere ad Mariam suppliciter manus in eas Ecclesiae voces : *Ad te suspiramus gementes et flentes in liae lacrimarum valle... illos tuos misericordes oculos ad nos converte; Vitam praesta puram, iter para tutum, ut videntes Iesum, semper collaetemur* (1). At illa, quae, tametsi nullam in se passa, debilitatem naturae nostrae vitiositatemque pernoscit, quaeque matrum omnium est optima et studiosissima, quam nobis opportune prolixeque subveniet, quanta et caritate reficiet et virtute firmabit ! Per iter euntibus, divino Christi sanguine et Mariae lacrimis consecratum, certus erit nobis nec difficilis exitus ad societatem quoque beatissimae eorum gloriae fruendam.

Ergo Rosarium Mariae Virginis, in quo apte utiliterque habentur coniuncta et eximia precationis formula et idoneum fidei conservandae instrumentum et insigne specimen perfectae virtutis, dignum plane est quod veri nominis christianis sit frequenter in manibus piaque recitatione et meditatione colatur. — Haec autem commendata singulariter volumus ei *Consociationi,* quam nuper etiam laudavimus legitimeque probavimus, *a Sacra Familia* appellatam. Si quidem illud Christi Domini mysterium, quod vitam intra parietes Nazarethanae domus tacitam abditamque diu transegerit, eidem Consociationi dat causam, ita ut ad exemplar Familiae sanctissimae divinitus constitutae sese christianae familiae curent sedulo conformare, iam eius perspicua est cum Rosario singularis quaedam coniunctio; qua praesertim attinet ad mysteria gaudiorum, in eo ipso conclusa quum Iesus, post declaratam in templo sapientiam suam, cum Maria et Iosepho *venit Nazareth et erat subditus illis,* cetera quasi instruens mysteria, quae hominum doctrinam et redemptionem propius efficerent. Quare videant Consociati omnes quam sit suum, cultores Rosarii atque etiam propagatores sese diligentes praebere.

Quantum est ex Nobis, rata firmaque habemus sacrae indulgentiae munera, superioribus annis concessa, eorum gratia qui octobrem mensem rite ad ea ipsa praescripta egerint: vestrae autem, Venerabiles Fratres, auctoritati et sollertiae valde

(1) Ex sacr. liturg.

tribuimus, ut par atque antea in catholicis gentibus caleat religio et contentio sancta ad Virginem, Christianorum Adiutricem, Rosarii prece colendam. - At vero, unde exorsa est cohortatio Nostra, inde placet ad exitum pergat, iterum apertiusque testando quem fovemus erga magnam Dei Genitricem animum et memorem beneficiorum et spei plenum laetissimae. Suffragia christiani populi ad eius aras pientissime supplicantis aeque rogamus Ecclesiae causa, tam adversis turbulentisque iactatae temporibus, aeque rogamus causa Nostra, qui devexa aetate, defessi laboribus, difficillimis rerum constricti angustiis, nullis hominum fulti subsidiis, ipsius gubernacula Ecclesiae tractamus. Nempe in Maria, potente et benigna matre, spes Nostra exploratior quotidie augescit, iucundius arridet. Cuius deprecationi si plurima eaque praeclara beneficia a Deo accepta referimus, id quoque effusiore gratia referimus quod iamiam detur quinquagesimum diem anniversarium attingere ex quo sumus episcopali ordine consecrati. Magnum sane hoc est respicientibus tam diuturnum pastoralis muneris spatium, quantum praecipue, quotidiana sollicitudine agitatum, adhuc impendimus christiano gregi universo regendo. Quod Nobis in spatio, ut est hominum vita, ut sunt Christi et Matris mysteria, nec defuerunt gaudiorum causae et plures, acerbaeque admixtae sunt causae dolorum, gloriandi in Christo praemiis quoque delatis; eaque Nos omnia, demissa Deo aequaliter mente gratoque animo, convertere ad Ecclesiae bonum et ornamentum studuimus. Nunc iam, nec enim dissimiliter reliqua vita decurret, si vel nova affulgeant gaudia vel impendeant dolores, siqua gloriae accessura sint decora, eadem Nos mente eodemque animo constantes, et gloriam unice appetentes a Deo caelestem, davidica illa iuvabunt: *Sit nomen Domini benedictum: Non nobis. Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (1). Equidem a filiis Nostris, quorum in Nos videmus studia tam pie et benevole incensa, potius quam gratulationes et laudes, summas Deo optimo grates precesque et vota magnopere expectamus; maxime laetati si hoc Nobis impetrent, ut quantum virium et vitae supersit, quantum resideat auctoritatis et gratiae, tantum Ecclesiae omnino accidat salutare, in primis ad infensos et devios, quos iamdudum vox Nostra invitat, reducendus reconciliandos. Omnibus

(1) Ps. cxn, 2; cxm, 1.

autem dilectissimis filiis, ex proxima, Deo donante, faustitate et laetitia Nostra, iustitiae, pacis, prosperitatis, sanctimoniae, bonorum omnium affluant munera: hoc paterna caritate a Deo adprecamur, hoc eloquiis eius commonemus: *Obaudite me.... et quasi rosa plantata super rivos aquarum fructificate: quasi Libanus odorem suavitatis habete. Florete flores quasi lilium., et date odorem et frondete in gratiam, et collaudate canticum et benedicite Dominum in operibus suis. Date nomini eius magnificentiam, et confitemini illi in voce labiorum vestrorum et in canticis et citharis.... in omni corde et ore collaudate et benedicite nomen Domini* (1).

Quibus consiliis et optatis si forte illuserint nefarii homines, qui *quaecumque ignorant, blasphemant,* parcat illis clementer Deus; ut ipse autem propitius, exorante sacratissimi Rosarii Regina, obsecundet, habete auspicium, Venerabiles Fratres, idemque pignus benevolentiae Nostrae, Apostolicam benedictionem, quam singulis vobis et clero populoque vestro peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die VIII septembris anno MDCCCXCII, Pontificatus Nostri quintodecimo.

LEO PP. XIII.

(1) Eccli. xxxix, 17-20, 41.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

GRATIANOPOLITANA

FINIUM PAROCHIALIUM

Die 21 Maii 1892.

Sess. 24 cap. 13 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Cum primi consulis Bonaparte edititalibus litteris diei 22 Octobris 1803, assensum praebente ecclesiastiaca auctoritate, omnium paroeciarum Galliae nova circumscriptio determinanda esset, etiam Episcopus Gratianopolitanus uniuscuiusque paroeciae suae Dioecesis sive urbanae sive ruralis, decreto diei 28 Aprilis 1804, limites designabat. Tunc paroeciae S. Ludovici pars septentrionalis civitatis addicta fuit « jusqu'à la porte de Graille; » atque finitimae paroeciae S. Iosephi « la partie du territoire de Grenoble *extra muros* et les maisons entre le Drac et l'Isère, situées dans le maux appelé vulgairement les îles de Saint Martin le Vinons. » Huiusmodi vero paroeciae, ut scribit hodiernus Antistes, « étaient séparées par un rempart dit de 1670 allant de l'est à l'ouest, et ensuite du sud au nord. »

Anno 1840 pars harum munitionum « orientée de l'est à ouest > quae civitatem Gratianopolitanam vallabañt deleta fuit, atque in ampla superficie, quae inter utramque paroeciam a muro vulgo *rempart* usque ad viam exteriorem munitiones cingentem seu *chemin de ronde* protendebatur, nova aedificia in pluribus' vicis distributa aedificata sunt. Hinc controversiae agitari coeperunt inter paroecias S. Ludovici et S. Iosephi. Siquidem haec contendebat ad suam iurisdictionem pertinere novas domus, utpote extra muros in quibus porta civitatis erat, extractas ; alia vero putans voce *muros* et aggeres comprehendi, tuebatur iurisdictionem paroeciae S. Iosephi ultra finem munitionum idest *chemin de*

ronde haud extendi. Ast quaestio post imperiale decretum diei 17 Februarii 1858, ita resoluta fuit ab Episcopo Ginoulhiac die 1 Martii eiusdem anni.

« Considérant que les constructions, dont il s'agit, ne se sont élevées ou ne s'élèveront que par suite de la démolition des anciens remparts qui séparaient les deux paroisses de St. Louis et de St. Ioseph; que cette démolition des remparts et le nivellement des fossés ont apporté un changement complet sur les confias des dites paroisses; que plusieurs des maisons dont il s'agit occupent un terrain jusque-là neutre en quelque sorte et interdit à toute espèce de constructions particulières; que ce bouleversement dans l'état des lieux rend nécessaire une rectification équitable et rationnelle dans les anciennes limites paroissiales ; considérant que la rue Condillac est la seule limite naturelle qui puisse être donnée aux deux paroisses sur le point qui nous occupe, soit actuellement, soit dans un temps plus ou moins éloigné, où il y aurait lieu de modifier sur d'autres points les limites des paroisses des la ville de Grenoble, que l'axe de la rue Condillac est, en moyenne, de 60 mètres plus rapproché de St. Louis que de St. Joseph; que toutes les constructions faites ou à faire sur le côté nord de cet axe forment le prolongement des rues, qui ont jusqu'ici appartenu à St. Louis; que les rues autrefois reliées entre elles par la rue intérieure des remparts, ne le sont plus guère aujourd'hui que par la rue Condillac et la place Vaucanson; que des diverses maisons bâties ou à bâtir sur le côté nord de l'axe précité, celles qui sont situées à l'extrémité occidentale, et qui font l'objet de la demande de St. Louis, sont beaucoup plus rapprochées de l'église de cette paroisse que celles qui sont situées à l'extrémité orientale et qui appartiennent incontestablement à le même paroisse; Considérant que si la paroisse de St. Louis retire des avantages certains de cette nouvelle délimitation, la paroisse de St. Joseph retire des avantages beaucoup plus considérables de l'extension de la ville de_la construction de plusieurs quartiers entièrement neufs, qui demeureront to-

talement sur son territoire; Nous avons ordonné et ordonnons ce qui suit :

« Article 1er — La ligne separative des paroisses de St. Louis et de St. Joseph est fixée par l'axe de la rue Condillac, prolongé sur la place Vaucanson, jusqu'à la rue des casernes de Bonne. >

Vertente autem anno 1883 etiam reliqua munitionum pars eversa fuit, atque inde occasio novae controversiae inter praefatas paroecias habita est, « Dans le principe, scribit hodiernus Episcopus, le litige paraissait limité à la parcelle du terrain provenant des fortifications démolies en 1840 et qui avait été annexée à la caserne Saint Louis. L'autorité diocésaine ne s'estimant point compétente pour trancher le différend, le soumit à Mgr. le Ministre des cultes, qui, dans sa réponse, du 4 Septembre 1888, se borna à constater l'autorité du decret de 1804 relatif à la délimitation générale des paroisses de Grenoble et celle du décret de 1.858. . . . A partir de cette époque la contestation s'est étendue à l'emplacement du rempart dirigé du sud au nord. » Quae controversiae cum in dies nec sine populi damno, et fidelium admiratione graviores fierent, Episcopus postquam frustra petiisset a parocho S. Iosephi « la cession amiable à cette paroisse (S. Ludovici) de la portion des nouveaux quartiers, comprise entre la rue Condillac prolongée jusqu'au lycée, le boulevard Gambetta et le côté nord de l'avenue d'Alsace Lorraine jusqu'au cours St. Andrée; » decretum tulit die 12 Novembris 1889, in quo haec precario statuebantur: « Jusqu'à ce qu'il en soit autrement décidé, nous maintenons à M. le Curé de St. Louis la. juridiction qu'il exerçait précédemment sur la portion de territoire dépendant naguère de la caserne St. Louis, et nous lui donnons de plus juridiction sur les terrains des anciennes fortifications placées en deçà de l'axe de la rue Condillac, de la rue Nord du square des Postes, du cours La Fontaine et du boulevard Gambetta, à partir du cours La Fontaine jusqu'à l'Isère. »

Sed iam ante, nempe die 1 Augusti 1888, Praesul ut

fidelibus qui in suburbiis civitatis degunt consuleret, aliud decretum tulerat quod parocho et consilio fabricae S. Iosephi minime arriserat. Hoc vero ita se habebat:

Art. I° « Nous demandons à MM. les Curés de qui dépend la banlieue de Grenoble, de nous aider dans le projet que nous avons conçu de doter les divers groupes qui se sont formés autour de la ville, de chapelles ou d'églises devant leur faciliter l'accomplissement de leurs devoirs religieux.

Art. 2° « En attendant que cet état de choses soit régularisé, il sera payé aux Fabriques des paroisses intéressées les rétributions auxquelles les dites Fabriques auraient droit à l'occasion des cérémonies qui se célébraient dans les églises ou chapelles précitées.

Art. 3° « Pour enlever tout ennui aux prêtres attachés à ces églises ou chapelles, nous réglerons leur service pour chacun en particulier et nous chargeons de traiter par nous-même ou par un représentant, les points en litige entre M. M. les Curés des paroisses intéressées et les prêtres chargés des établissements en question.

Art. 4° « Nous prenons à notre charge toutes les responsabilités qui se rattachent aux créations dont il s'agit, et nous nous engageons personnellement à tenir compte aux Fabriques diverses de tous les émoluments que la loi leur assure, ainsi qu'il a été dit plus haut. »

Mense Decembri 1889 parochus et consilium fabricae S. Iosephi primum apud S. C. C. de duobus decretis superius relatis conquesti fuere atque petierunt ut ea « rescindantur et irrita fiant. » Sed cum prius- Episcopus rem aliquatenus differri postularet ac postea aliqua spes compositionis affulgeret, diu quaestio haesit, licet nonnulla utrinque deducta fuissent. Interim cum iam Episcopus cum civili auctoritate agere coepisset pro reformandis finibus omnium paroeciarum Gratianopolitanae civitatis, consilium fabricae S. Iosephi petitionem suam enucleans in novo libello diei 20 Aprilis elapsi anni instabat: 1. ut locum fieret divisioni ter-

ritorii controversi inter duas paroecias S. Iosephi et S. Aloisii; 2. ut interdum revocetur decretum diei 12 Novembris 1889; 3. ut revocetur etiam aliud decretum diei 1 Augusti 1888 quoad iurisdictionem S. Iosephi. Requisitus Episcopus ceu de more super novo libello procuratorum S. Iosephi, rationes suas omnino illis contrarias protulit, atque opinatus est « qu'il n'y a point lieu... de statuer sur la 1ére ni sur la 3éme des conclusions, ces conclusions étant sans objet, » simulque S. C. rogavit « de rejeter la 2éme conclusion, en confirmant mon ordonnance précitée du 12 Novembre 1889. »

Disceptatio Synoptica.

IURA PAROCHI S. IOSEPHI. Qui partes agit paroeciae S. Iosephi recolens in primis verba decreti anni 1804, quibus huic ecclesiae addicebatur pars territorii extra muros, denegat voce « muros » designari integram territorii coronam quae constat valis, aggeribus, fossis, arcibus, propugnaculis, quaeque ad muniendam urbem longe in agros excedit. Inauditum enim proclamat cuiusvis aedificationis opera, murum vocari, sed semper sive muros in urbibus, sive moenia. Hinc cum divisio inter civitatem et suburbium ad portas redigenda sit quae ad muniendum ingressum sub vesperum occludebantur, cumque praefato decreto fines paroeciae Sancti Ludovici constituti fuerint « la ripa dalla via di Francia, fino alia porta » delia Graille » consequens videretur huius ecclesiae iurisdictionem prope muros finem habuisse. Quod etiam ab Episcopo in litteris ad S. C. diei 16 Martii 1890, et ab ipsis adversariis saltem implicite fuisse admissum patronus contendit. Ergo si paroeciae S. Ludovici iurisdictio muris ac porta contineatur, reliquum est munitionum superficiem ad S. Iosephi paroeciam pertinere.

Verum dato etiam, Sancti Iosephi ecclesiam nullum ius habere in superficie de qua agitur, pergit orator, locum sibi vindicaret sententia quae tenet interpositas munitiones ad neutram paroeciam pertinere. Ita ipsum Episcopum opinatimi

fuisse memorat, sive cum S. C. C. scribebat: sive etiam clarius in relatione quadam ad politicam auctoritatem. Quibus robur forsan ex eo accederet, quod usque ad munitionum eversionem territorium quibusvis aedibus caruit. Hanc sententiam amplexus fuit, iuxta patronum, Episcopus Ginoulhiac, qui et praesentia pariter et futura tempora prospiciens, novum territorium constituit a via Condillac ad viam stationis militum Bonne. In qua divisione, adnotat, licet specie tenus longe maior novi territorii pars paroeciae S. Iosephi adscribi videatur, tamen eadem ecclesia magnam pertulit iacturam cum ruralem illius ditionem novarum munitionum moles occupavit. Cum autem huiusmodi territorium neutrius proprium aequa ratione et legitime divisum fuerit anno 1858 ab Episcopo Ginoulhiac, monet orator, eamdem divisionem pro futuris temporibus in rem iudicatam seu potius in legem post saecularis sanctionis decretum abiisse. Unde infert haud hodierno Episcopo licuisse absque novis et gravioribus rationibus utriusque potestatis decreta evertere, atque iura aliorum quaesita delere, praesertim postquam parocho S. Iosephi in scriptis confessus fuisset strictum ius esse pro eodem.

Favore autem paroeciae S. Ludovici inepte ab Episcopo possessionem invocari censet orator. Etenim cum ante decretum anno 1858 omnia integra manerent et proinde nulla possessio adesse potuerit, triginta annorum lapsus, ante litis contestationem nondum effluxisset. Post decretum vero usque ad postremam munitionum eversionem, nempe ad annum 1884, possessionem excludere observant, factum quod inibi nil aliud extabat quam equile pro arcis praesidio. Elapso vero anno 1884, quamplures aedes extructae fuerunt, at illas minime in S. Ludovici ditione habitas fuisse dicit. Id evinci putat ex Episcopi litteris diei 25 Octobris 1887 ad parochum S. Iosephi, in quibus scripsit, alteram paroeciam petere cessionem amicalem novarum stationum, nec non ex aliis diei 5 Novembris 1887 precor concedere curato huius paroeciae delegationem etc. Ceterum,, concludit patronus, cum primum Antistes adversae paroeciae quod quaesiverat concessit, pos-

sessionem non agnovit neque confirmavit, sed contulit et quidem precario, uti postremi decreti verba aperte demonstrant. Possessio igitur ad invasionem reducenda videtur quae nec pacifica fuit, cum S. Iosephi gestores, veluti ex pluribus in summario exhibitis colligitur, numquam protestari omiserunt.

Ulterius, ait patronus, obiiciendum non est anno 1889 paroeciam S. Ludovici iam possedisse, ope decreti episcopalis habitationes extructas ubi erat statio militum de Bonne: eo quia Parochus S. Aloisii iurisdictione paroeciali plusquam semel atque iterum usus est extra locum ubi erigebatur statio militum de Bonne. Defuit enim Episcopi auctoritas, qui bona fide censet primo possessionem utcumque clandestinam ac violentam pro titulo valere: secundo, quo magis usurpatio extenditur, eo latiorem titulum esse agnoscendum. Re autem vera postquam Episcopus territorii partem S. Ludovici paroeciae assignaverat, paulo post nemine poscente totum adscripsisse videtur die 12 Novembris 1889: usque ad decisionem servamus Parocho S. Aloisii iurisdictionem, quam antea exercebat in partem, nuper dependentem a statione militum S. Aloisii ; atque insuper domus iurisdictionem super loco antiquarum munitionum, quae positae erant citra viam Condillac.

Verumtamen etsi paroecia S. Ludovici legitimam brevis alicuius temporis possessionem afferre posset, in iure receptissimum esse recolit orator, ne saeculari quidem lapsu praescriptioni obnoxios esse fines paroeciarum. Testis Reiffenstuel *Ius can. I. II_, tit. XXVI, n. 40* « Limites seu termini provinciarum, dioecesium et parochiarum, vel finibus cohaerentia, de quibus quod Ecclesiastica ordinatione olim sic praefixi fuerint, legitime constat, praescribi non possunt . . . . Adeo ut istud procedat in omni praescriptione, sive cum titulo, sive absque titulo, imo per tempus immemoriale aut ultra centum annos continuata. > Cui concinit Schamalzgrueber *Ius eccl. part. III, tit. XXIX, § 3* n. 22 et 23.* Quod etiam publico Galliarum iure in paroeciarum finibus servandum esse saecularis auctoritas Episcopo .significavit, dum ipsi

percontanti significabat possessionem paroeciae S. Aloisii magis aut minus diuturnam immutare nequire limites constitutos per decretum 28 Aprilis 1804, et modificatus per decretum diei 17 Februarii 1858: in themate praescriptio locum habere nequit.

Aliam vero rationem, qua Episcopus se impulsum dixit ad controversum territorium paroeciae S. Ludovici assignandum, quia scilicet huius paroeciae populus id omnino voluit, pariter nullius fere momenti esse patronus existimat. Siquidem praeterquamquod audacia ad ius opprimendum minime sufficit, Antistitis timor, ne gravia oriantur scandala, vanus forsan iuxta patronum, dici posset, tum quia numquam populi quies et religio in gratianopolitana civitate perturbata fuerunt, tum etiam quia a provinciae praeside qui, nisi religionis causa, studio saltem rei publicae pacem curare debuisset, id nullimode veritus fuit. Hinc et levior ipsi apparet alia causa quae in epistola eiusdem Praesulis ad parochum S. Iosephi diei 31 Maii 1889, his verbis exprimitur : scio aliunde quod fabrica S. Aloisii reclamare sequeretur quatenus meum decretum abolerem. . . . His visis, debitum meum est manutenere meum decretum, et manuteneo.

Quod vero attinet praecipuam obiectionem, nempe hic agi de precariis decretis ob necessitatem latis, observat patronus, clientes suos nedum de precariis hisce decretis, sed de perpetua circumscriptione statuenda dimicare. Quaeruntur autem et de precariis decretis eo quod, si illum audiamus, tantum ad fucum precaria dicta sint, cum nulla spes perpetuae definitionis affulgeat. Haec autem revera tribus iam. annis vigent, atque damna, iniuria illata, tamdiu toleranda haud esse existimat. Equidem vero Episcopus parocho S. Iosephi scribebat : patientiam habe, Archipresbyter, et attende una mecum, responsum quod tardare nequit : ast ipse nullimode expectandum duxit, atque, pendente controversia, omnia adversariis concessit. Tandem quod praefata decreta ad fucum precaria dicta fuerint, evinci monet orator, sive ex eo quod Antistes ad reipublicae moderatores scribens pro ee-

clesia Sancti Ludovici totis viribus dimicat et territorium illi competere lata oratione contendit, sive clarius ex iis quae parocho S. Iosephi significavit: meam decisionem, esse iudicium in causa de qua agimus.

Duo demum inter ea quae Episcopus retulit haud silentio praetereunda patronus censet. Alterum est quod paroeciae S. Iosephi iactura minima est ac futillima: alterum quod controversiam fovet parochus Ginon, qui in omnibus dioeceseos negotiis Episcopo adversatur. Verumtamen, quod decreta maximum detrimentum attulerint paroeciae S. Iosephi, demonstrare nititur ex eo quod amplissima regio citra viam Condillac . . . . quae decreto diei 1 Augusti 1888 paroeciae S. Ludovici assignata fuit, et suburbiuni S. Iosephi paroeciae ademptum die 12 Novembris 1889, tria millia hominum incolunt, velut municipalis census mensis Aprilis anni 1891 abunde testatur. Cum autem hic de vero paroeciae damno vitando agatur, et aliam animadversionem corruere adnotat, qua praesens iudicium parochi aemulationi tribuitur. Insuper Episcopus, pendente lite, die 17 Augusti 1890 parocho scribebat: a Sede Apostolica expetitur, ut omne scandalum cesset, et ideo vobis propono, ut quaestio respiciatur sub respectu tantum administrationis, minime vero personarum; gaudebo si inter nos pax et tranquillitas redeat.

Tametsi non parochum, sed coetum curatorum ecclesiae qui pluribus lectis viris tunc coalescebat iudicium instituisse refert, uti ex libello in actis edito eruitur, ubi haec habentur : fabrica admittere nequit ut fìat personalis quaestio agitata a quamplurimis in defensionem sacrorum iurium.

His quoad argumenta a Praesule allata animadversis, consequi censet patronus, servandum esse decretum episcopi Ginoulhiac anni 1858, et proinde ius quaesitum quod S. Iosephi ecclesiae ex illo derivavit. Neque idcirco, Episcopum valuisse territorium eversarum munitionum S. Ludovici paroeciae assignare, ut ipse scribebat die 7 Iunii 1889, non obstante ministeriali decisione, emissa favore S. Iosephi. Etenim Gratianopolitanus Antistes, iuxta oratorem haud ignorare

poterat ecclesiastica lege Episcopis in paroeciarum limitibus definiendis aut mutandis, saecularis potestatis assensum esse obtinendum. Siquidem id nedum in ea infensissima Ecclesiae lege quam Galli nuncupant « Articles organiques » praescribitur, sed etiam in Conventione inita anno 1802 inter Apostolicam Sedem et Galliae Imperatorem a fel. rec. Pontifice Pio VII, Constitutione *Ecclesia Christi* sancitam, et quae proinde pro lege haberi debet. Sane recolit, in Constitutione *Ecclesia Christi* haec legi : « Constitutis Dioecesibus, cum omnino necesse sit limites etiam paroeciarum constitui, earum circumscriptionem ab Episcopis fieri volumus: quae tamen circumscriptio suum non sortitur effectum, nisi postquam gubernii consensus accesserit. » Atque in articulo IX praedictae Conventionis : Episcopi in sua quisque dioecesi novas paroecias circumscribent : quae circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi postquam gubernii consensus accesserit. > Hanc vero legem non ad paroecias tantum initio constituendas pertinere, sed ad omnes circumscriptiones vel mutationes temporis, lapsu ineundas, admonet Bouix *De parocho par. 2, cap. 5, requisii. 11:* « In Gallia et nonnullis aliis regionibus ubi viget concordatum anni 1802 requiritur gubernii assensus. . . Ex qua dispositione sequitur iam erectas hoc modo parochias non posse dismembran, nisi pariter interveniente eiusdem gubernii consensu et ita in praxi a tempore concordati fuit observatum ». Quam legitimam saecularis potestatis facultatem et in praesenti controversia semper Episcopum agnovisse ex nonnullis eiusdem Praesulis epistolis abunde colligi patronus adnotat.

Si igitur exploratum est, ex Ecclesiae concessione pro forma in qualibet circumscriptionum mutatione civilem assensum requiri, eumque eo minus declinari posse in themate, eo quod Episcopus ipse iterum iterumque postulavit; ea quae civilis auctoritas significavit perpendenda videntur patrono. Iamvero haec non modo, ut superius relatum est, allegatam possessionem S. Ludovici nihili fecit et servandam esse edixit circumscriptionem statutam decretis diei 28 Aprilis 1804 et

17 Februarii 1858, sed imo post ulteriores Praesulis litteras aperte declarabat: decreta episcopalia 12 Novembris et 1 Augusti 1888, non obstantibus argumentis ab eodem invocatis, censeo esse irregularia et nullius valoris eo quod nulli fieri possit circumscriptio absque interventu civilis auctoritatis. Miratur autem patronus, qua ratione Episcopus post huiusmodi responsum et postquam parocho declarasset ministerii resolutionem favore parochi S. Iosephi, nihilominus in suis ad S. C. litteris diei 16 Martii 1890 aifirmaverit: quaestionem delatam ministerio cultorum, nullum retulisse responsum neque pro, neque contra.

Gradum deinde faciens ad novum specimen circumscriptionis paroeciarum, iudicio civilis auctoritatis ab Episcopo propositum, censet orator usque ad illius definitionem haud supersedendum videri. Omisso enim quod alia prorsus esset quaestio, observat iustam reintegrationem quae semper et quolibet in casu locum habere debet, propter excogitatum novitatis simulacrum, quod ad effectum nunquam perduci poterit, haud esse suspendendam. Id enim in primis, si illum audiamus, onera nimis gravia S. Iosephi paroeciae imponeret ac propterea effectum nancisci minime posset. Re quidem vera, ait, Sancti Iosephi paroecia 3500 fideles amitteret, quorum 2000 in via « Cours St. André » et 1500 in parte fori « Victor Hugo, » quod contra ius fuit a paroecia Sancti Iosephi avulsum. Insuper, pergit orator, erectio suburbanae paroeciae, omnino necessario requiritur, eaque non obscure ab ipso episcopali decreto diei 1 Augusti 1888 innuitur. Quae cum necessitate cogente perficienda sit, alios 2400 incolas eidem S. Iosephi paroeciae adunentur, et sic in totum 6000 fidelium idest dimidia totius iurisdictionis pars.

Secundo contendit patronus specimen ab Episcopo exaratum ad effectum haud perduci posse, eo quod ipse Antistes palam fatetur : propositionem nostram nequire ad effectum duci nisi concurrat fortuna privata. Admodum enim difficile apparet praesertim hisce temporibus aere privato tantam pecuniam collectivam conferre, quantam opus requirit. Siqui-

dem sumptus erogandus esset « di tre milioni » in ecclesias partim aedificandas, partim instaurandas. Neque ullum auxilium ab auctoritate municipali sperandum esse edicit consilium fabricae S. Iosephi: nam illa primo unius ecclesiae necessitatem agnovit ac praeterea ultra vires onera numquam perferret. Ast dato etiam praefatum specimen minime impossibilitate laborare, hoc negotium nullimode brevi tempore pertractari et a reipublicae moderatoribus definiri posset. Iam enim relate ad praesentem quaestionem Episcopus S. C. scribebat: si administer decisionem reddat favore fabricae S. Ioseph, fabrica S. Aloisii appellabit ad Consilium Status, eo quod ius habet. Adiice quod post sententiam Consilii Status, si vellem, appellare possem ad suam decisionem. Quamobrem concludit patronus, cum Episcopus in proposita divisione laedat singulas paroecias, laedat municipium, cum nostrae ecclesiae detrimentum confirmet, undique protestationes, querelae, appellationes expectari debent, quae rem in longissimum tempus perducerent.

Conqueritur tandem orator eo quod Praesul hucusque nil aliud intendere visus fuerit quam ut moratoriis exceptionibus et civilem et ecclesiasticam auctoritatem distineret. Nam die 3 Iunii 1889 ad consilium fabricae S. Iosephi scribebat: nolite appellare ad civile tribunal, aliter vos manent poenae statutorum dioecesanorum. Et cum S. Iosephi procuratores non ad civilem magistratum, sed ad S. C. provocavissent, Antistes iis scripsit: ego et vos definitivum attendimus responsum S. C. Concilii. A S. C. autem rogavit usque ad civilis auctoritatis definitionem in tota causa supersederi. Hoc autem idem esse putat ac ius utilis appellationis omnino denegare. Cum enim Sancti Iosephi procuratores decretum civilis auctoritatis accipient, nullum diffugium contra rem iudicatam habebunt. Frustra ecclesiasticam potestatem adirent, quae saeculare decretum semel editum, contra apostolicae conventionis legem revocare non posset. Frustra pariter ad civilem configerent, non modo quia Episcopus vetuit, sed etiam quia tempestive, ante decisionem sua iura deducere de-

búissent. Quam agendi rationem iuri canonico, quod partes in dismembratione us audiri praescribit et ipsimet apostolicae conventioni refragari patronus ostendere satagit, praesertim ex eo quod specimen die 7 Iulii 1889 provinciae praesidi transmissum nonnisi, octo mensibus elapsis, consilio fabricae S. Iosephi communicavit.

IURA PAROCHI S. LUDOVICI. Verum ex adverso praemittendum est iurisdictioni parochiali ecclesiae S. Iosephi, vi decreti anni 1804, illud territorium tantummodo fuisse assignatum quod extra muros pro tendebatur, et proinde suburbanum dici poterat. Voce autem *muros*, adnotat consilium fabricae S. Ludovici, intelligendam esse integram munitionum coronam quae vallis et aggeribus murum, vulgo *rempart* cingebat eique connectebatur. Etenim huiusmodi propugnacula nonnisi ut moenium accessoria consideranda videntur, quae idcirco ad paroeciam S. Iosephi non pertinent, cum iuxta *cap. 'Translato De Const.* in adnexis idem sit iudicium. Quibus praeterea astipulatur quod, ut scribit Episcopi secretarius, « d'après l'interprétation des officiers du génie militaire, l'expression *extra muros* signifie : hors du rempart, en dehors et au delà de tous les ouvrages de défense ».

Probabilior igitur apparet hodierni Praesulis opinio, quod nempe territorium antiquarum munitionum haud pertinebat neutri ex duabus paroeciis, ac velut tenuit etiam Episcopus Ginoulhiac, agitur in themate de superficie « neutre en quelque sort. » Nam licet iuridice loquendo pars quaevis territorii necessario ad aliquam paroeciam pertinere debeat, iure merito sustineri posset, in decreto anni 1804 casum quo munitiones everterentur minime fuisse praevisum, ideoque aggerum complexum ibi sumi pro termino. Cum autem terminus, ut ait Card. De Luca, participet de extremo, sequeretur superficiem intermediam aequaliter ad utramque paroeciam pertinere atque inter eas pro rata cum debita proportione esse dividendam. *De Regat. dis. 136, De iudiciis disc. 24.* Aequam huiusmodi divisionem pro parte quae ad orientem vergit perfecit Episcopus Ginoulhiac ; pro reliqua vero aggressus

est modernus Praesul, qui iam ad hoc cum civili auctoritate tractatus instituit. Quod si hanc nactus occasionem specimen exhibuit pro nova circumscriptione omnium paroeciarum civitatis post recentem aedilitiam instaurationem requisita, id iuribus ecclesiae S. Iosephi non officit, neque ex eo quod negotium ob gubernii interventum diu haeret, inferri licet illud in fraudem oratorum fuisse propositum. Delimitatio definitiva, ait Episcopus, fit iuxta Concordatum anni 1801 et Bullam *Ecclesia Christi:* sed fieri debet respiciendo praesertim bonum animarum sex populorum. Oppositionem super hoc S. C. C. certe non faciet. Et reapse edictum allegatur Praefecti « de l'Isère » diei 11 Iunii 1891, in quo enunciatur « une enquête de commodo et incommodo » quoad novam paroeciarum circumscriptionem, et omnes incolae monentur ut, quatenus velint, declarationes suas penes electum commissarium emittant. Num vero huiusmodi tractatus praeoccupat modo opportunum sit EE. PP. sueta sapientia et prudentia decernent.

Quod vero attinet decreta diei 1 Augusti 1888 et diei 12 Novembris 1889, quorum abrogationem postulat consilium fabricae S. Iosephi, haec S. C. C. subiicienda ducit Episcopus: decreti diei 1 Augusti 1888 obiectum haud erat dismembratio aliqua, sed invitatio parochorum ut extrui possent cappellae pro commodo 2500 animarum.

Quum parochus S. Iosephi auxilium denegasset, mentem meam perficere nequivi, nisi nonnullae communitates religiosae erexissent cappellas, in quibus fideles facili de modo missam audire valerent. Ergo decretum hoc meum minas futuras non constituit, quia eius obiectum non erat erectio novae paroeciae. Quam tamen Episcopus erigere posset *ex Trident. Sess. 21, cap. 4 et ex articulis organicis 61 et 62.*

Advocatus parochi S. Iosephi, prosequitur Ordinarius, censet meum decretum diei 12 Novembris 1889 adversari articulos orgánicos, et Bullam *Ecclesia Christi.* Bulla haec quum disposuisset de erectione novarum Dioecesum, iubet Episcopos determinare limites novarum parochiarum, quae delimitatio

suum consequetur effectum quando accesserit consensus gubernii civilis.

In primis, ait Episcopus, nihil sub traxi parocho S. Iosephi: territorii, de quo quaestio est, pars pertinebat ad antiquam militum stationem S. Ludovici, posita omni aevo in iurisdictione cleri S. Ludovici. Delimitatio anni 1804 quum non dederit paroeciae S. Iosephi alium limitem quam territorium gratianopolitanum extra muros, parochus S. Ludovici vindicavit territorium aggerum, se iureque paratum dixit ad sua pro tuenda iura apud cultus administrum et Consilium Status. Eius praetensiones iustitia videbantur niti eo magis quia parochus S. Iosephi opposuerat rationum momenta minimi ponderis. Sic ille adulteraverat sensum decreti episcopalis quoad delimitationem anni 1858, processus verbales commissionis •constitutae ad hanc disponendam delimitationem. Provisoria omnino est dispositio diei 12 Novembris 1889. Et re quidem vera delimitationis propositio exhibita fuit gubernio civili. Interdum tamen res nequiverant permanere in *statu quo* propter destructionem munitionum militarium.

Quamplures enim extructae erant domus, et extrui sequebantur: harum vero habifationum familiae nesciebant a quo parocho sacramenta peterent. Parochi autem S. Ludovici et S. Iosephi sibi quisque vindicabat iurisdictionem. Evidenter duae hae paroeciae limitibus certis carebant; et Episcopi erat consulere bono animarum ; quod censui facere per decretum diei 12 Novembris 1889.

Hanc vero provisionem prudentem fuisse vel ex eo dignoscitur quod etsi parochus S. Iosephi eam impetiverit, et denuntiaverit Apostolicae Sedi et Gubernio civili, tamen omnis quaestio tacuit: et nulla alia quaerimonia audita est ex fidelibus S. Ludovici. Gubernium quoque nihil opposuit, quamvis a nonnullis excitatum; quoniam probe novit, Episcopum debuisse supervenientibus consulere necessitatibus.

Ut res tamen componeretur propositum fuit diluendum

Dubium

An, quomodo et cuinam paroeciae adscribendum sit territorium eversarum munitionum urbis Gratia?iopolitanae in casu.

RESOLUTIO. Sacra O. O. re cognita sub die 21 Maii 1892,. censuit respondere : *Quoad circumscriptionem definitivam procedendum esse ad formam solemnis conventionis inter S. Sedem et gubernium gallicum anni 1802. Interim vero territorium eversarum munitionum, quae non comprehen~ duntur in circumscriptione anni 1858, pjertinere ad paroeciam S. Iosephi.*

MELEVITANA

FINIUM ET IURIUM PAROCHIALIUM

Die 23 Iulii 1892.

Sess. 24 cap. 13 de Eeform.

COMPENDIUM FACTI. Ad extremitatem magni portus melevitani assurgit civitas *Conspicua,* cui ex adverso finitima extat civitas Victoriosa moeniis et[1] propugnaculis munita. Prima ab altera quoad animarum curam dismembrata fuit anno 1584, et medium inter utramque, licet extra moenia civitatis Victoriosae, adest forum S. Margaritae , quod capitulum et parochus collegiatae ei v. Conspicuae sibi vindicant usque ad cuniculum vulgo dictum *tal Kassatat,* et vicissim archipresbyter parochus collegiatae Victoriensis sibi integre spectare contendit usque ad statuam S. Eliae prope conventum S. Theresiae.

Huic quaestioni altera subnectitur, pro cuius intelligentia notandum est, in finibus paroeciae civ. *Victoriosae* extolli super quodam promontorio ecclesiam S. Liberatae fratrum Ordinis Cappuccinorum, in qua incolae civ. *Conspicuae?*

non secus ac alii Melitenses, pro sua devotione sepeliri frequenter eligunt. Huiusmodi eveniente casu, parochus defuncti cadaver deferre nequit nisi usque ad fines paroeciae civ. *Victoriosae,* ubi huius rector cadaver excipit et comitatur ad ecclesiam PP. Capulatorum. Id fert consuetudo, cuius fundamentum parochus victoriensis repetit ex reservatione iurium parochialium facta tenore facultatis, quam Melevitanus Praesul anno 1736 tribuit PP. Cappuccinis fundandi conventum in praefato loco. « Facultatem quoad hanc partem necessariam pro fundando ac aedificando novo conventu praedicto, vigore praesentis impertimur, dummodo. . . patientiam praestent, ut parochus praedictus civ. Victoriosae, occasione funeris intra eorum cappellani cum stola et cruce elevata ingrediatur ad dandum cadaveri inibi sepeliendum ultimum vale. »

Contra praefatam consuetudinem , quam parochus civ. Victoriosae protuetur , insurgunt capitulum et parochus civ. Conspicuae, eamque abolendam esse contendunt, utpote fidelibus onerosam ob duplicem taxae funerariae solutionem, facilem occasionem scandalis praebentem , et S. Sedis ordinationibus contrariam.

Melevitanus vero Praesul, pro voto de more rogatus , accuratissimam S. C. C. super universo negotio transmisit relationem, in qua, finium quaestionem in primis attingens, documenta recenset hinc inde deducta, ac postea haec subdit : mei debitum censeo animadvertere, documenta aliaque deducta ab utraque parte non posse abscisse resolvere finium quaestionem, eo quod ab anno 1763 ad annum 1851 iurisdictio promiscue exercita sit a duobus paroeciis quoad paucas habitationes existentes in loco *Mina tal Kassatat.* Praeterea neque palum existentem sub statua S. Eliae, neque statuam ipsam signare videri fines utriusque paroeciae; nam id non probat Archipresbyter Victoriosae. , Quinimo ex nonnullis depositionibus argui palum et statuam haud ibi positam fuisse ceu signum limitum paroeciarum, sed ad finem omnino diversum. Traditionem insuper cadaverum nunc apud dictam

statuam, nunc alia in parte praedictae plateae constituere non videri factum omnino probatum; quod si etiam fuisset, tamen esse posset effectus mutuae tolerantiae ex parte parochorum. Archipresbyterum probare praesumere statuam S. Eliae esse limitem duarum paroeciarum, id desumendo ex facto plurimorum Antistitum, qui valedicere solebant Capitulo Victoriosae, seseque iungere Capitulo Conspicuae apud Statuam S. Eliae. Etiamsi factum existat, tamen ex hoc facto nil aliud erui posse videri quam laudabile desiderium istorum Antistitum manutenendi res in *statu quo;* sed non resolvi finium quaestionem ; quae aliunde ex se nulla laedit iura parochialia cum nullae adsint habitationes inter Statuam S. Eliae et *Mina tal Kassatat.* Gubernium civile interea constituisse limites harum paroeciarum.

Alteram deinde attingit quaestionem; atque, quibusdam allegatis SS. Congregationum decisionibus et decretis, ita pergit: certe usque adhuc viguisse inter duas paroecias consuetudinem dictis decisionibus contrariam quoad cadaverum delationem, sed verum quoque esse scandala et dissidia parta fuisse ab hac contra canones inolita consuetudine. Haeredes enim defunctorum duplici gravantur onere erga duos parochos ; quod adversatur Constitutioni *Romanus Pontifex* Benedicti XIII diei 4 Maii 1725 et resolutioni S. C. Ep. et Reg. in *Brundusina* diei 7 Decembris 1640. Consuetudinem vero hanc, utpote laedentem iura parochialia, nullam, irritam et nullius effectus haberi a Decreto S. C. C. diei 29 Ianuarii 1821. Quamobrem, ait Antistes, censeo, hanc secundam quaestionem, quae respicit cadaverum delationem , dirimendam esse per dispositionem resolutionis S. C. C. diei 14 Novembris 1676, et irritam nullamque declarari quamlibet consuetudinem contrariam dispositioni dicti decreti 29 Ianuarii 1821 S. C. C.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO PAROCHI CONSPICUAE. Finium itaque quaestionem aggrediens patronus capituli et parochi collegiatae civ. Con-

spicuae, praenotare sategit ex traditis a Conc. Trid. *sess, 24, cap. 13 De ref.* et a Ferraris *v. Parochia n. 4* plane scatere necessitatem determinandi certum territorii districtum pro tutiori animarum salute parochis commissarum ; atque plura deinde congessit argumenta, quibus e vinceret, plateam S. Margaritae intra fines Conspicuanae paroeciae comprehendi.

Hoc imprimis deduci posse autumat Orator ex eo quod civ. Victoriosa moeniis munitis undique circumcingatur, et platea S. Margaritae reperiatur praecise extra dicta moenia, quae fines seu terminos civitatis demonstrant, ceu iuxta Glossam eruitur ex *L. 173 ff. De verb. signi f.* - ibi - « Collegarum appellatione hi continentur qui sunt eiusdem potestatis; qui extra continentia Urbis est, abest: ceterum usque ad continentia non abesse videbitur >.

Crescere argumentum subdit Defensor, si perpendatur, rationem, propter quam *Conspicua* anno 1854 a paroecia Victoriensi sub titulo S. Laurentii dismembrata fuit, hanc praecise extitisse, quum civitas Victoriosa muris iungatur, et noctu portae istius clausae sint , cives nequibant a parocho S. Laurentii Sacramenta recipere quatenus per noctem necessitas adfuisset, sicuti narrat Ciantar, auctor operis, cui titulus « Malta Illustrata. > Nullatenus ideo praesumi posse, plateam S. Margaritae, extra moenia civ. Victoriosae, ab hac non fuisse tunc avulsam, quia secus idem incommodum perseveras set, quod per dismembrationem tolli voluit.

Praefatus insuper Ciantar in *op. cit. §. L.* tradit: B urmula nunc Conspicua. . . in istius finibus multae extructae sunt villae praesertim in monte S. Margaritae, cuius honore Ecclesia ibi aedificata fuit. . . super eumdem montem et alium qui dicitur *delia Mandra* anno 1638 aedificari coepit Arx *Firenzuola.* Iamvero si collis S. Margaritae, si arx ibidem extructa, Conspicuae indubitanter pertinet, idem profecto de platea S. Margaritae tenendum esse , subdit Orator, quia unum ab alio separari nequit, cum unum sit territorium et una sit paroecia in Conspicuano territorio.

Cohaerenter ad haec enunciativas allegat idem Orator, quibus in civilis gubernii actibus praefata platea non simpliciter a S. Margarita nuncupatur, sed a S, Margarita Conspicua vel de Conspicua ; ac subinde in medium profert tabulam photographicam, ipsius civilis gubernii cura redactam, de qua rationem habet etiam Episcopus in sua relatione.

Huc autem rebus perductis, fortius praesidium suae thesi quaerit patronus sive ex actibus possessoriis sive ex exercitio parochialis iurisdictionis. Imprimis itaque urget testimonium hodierni Vicarii generalis melevitani , archipresbyteri Despott, provincialis PP. Capulatorum , prioris Ord. Praedicatorum, prioris Carmelit. Excalc. et Equitis Inglott, qui unanimiter asseverant processiones a collegiata ecclesia Conspicuae duci per plateam S. Margaritae. Praefatus imo Vic. generalis ulterius declarat: sese super aedibus extructis anno 1862 in platea S. Margaritae, plena libertate iurisdictionem paroecialem exercuisse, quum munere Vicarii Curati illius Capituli fungeretur. Cui concinit superius memoratus Eques Inglott.

Urget praeterea testimonia Francisci Chiappara, Iosephi Chircop, Michaelis Mallia, Carmeli Cutajar , ipsiusque Vicarii generalis, ut, quoad degentes in loco vulgo dicto *sotto la Mina, tal Kassatat,* distinctius evincat, defunctorum corpora inibi a parocho Conspicuae elevata fuisse, et ab eo pariter SSmum Viaticum, aliaque sacramenta administrata fuisse. Idque confirmare studet sex documentis ex libris parochialibus Conspicuae excerptis.

De palo demum ac de statua S. Eliae disserens Orator, nonnullos alios adducit testes, et idem concludit quod Episcopus. Atque ita pariter se gerit quoad obiectum morem in ss. Visitationibus servatum, nec non quoad testimonia et documenta ex adverso producta.

Totis deinde viribus consuetudinem impetit, qua parochus Conspicuae prohibetur, quominus fines paroeciae Victoriensis ingrediatur ad exequias suorum subditorum prosequendas usque ad ecclesiam PP. Capulatorum. Compertum enim in

iure esse parochum proprium quoad funera illum esse, in cuius districtu quis, dum moritur, domicilium aut quasi domicilium habet. *Cap. 3 De sepulturis in 6*, Clementina *Dudum eod. tit.* et Rituale Rom. *De exequiis.* Ad praefatum ideo parochum proprium spectare nedum cadaver levare, sed et exequiales preces persolvere, et defuncti corpus humo reddere. Vecchiotti *Inst. Can. lib. 3, Cap. 5.* Quod si casus eveniat electionis sepulturae extra paroeciam, ad parochum proprium pertinere adhuc et levare corpus et exequias prosequi usque ad ecclesiam tumulantem ; ita ut parochus loci, quo funebris associatio transit, nec obsistere , nec tributa quaerere, nec iurisdictionem sibi vindicari possit, si recto tramite et sine solemni pompa huiusmodi transitus contingat. Vecchiotti *loc. cit.* §. *60 et 62,* Ferraris *v. Paroch. art. 3, n. 36* - ibi - « Occasione funerationis cadaverum alterius Dioecesis aut parochiae in ecclesiis Regularium, potest proprius parochus defuncti ad effectum deferendi processionaliter cadaver ad dictas ecclesias libere transire per quascumque dioeceses et parochias stola et cruce elevata, etiam irrequisitis earumdem parochis. Sic S. Congr. Episcoporum et Regul. in Piacentina *24 Novembris 1713 in resp. ad primum,* et pluries alibi. > Haec autem S. C. rogata a Fratribus reformatis Conventus loci Binasco Papiensis Dioecesis, ut declarare dignaretur: - « I. An curatus unius dioecesis, quaecumque sit, in transitu cadaveris, quod processionaliter ad Eccl. Regularium ab alia dioecesi defertur, transeundo per propriam iurisdictionem et parochiam, possit aliquam partem cerae et pecuniarum ab haeredibus defuncti praetendere; - II. An proprius parochus defuncti, transeundo per parochiam unius parochi alterius cuiuscumque dioecesis, ad effectum deferendi processionaliter cadaver ad ecclesiam Regularium, *possit Ubere ei licite* per eamdem cum stola et cruce elevata transire etiam irrequisito parocho ? - » die 28 Novembris 1671 respondit ad primum *negative* et ad secundum *affirmative.* Quam quidem resolutionem Innocentius XI

in amplissima forma confirmavit per Const. *Exponi nobis* ad rem editam die 11 Decembris 1676.

Hisce in iure praestitutis , consuetudinem iuri positivo praeiudicium generare non posse, ait Orator, nisi fuerit *rationabilis* et legitime praescripta. Quo autem sensu accipienda sit rationabilitas, docet Ferraris *v. Consuetudo n. 16:* « Ea autem consuetudo generatim loquendo censetur rationabilis, quae nec iuri naturali aut divino adversatur , neque iure canonico reprobatur, neque peccandi licentiam aut occasionem praebet, neque alia ratione communi utilitati perniciosa est; quae vero in aliquo deficit, censetur irrationabilis et consequenter numquam potest induci per actus legis contrarios ».

Porro, comparatione instituta hanc regulam inter et consuetudinem de qua in themate, de irrationabilitate eiusdem consuetudinis ambigi non posse sustinet patronus. Ipsam enim, iuxta superius allegata, a iure canonico reprobari affirmat; licentiam aut occasionem peccandi praebere, attestante Episcopo, quod talis consuetudo peperit malas consequentias et scandala de quibus res est in quaestione praesenti, ac demum perniciosam esse communi utilitati, cum idem Episcopus fidem faciat defunctorum haeredes onerari dupliciter iuribus parochialibus talemque consuetudinem originem dedisse quamplurimis dissidiis et abusibus.

Nec insuper legitime praescriptam dici posse praefatam consuetudinem, urget Defensor, ex eo quod in praescriptibilia sint parochorum iura , ad rem allegans quae leguntur in Andrien. *Iurium et privilegiorum, 2 Iunii 1883, pag. 388 Thesauri.* - ibi - < Neque clero suffragare videtur centenaria consuetudo quae beneplacitum et privilegium praesumere facit. Quandoquidem iura parochorum non solum centenaria consuetudine non perimuntur, verum etiam adversari eisdem non potest centum annorum observantia, ut saepius rescripsit S. C. C. et praecipue in liaren. *Ianum, 2 Iunii 1820;* in Nullius Sublacen. *Iurium parochialium, 29 Ianuarii 1821,* in qua expresse edicitur parochorum iura sarta tectaque

existimanda esse non obstante quadragesima et centenaria consuetudine ».

DEFENSIO PAROCHI VICTORIOSAE. Alter patronus e contra, qui iura tuetur parochi Collegiatae S. Laurentii civ. Victoriosae, antiquum huius paroeciae typum ante omnia in oculis ponit, quod, signatura assessoris ecclesiastici curiae Melevitanae 18 Novembris 1763, authenticum dicit et dismembrationi forsan coaevum, quodque demonstrat, fines utriusque paroeciae secerni per semitam tunc existentem et partim modo per subsequentia militaria opera obstructam ; eamque semitam produci subdit ab ora maris ad portam *delia Cottonera* (Zabbar Gate), ita ut pateat integram S. Margaritae plateam Matrici Victoriosae, occasione dismembrationis fuisse servatam. Non esse quaerendum sub inde quid adversum typum ferat, quia parochiale territorium, non militaribus operibus, sed ecclesiastica dispositione est commensurandum : nec inquirendum an expediat plateam S. Margaritae uni potius quam alteri assignare paroeciae, quia de iure constituto nunc agitur et non de iure constituendo.

Quibus praenotatis, pacifica plusquam saeculari possessione suam thesim probare nititur Orator. Neminem profecto ambigere quod memorata platea ante dismembrationem de anno 1584 paroeciae Victoriensi pertinuerit. Sequuta autem dismembratione, possessionis continuitatem nullatenus interrumpi vel infirmari, cum nullum documentum ad hoc afferatur ab adversariis: nullum ex priore saeculo (1584-1684), nullum ex altero saeculo (1684-1784), nullum insequentibus annis, usque ad vigesimum vertentis saeculi, quo nati dicuntur seniores testes a Conspicuano capitulo adducti. Ipsorum igitur adversariorum silentio comprobari, plateam S. Margaritae intra fines paroeciae S. Laurentii actu comprehendi, quia non constat ab hac illam fuisse avulsam.

Plura insuper accedere, ait, adminicula, inter quae accenset praeprimis authenticum typum superius memoratum, animadvertens, adeo verum esse designatam illam semitam ab ora maris usque ad portam Zabar-Gate demonstrare par-

titionem utriusque paroeciae , ut etiam nunc per longum tractum (ubi videlicet novis molitionibus non disparuit) pro limite pacifice habeatur. Otiose idcirco ab adversariis disputari *de palo* existente ubi nunc est simulacrum S. Eliae: manet siquidem locus, qui est ora maris. Nec ab iisdem adversariis negari posse quod cives Victorienses in ipso medio foro S. Margaritae habeant coemeterium, ubi sepeliuntur peste defuncti, quodque parochus S. Laurentii et ad hoc coemeterium quotannis, die 2 Novembris, expiatoriam processionem agat, et per medium dictum forum solemnes supplicationes ducat, quoties aliqua impendat calamitas.

Aliud adminiculum quaerit Orator ex libris *Status animarum* paroeciae Victoriensis, in quibus ab anno 1747 usque ad annum 1779 recensentur fere quotannis habitantes in aedificiis *Minae,* ab anno autem 1779 ad annum 1783 eadem animarum descriptio prosequitur. Et hanc esse portam subdit defensor, quae hodie sub appellatione venit : *Mina tal Kassatat.*

Pondus hisce addi, pergit patronus, ex baptismo pueris collato (1760, 1764, 1791) , ex nuptiarum benedictione (1772, 1801, 1817, 1851), ex defunctorum exequiis (1763, 1780); et vult ut in documentis ad rem productis notetur, locum illum *Mina tal Kassatat,* cuius habitantibus sacramenta administrata sunt, designari prout continuativum cum coemeterio parochiali existente in foro S. Margaritae: ex. gr. « huius parochiae habitantes in ianua quae conducit et qua pergitur ad clausuram seu coemeterium infectorum. »

Nec satis aeque ex adverso obiici actus iurisdictionis fuisse ab utroque parocho expletos; quandoquidem unus alterve casus saeculari et continuo exercitio parochi S. Laurentii obesse nequiret. Sed evanescere huiusmodi assertum, si perpendatur , quatuor contrarios testes non referre nisi facta singularia, aequivoca et super uno eodemque casu saepius versa et conversa, eaque tantum procedente saeculo XIX, raro de visu, frequentius de auditu. Accedere, quod non sine dexteritate ex adverso confundatur *Mina tal Kassatat,* quae

tota est in perimetro civ. Victoriosae, cum *Mina Zabbar,* sub qua parochiarum partitio habetur, ita ut ad laevam parochia S. Laurentii et ad dexteram parochia de Conspicua ius incontroversum habeatur.

Hanc autem exceptionem, pro contrariis testibus factam, non pati ab illis, quos numero maiores ipse adducit Orator, quia non inductione, sed explicita confessione fines paroeciae S. Laurentii determinant. Huc porro revocat iuratas depositiones Salvatoris Farrugia, Laurentii Colleia , Raphaelis Camilleri, Laurentii Aquilina, Iosephi Bonello, Gabrielis Fabri et Augustini Montesiu, qui vel absolute affirmant, vel audivisse asseverant, fines ibi esse, ubi nunc est simulacrum S. Eliae. Huc pariter revocat priores duos testes charactere sacerdotali insignitos, eisque addit Ioseph Battigieg, ut probet morem ab Ordinariis Melevitanis servatum in S. Visitationibus, non permittendi videlicet capitulo Conspicuano ipsos comitante , ut ultra locum progrederetur , ubi statua S. Eliae conspicitur. Quod quidem factum vi sua haud minuitur ex animadversione hodierni Episcopi , qui opinando dicit factum ipsum tribuendum esse laudabili studio suorum praedecessorum manutenendi *statum quo;* nam ex studio servandi *statum quo* plane consequitur huiusmodi statum fuisse et esse favore paroeciae S. Laurentii circa possessionem plateae S. Margaritae.

Ad nonnullos demum ex recensitis testibus rediens patronus, eisque addens Teresiam Durante et Iosephum Borg, suam thesim confirmare studet ex consuetudine excipiendi cadavera eo loco, quo ipse semitam divisoriam superius iudicavit, atque in suam partem trahere conatur testimonium ipsius Vicarii generalis ex adverso allatum. Hunc siquidem testem, olim parochum Conspicuanum, quamvis adversum, fateri tamen cadavera alteri parocho tradidisse non ad portam, sed prope portam Margaritam, vel in via quae ad eandem duxit, vel etiam in eo ipso loco a testibus Victoriensibus designato, videlicet sub ecclesia protestantium.

Post haec, alteram quaestionem attingens Defensor, te-

xtum allegat imprimis, iam in facti specie relatum, circa reservationem iurium parochialium factam in tenore facultatis erigendi novum conventum PP. Oapulatis datae sub die 9 Aprilis 1736; et animadvertit neminem hucusque praeter modernum Conspicuanum Capitulum conquestum esse de consuetudine hac in re vigente. Adductis vero S. C. C. decisionibus contrarias opponere facile esset, cum ipsae semper proferantur in casibus specialibus, et videndum esset qualiter in themate contra relatam consuetudinem, non de facto obortam, sed episcopali decreto sancitam, obstent.

Nec de oblationibus et taxis constituendis vel emendandis loquendum hic esse: si quae enim constituenda aut emendanda sint, haec ad Episcopum eiusque synodum pertinuit, salvo iure cuicumque quaesito.

Aut ergo quaestio iuris est, aut disciplinae. Super quaestione disciplinari clienti suo non esse interloquendum prosequitur Orator: super quaestione autem iuris ipsum protestan, quatenus praefata consuetudo arbitraria et illegalis qualificetur. Nulla quidem id vetari : imo universaliter acceptam iuxta Barbosam *De off. et potest, parochi p. III, cap. 26,* e pluribus S. C. C. responsis probari. Quandoquidem hic non agitur de *intermedia* parochia, per quam parochus defuncti ad ecclesiam tumulantem accedens, elevata utique cum cruce et stola transire, ubi id moris fuerit, potest; sed agitur de ipsa ecclesia tumulante, quae repraesentatur a parocho, et existit in eiusdem parochi territorio, per quod nemini, ipso non annuente, licet tali apparatu pertransire. Et cum limen parochiae in casu aequivaleat ipsi limini ecclesiae tumulantis, omnes decisiones ab adversariis allatas plane corruere concludit Patronus.

Miratur imo ipse defensor quod iura parochi tam facile Ordinarius everti autumet et poscat Constit. Innocentii XI *Exponi nobis* suffultus. In ea quippe Pontifex confirmavit responsa S. C. C. super dubiis propositis a Fratribus Minoribus loci Binasco. At primum dubium ad rem non facere; secundum autem dubium ita sonare : « An proprius parochus

mortui, deferens cadaver processionaliter per alienam paroeciam, possit deferre stolam et crucem elevatam, etiam irrequisito parocho? » cui S. C. respondit *affirmative.* Neminem hinc non videre, quod petitione principii, quaestionis termini ab adversariis in casu immutantur, cum quaestio praecise haec sit : « an sustineatur consuetudo etc. quae viguit et viget ex iure parocho S. Laurentii quaesito ab ipsa suae ecclesiae filialis concessione Ordini Cappuccinorum facta, atque Ordinarii Melevitani decreto sancita anno 1736 ».

Idque vel ab ipso Magistratu civili Melitensi legitimum recognitum fuisse, cum de iure parochi S. Laurentii quoad funerum emolumenta cognosceret. Ait enim: praesenti in casu non agi de cadaverum elatione a loco mortis ad sepulturae locum cum transitu per interpositam paroeciam; sed directe de elatione a paroecia Conspicuae, ad aliam limitrofam paroeciam Victoriosae. Et ideo Breve Innocentii XI diei 11 Decembris 1676, decisio S. C. Ep. et Reg. diei 25 Novembris 1713, aliaque acta respicientia iura et prae tensiones parochorum, paroeciarum intermediar um, nullimode hic applicari queunt.

Hisce adductis, proposita fuerunt dirimenda

Dubia

I. *An et intra cuius paroeciae fines comprehendatur platea S. Margaritae in casu.*

II. *An sustineatur consuetudo favore parochi S. Laurentii de Victoriosa in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii re discussa sub die 23 Iulii 1892 censuit respondere: *Ad I. Ex deductis, affirmative favore paroeciae de Victoriosa. Ad II. Negative, ita tamen ut parochus Conspicuensis ingredi nequeat ecclesiam PP. Capulatorum.*

S. CHRISTOPHORI DE LAGUNA

DUBII SUPER INSTITUTIONE

Die 9 Aprilis 1892.

Sess. 24 cap. 1 De reform, matr.

COMPENDIUM FACTI. Ut EE. PP. ea qua pollent iuris peritia, nonnullis quaestionibus ab Episcopo S. Christophori De Laguna seu Teneriflensi propositis benigne responsum dare valeant, eiusdem Antistitis epistolium hic inserere opportunum reputatum fuit.

En itaque eius verba : « Ex novissima conventione inter Sanctam Sedem Hispanumque Gubernium anno 1851 inita, sancitum est, ut ius praesentandi quosdam ad ecclesias cathedrales canonicos potestati civili competeret : sed aliquando contingit, canonicos sic a gubernio praesentatos qualitatibus a iure requisitis carere : evidentissimum igitur est tunc Ordinarium nullatenus posse institutionem et canonicam beneficii collationem talibus viris conferre. Verum enim vero iuridica indignitatis probatio pluries admodum difficilis est, pluries periculis plena; tum quia de occultis delictis agitur, tum quia res versatur circa gravissima crimina, praesertim vero de iis, quae sine maximo ecclesiastici ordinis dedecore et populi scandalo publico in iudicio adduci nequeunt, cum nihilominus electi indignitas pianissime Ordinario constet. Quibus praemissis ab Eminentissimis Patribus sequentem resolutionem dubiorum humillime exquiro:

« 1. An possit Ordinarius in casu ex informata conscientia, ut aiunt, procedere, et sic indignitate electi patefacta, canonicam beneficii collationem denegare?

« Et quatenus negative : 2. An semper Ordinarius in casu strictum ordinem iudicialem servare teneatur, vel sit in sua potestate oeconomice seu gubernative procedere?

« Et quatenus negative ad primam partem et affirmative ad secundam: 3. An de sententia ita oeconomice seu gubernative prolata detur ad Metropolitanum recursus, vel tantum ad Sanctam Apostolicam Sedem? •»

Disceptatio Synoptica

Pauca, ceu de more, quoad singulas quaestiones animadversa fuerunt; et ante omnia, quod primum dubium forsan duplici intellectui posset esse obnoxium. Primo enim videretur Praesul quaerere, num sibi fas sit indignos ad canonicatus praesentatos repellere, eâ procedendi forma adhibita, quae ex informata conscientia dici solet ; scilicet num facultas concessa Episcopis in *cap. I, sess. 14* S. Tridentinae Synodi possit et ad canonicam beneficii institutionem extendi. Iamvero dubitatum quandoque fuit utrum vi praedicti capitis extraiudicialiter ab Episcopis ascensus tantum ad sacros ordines interdici, vel etiam suspensio « ab ordinibus, seu gradibus vel dignitatibus ecclesiasticis » infligi posset. At huiusmodi quaestionem ab hac S. C. resolutam fuisse testatur Benedictus XI V *Be Syn. dioec. lib. 12 > cap. 8, n. 3;* - ibi - « Ex quibus verbis nempe Tridentinis, colligitur, posse Episcopum ob occultum crimen, etiam extraiudicialiter cognitum, non solum clericis prohibere ascensum ad superiores ordines, sed etiam a suscepti iam ordinis ministerio eosdem! interdicere: quamvis enim in secunda decreti parte, ubi de suspensione est sermo, non iterentur illa verba ; *etiam ob occultum crimen quomodolibet etiam extraiudicialiter ;* constans nihilominus et perpetua S. Congregationis Concilii sententia fuit ob continuationem sermonis censeri repetita, eaque utrumque casum complecti. > In cuius asserti confirmationem citat responsum datum Episcopo Aleriensi *êw 24 Novembris 1657,* nec non aliud *diei 16 Decembris 1730+* praeter Oritanam seu Tarentinam *20 Augusti 1735,* Vercellensem *21 Martii 1643* etc. Praeterea apud Ferraris *Bibi. can. verb. Suspensio, art. 1, num. 19.* Ad haec habentur: « Plures etiam existimant posse Episcopum ex informata conscientia suspendere a beneficio : idque ubi agitur de suspensione ab exercitio ordinis suscepti, videtur simul agi de suspensione a beneficio, ut praeseferunt illa verba: *aut qui*

a suis ordin¿bits seu gradibus, vel dignitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus. » Quae sententia saltem indirecte confirmata fuisse videtur a S. C. C. in una Sagonen. *21 Iunii 1625* et in Lucionen. *8 Maii 1848.* (1)

Iamvero si Episcopo fas est clericos suspendere ex informata conscientia a beneficio iam possesso, non incongruum esset arguere et eodem extraiudiciali modo procedere posse, ne illius possessionem, qui repellendus foret, obtineat. Idque eo magis in themate, cum agatur de canonicatu ecclesiae cathedralis, per cuius assecutionem indignus consiliarius fieret Episcopi, et quodammodo ad pastoralis regiminis participationem vocaretur. Ceterum animadvertendum etiam est, nonnullos pro regula iuris habere, quod sententia lata super institutione in beneficio iurispatronatus contineat potius actum extraiudicialem, ut tenet Gonzalez *ad reg. 8 in annot. contr. nullit, num. 14.* Rota in Cracovien. *Praeposita S. Ilarionis 27 Maii 1650 cor. Bichio:* in quam sententiam descendit et Card. De Luca *De iurep. disc. 51, v. 5,* quoties non agatur de quaestione inter plures praesentatos, vel de iure praesentandi. Unde hoc admisso, potestas extraiudicialiter procedendi, saltem in pluribus casibus, Episcopo haud deneganda videtur.

Nihilominus contra huiusmodi conclusionem forte opponi posset, quod Episcopus nequit uti potestate quae ipsi certo iure non competat. Porro praecedens argumentatio et inde deducta conclusio tota innititur in sententia, quae limites probabilitatis minime excedit; hinc potestas Episcoporum arcendi clericum ab assecutione beneficii, etsi theoretice ut probabilis defendi possit, haud forsan in praxi tuenda esset: magis adhuc forte suadetur ex eo quod Concilium Tridentinum praedicto *c. 1, sess. 14* mentionem fecerit tantum de « gradibus vel dignitatibus > iam possessis, dum e contra quoad ordines, expresse distinxit ordines suscipiendos et iam

(1) Relatam reperis Vol. XIV, 299. Eecole etiam Vol. XIX, 561; ubi relata fuit Instructio S. Congregationis de Propaganda Fide super suspensionibus *ex informata conscientia.* Sequitur appendix ad huius Instructionis explanationem 563.

susceptos. Esto ergo quod S. Synodus per illa verba « ordines vel dignitates ecclesiasticae » intelligere voluerit beneficia, sicut suspicatus est adnotator Ferraris *loc. cit.* contra alios; non tamen inde sequeretur quod Episcopus habeat facultatem denegandi clerico praesentato beneficii institutionem. In odiosis enim ex una expressa facultate aliam non expressam minime fas esset eruere; atque in themate si Concilium voluisset utramque potestatem tribuere episcopis, utramque express isset, veluti quoad potestatem suspendendi ab ordinibus reapse expressit.

Insuper si aliquis extraiudicialiter beneficii assecutione privari posset, poena haec perpetuae suspensionis naturam indueret, quae num ab Episcopis vi praefati *cap. 1, sess. 14* infligi queat ambigitur. Quamvis enim S. C. interpretata sit, ut colligitur ex *lib. 7 Decret., pag. 80 a tergo « Caput 1 sess. 14* Tridentini locum habere in prohibitionibus et suspensionibus tam temporaneis quam perpetuis », tamen controversia ad trutinam revocata fuit paulo post, uti legitur in *lib. Memorialium 22., pag. 24.* -ibi - « Tamen quia Episcopi huiusmodi potestate abuti possunt, Illmi Domini dixerunt referendum SSmo, si moderamen aliquod hac de re adhiberi posset, quo iuri et periculo occurreretur. Die *27* Ianuarii 1583 facta relatione Congregationis Concilii ad SSmum coram Illmo Columna, Sua Sanctitas respondit, videndum num prohibitio et suspensio Concilii sit perpetua vel temporaria, quod si temporaria non laxandum decretum.... sin autem prohibitio et suspensio Concilii perpetua intelligatur, adhuc studendum et maturius rem esse perpendendam. » Quod vero tunc in suspenso mansit, recentiori aevo saltem ex praxi S. O. C. receptum fuisse videtur, quemadmodum observatur in citata Lucionen. § *Si autem,* et in Patavina *11 Septembris 1880 § Quod,* (1) ut huiusmodi suspensiones perpetuae et indefinitae, quae merae privationes dici possunt, minime ferendae sint, nisi praemittantur monitiones aliae-

(1) Patavina relata fuit Vol. XIV, 292.

que iuris solemnitates in *sess. 21, cap. 6, De reform,* praescriptae.

His accedit quod institutio canonica ab Episcopo concedenda praesentatis a gubernio similis prorsus videtur illi quae in iurepatronatus conceditur, quaeque nisi constet de electi indignitate denegari non potest. Ne igitur laesio aliqua iuribus patronorum obveniat, et in casu, ut conventio inita anno 1851 inter S. Sedem et Hispaniarum reginam adamussim servetur, caute admodum in huiusmodi casibus procedendum esset. Iamvero si Episcopis extraiudicialiter seu ex informata conscientia liceret praesentatos, quos indignos putant, a canonicatu repellere, aditus plerumque quaestionibus cum civili potestate praecluderetur, ac tunc forsan prudentiae rationes prae iuridicis sibi locum vindicarent.

Verumtamen, uti superius innui, dubium a Teneriffensi Episcopo propositum posset et aliam interpretationem accipere. Siquidem ea verba « et sic indignitate electi patefacta canonicam beneficii collationem denegare » suaderent hanc esse Antistitis mentem, ut nempe sacerdos ad vacantem canonicatum praesentatus, ex informata conscientia ob crimen occultum ab exercitio ordinis suspendatur, et sic huiusmodi poena factus indignus possit ab assequenda canonica institutione prohiberi. Tunc vero suspensionem,- si ad iuris tramites lata fuerit, sustineri videretur: ast haud undequaque certum apparet num inde causa sufficiens ad beneficii collationem denegandam exurgeret. Dato enim etiam quod ex illata suspensione infamiae nota praesentato inureretur, tenet Garcia *De benef. p. 7,, cap. 8,* infamiam facti non sufficere ad ius quaesitum per nominationem ad beneficium adimendum.

Quoad reliquas quaestiones haec animadversa fuerunt.

Scitum enim est S. C. Episcoporum et Regularium anno 1880 Instructionem edidisse pro ecclesiasticis curiis, quoad modum procedendi oeconomice in causis disciplinaribus et criminalibus clericorum. Quamvis autem in ea haud expresse caveatur potestatem summarie procedendi tradi Episcopis

In casibus, de quibus scribit Antistes Teneriffensis, tamen et hos saltem implicite ibi comprehendi tenendum esset, et aptari posset vulgata iuris regula « ubi eadem est ratio, eadem debet esse iuris dispositio. » Et sane cum S. C. praedictam Instructionem dederit, « mature praesenti Ecclesiae conditione perpensa, quae pene ubique impeditur quominus externam explicet suam actionem super materias et personas ecclesiasticas », auxilium etiam Ordinariis praebere voluisse censendum videtur, qui in ea conditione, quam exposuit Episcopus Teneriffensis versantur. Sin minus haud dicendum esset in casu rationes deesse, quibus facultas oeconomice procedendi extendenda esset.

In citata autem Instructione *cap. 42* legitur : « Quum appellatio producitur a sententia alicuius curiae episcopalis ad metropolitanam, Archiepiscopus pro cognitione et decisione causae sequitur normam procedendi in hac Instructione traditam. » Ex quo sequitur, et in processu oeconomice peracto ad Metropolitanum appellationem dari. Et reapse agitur de vero iudicio, a quo nisi aliud expresse caveatur, ex iure sive civili sive canonico, semper provocatio ab inferiori iudice ad superiorem conceditur.

His quoad propositas quaestiones summatim delibatis, Emi Patres rogati fuerunt resolvere

Dubia

I. *An et quomodo possit Ordinarius in casu, ex informata conscientia, ut aiunt, procedere, et sic indignitate electi patefacta, canonicam beneficii collationem denegare.*

Et quatenus negative

II. *An fas sit Episcopo oeconomice procedere in casu.*

Et quatenus affirmative.

III. *An a sententia in oeconomico processu lata detur appellatio ad Métropolitain in casu.*

RESOLUTIO. Sacra O. Concilii, re disceptata sub die 9 Aprilis 1892, censuit respondere: *Ad I Negative. Ad II et*

III Affirmative; ad formam Instructionis S. C. Episcoporum et Regularium anni 1880. (1)

EX QUIBUS COLLIGES I. Non posse Episcopos repellere indignos ad beneficia praesentatos , adhibendo procedendi formam, quae ex informata conscientia dici solet ad illorum evincendam indignitatem.

II. Hisce in casibus tamen dari Episcopis facultatem procedendi oeconomice ad formam nuperrimae *Instructionis S. C. Ep. et Reg. anni 1880 ;* per quam appellatio datur a lata sententia ad Metropolitam.

III. Repelli non posse clericos praesentatos ad beneficia, quorum indignitas evinceretur per iudicium ex informata conscientia; quia poena haec indueret naturam perpetuae suspensionis; quam Antistites iure certo ferre nequeunt, nisi praemittant iuris solemnitates, etiam per processum oeconomice instructum.

BARCHINONEN.

FACULTATIS BINANDI

Die 23 Iulii 1892

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Parochus SS. Gervasii et Protasii et B. M. V. sub titulo de Bonanova, dioecesis Barchinonensis in Hispania, Sacratissimum Principem adivit, haec exponens:

« Suam paroeciam, nimis extensam, plus quam septem millibus animabus constare et pro earum spirituali servitio, duos tantum esse deputatos sacerdotes, nempe parochum, et coadiutorem et, etiamsi in allata paroecia duo sint sacerdotes adscripti, iam aetate provectos, tamen non sufficere, ut sacrosanctum hic sacrificium toties celebretur quoties oportet, ut fideles omnes commode riteque huic gravi praecepto satisfacere possint ; unde necessarium esse frequenter quaerere in

(L) Instructio relata fuit Vol. XIII, 324.

civitate sacerdotes, ut ita dicam ambulantes, qui suo concursu talem defectum supplere valeant. Sed quoniam hoc parochialis ecclesiae fabricae maxime gravosum sit ex una parte et valde insecurum ex alia ; nam multoties factum est, ut templo Domini fidelibus repleto ad Sacrum audiendum in die festivo, talis extraneus sacerdos ad hoc expresse vocatus, ut missam celebret in hora ipsi assignata, vel non apparuit vel tardius venit, ideo, praesertim in aestivo tempore, quo fidelium numerus augetur, multi sacrum non audiant, et praeceptum cum magno animi dolore oratoris non adimpleant; et si bene verum est, quatuor esse ecclesias monialium ubi sacrum celebratur, tantummodo qui sunt propinquiores concurrere possunt, et missae celebrantur tempore communitatibus convenienti. Praeterea doctrinae christianae fratrum Congregatio in praefata Paroecia mere stabilita est, qui, vi suae fundationis, pueros ad ecclesiam parochialem, causa sacrum audiendi, ducere tenentur, et cum perdifficile sit, ut omnes fideles praeceptum adimplere valeant, attento parvo numero sacerdotum ex una parte, et ex altera distantia valde diffusa, hora circiter cum dimidio, Sanctitati Vestrae enixe postulat pro gratia, ut duo sacerdotes, nempe parochus et coadiutor, vel quilibet alius a parocho designatus, in diebus festivis possint binare, non obstantibus missis quae celebrari possint in supradictis quatuor ecclesiis monialium ».

Episcopus vero, ad rem de more requisitus, testatur, in primis *pro certo habendum esse qicidquid ab oratore allatum fuit,* ac deinde prosequitur: « Insuper paroecia s. Gervasii memorata in adiunctis invenitur attentione dignis, quandoquidem complectitur novem millia animarum, quas spiritualiter pascit parochus auxiliatus uno coadiutore ac duobus aliis sacerdotibus ibi commorantibus, cuius territorium habet spatium unius horae cum tribus quadrantibus ab Oriente ad Occidentem et trium quadrantium ab Aquilone ad.meridiem. Porro huiusmodi distantiae difficultatem afferunt fidelibus, ut possint praeceptum adimplere exiguo missarum numero, quae celebrari solent in templo parochiali, quae quidem difficultas ex eo augetur, quod in familiis, dum alii ad missam audiendam pergunt, alii domi remanere teneantur ad domestica servitia praestanda. Huc accedit angustia templi parochialis quod solummodo plus minusve mille fide-

les continere potest, quo fit ut, quamvis non daretur allata causa distantiae, ob angustiam templi fideles praeceptum missae adimplere non possent. Haec autem necessitas crescit aestivo tempore, quo incolae in oppido vulgo s. Gervasii 14,000 numerari solent, cum cives Barchinonenses quamplurimi recreationis gratia, aestivis caloribus perdurantibus, illuc transferantur ».

« Dantur sane intra limites praefatae paroeciae sex publica sacella ad religiosas domos pertinentes, ubi quotidie fit sacrum, ac proinde ad ea confluere fideles possunt ad missam audiendam, ast cum ea sint exigua, difficultatem minime tollunt. Neque sacerdotes ibi celebrantes ad celebrandum in parochiali diebus festis compelli possunt, quandoquidem ex dictis cappellis seu ecclesiis tres ad coenobia sanctimonialium ac reliquae ad Collegia sororum votorum simplicium, quasi clausuram servantium, pertinent. Nec denique exteri sacerdotes vocari possunt cum ii suis ecclesiis generatim adscripti diebus festis occupati inveniuntur sique liber aliquis restat non nisi extraordinario stipendio, quod praebere illa paroecia nequit, ad illud servitium extra urbem praestandum consentit. »

« Ex dictis liquido apparet, quod si in petitione parochi s. Gervasii non eaedem circumstantiae concurrant assignatae in laudata Constitutione *Declarasti,* saltem inveniuntur his aequivalentes ; quocirca prae oculis habens quod in hodierna indifferentiae religiosae tempestate necessarium sit facile reddere adimplementum ecclesiae praeceptorum, censeo oratoris preces attendendas esse ac opportunissimum, ut duo ex quatuor sacerdotibus memoratae ecclesiae s. Gervasii bis in festis sacrum facere queant, non obstantibus missis quae in publicis ecclesiis aut oratoriis privatis ibi celebrentur, prout aliis duobus parochis huius dioecesis ob similes causas concessum fuit. »

Disceptatio Synoptica

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. Porro sacrum eadem die prioribus Ecclesiae saeculis iterare consuevisse sacerdotes, id exigente eorum exiguo pro fidelium numero, constat ex Card. Bona *Rer. liturg. lib. 1, c. 18, §. 1 et seqq.* Thomassin. *De vet. et nova eccl. discipl. part. 3, lib. 1, c. 72,* §3 et Be-

nedict. XIV *De Synod, dioeces, lib. 5, c. 8, § 8.* Verum cum tractu temporis abusus irrepsissent, praefata facultas primum in Concilio Salegunstodiense, deinde a Leone IV limitata fuit. Innocentius vero III in *cap. Consuluisti* et Honorius III in *cap. Te referente, de celebr. miss,* quamcumque aliam iterationem interdixerunt, una excepta festivitate *Nativitatis Domini* et causa *necessitatis;* quae talis esse debet, cui aliunde succurri nequeat.

Iamvero huiusmodi necessitas haud verificari videtur in casu. Quando quidem unum vel plures sacerdotes ex ipsa civitate haberi posse haud obscure innuit orator ipse dum asserit, quod *necessarium est frequenter quaerere in civitate sacerdotes, ut ita dicam ambulantes,* quodque in quatuor ecclesiis monialium sacrum Utatur, licet in horis respectivis religiosis familiis magis convenientibus.

Nec petitae facultati suffragare videtur distantia, cum haec minime auferretur per binandi facultatem, quia non in aliis diversis et propinquioribus celebraretur ecclesiis, sed in eadem parochiali.

GRATIA INDULGENDA VIDETUR. Verum ex altera parte adverti posse videtur ex *Canon, sufficit de consecrat, dist. 1 et cap. Consuluisti cit.* Missam bis in eadem die, necessitate cogente, celebrari posse. Certum est enim parochum, qui duabus ecclesiis regendis sit praefectus, posse, Episcopo id permittente, eadem die in utraque ecclesia celebrare. Gonzalez in *cit. cap. Consuluisti n. 2,* Pirhing. *in lib. 3 Decret, tit. 41, § 1, p. 2,* et Benedict. XIV *De sacrif. miss, tit. 3, c. 5, n. 1,* et *Const. Declarasti Nobis.*

Cum vero tritum sit idem in iure obtinere ubi eadem ratio subsistit, haud incongrue forsan praefata iuris dispositio ad casum nostrum traheretur, ex eo quod aequipollentes saltem existimari possent rationes ab oratore allatae. In themate enimvero nedum ratio distantiae concurrit, quae suo pondere destituta non videtur, ex eo saltem quod parochiani itinere defatigati favorem promereantur, quo ipsi expeditius missae praecepto satisfacere valeant; verum etiam quod hic potissimum videtur angustia ecclesiae, quae vix mille fideles continere valet, dum ipsi usque ad 9000 numerantur, et aestivo tempore usque ad 14000 excrescunt.

Difficultatem autem parere haud videtur aliquem reapse

non deesse in civitate sacerdotem non adscriptum alterius ecclesiae vel capellae servitio, nam, animadvertit Episcopus quod nec ille compelli potest ad sacrum faciendum in parochiali, nec fabrica paroeciae par est sustinendo oneri stipendium extraordinarium solvendi.

Quibus animadversis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 23 Iulii 1892 censuit respondere: *Pro facultate binandi pro -una missa tantum, durantibus circumstantiis, arbitrio et conscientiae Episcopi.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

NEAPOLITANA. Decretum Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Francisci Xaverii Mariae Bianchi sacerdotis Professi e Congregatione Clericorum Regularium sancti Pauli Barnabitarum.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, tuto procedi possit ad solemnem Ven. Seroi Dei Beatificationem ?

In vita et moribus Ven. Francisci Xaverii Mariae Bianchi ea praeclare apparuit nituitque aurea quasi catena christianae omnis perfectionis, quam Augustinus monuit, a fide tamquam a capite deductam, vario virtutum pulcherrimarum contextu exire demum in summam omnium caritatem. Quare extitit ipse merito dilectus Deo et hominibus, utilis multis, qua praesertim temporum vixit acerbitate, nempe saeculum inter superius et nostrum; eiusque memoria in benedictione fuit ac tanta fama increscente, ut Causa Beatificationis et Canonizationis sit legitime instituta. In qua rite expensis probationibus quae ex ordinariis et apostolicis processibus desumptae sunt, fel. rec. Pius Papa IX, de heroicis Ven. Francisci Xaverii virtutibus solemne decretum edidit VII calendas martias anno MDCCCLVII. Altero autem decreto vertentis anni VIII calendas apriles, Sanctissi-

mus Dominus Noster Leo Papa XIII bina miracula post illius obitum eodemque intercedente a Deo patrata fuisse solemniter edixit. Ideoque ad legitimum Causae complementum, id inquirendum erat: num tuto concedi in Ecclesia possent Ven. Francisco Xaverio beatorum caelitum honores. Quare in generali Sacrorum Rituum Congregatione coram eodem Sanctissimo Domino Nostro in Aedibus Vaticanis VI calendas maias eiusdem anni habita, Rmus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi, Episcopus Albanensis, Causae Relator, dubium proposuit: *An, stante virtutum et duorum miraculorum approbatione, tuto procedi possit ad Ven. Servi Dei Francisci Xaverii Mariae Bianchi Beatificationem?* atque adstantes omnes Rmi Cardinales et Patres Consultores affirmativum responsum dederunt. Sanctitas vero Sua priusquam in re tam gravi quidpiam decerneret, caeleste lumen a Deo exquirendum esse dixit.

Hac vero die, qua votiva gaudia Nativitatis Deiparae Virginis celebrantur, oblata prius propitiationis Hostia, in nobiliori Vaticani aula solio assidens, praesentibus Rmis Cardinalibus Caietano Aloisi-Masella Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, et praefato Lucido Maria Parocchi, una cum R. P. Augustino Caprara, Sanctae Fidei Promotore, et me infrascripto Secretario, solemniter decrevit: *Tuto procedi posse ad solemnem Ven. Francisci Xaverii Mariae Bianchi Beatificationem.*

Decretum hoc promulgari, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri, literasque Apostolicas in forma Brevis de Beatificatione quandocumque celebranda expediri iussit VI idus septembres anno MDCCCXCII.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, *Praefectus.*

L. * S.

VINCENTIUS NUSSI, *Secretarius.*

ROMANA. Decretum Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei P. Antonii Bai-ci inucci sacerdotis Professi e Societate Iesu.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, tuto procedi possit ad solemnem Ven. Servi Dei Beatificationem?

Venerabilis Antonius Baldinucoi, qui virtute divini spiritus fortiter suâviterque actus, reliquit omnia, et Christum proxime secutus, per diuturnos evangelizandi labores, tam multos a perditionis via in viam salutis reduxit, mirum sane quam amplis a Christo Domino gratiae suae muneribus tota vita sit auctus, atque gloria et honore ipsis coram hominibus, sit splendide coronabis. Ab anno enim MDCCXVII quo ad beatum saeculum transiit, vividior in dies eius fama sanctitatis floruit, ita ut Beatificationis et Canonizationis eius Causa penes Sacrorum Rituum Congregationem agitari coepta sit; atque probationibus iuridice sumptis riteque expensis, eius virtutes heroicum attigisse gradum fel. rec. Pius Papa IX solemni decreto sancivit V calendas ianuarias anno MDCCCLXXIV. Deinde per aliud vertentis anni decretum VIII calendas apriles editum, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII. de binis miraculis intercessione Ven. Antonii a Deo patratis suprema auctoritate sua constare declaravit. Illud restabat discutiendum num Venerabilis Dei Servus inter Beatos tuto foret recensendus. Quod propositum fuit a Rmo Cardinali Raphaele Monaco La Valletta, Episcopo Ostien. et Velitern. Causae Relatore in generali Sacrorum Rituum Congregatione, coram eodem Sanctissimo Domino Nostro, in Aedibus Vaticanis VI calendas maias praesentis anni coadunata; omnesque, tum Rifii Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi, tum Patres Consultores, unanimi suffragio affirmative responderunt. Sanctissimus vero iterandas esse preces censuit, ut ad sententiam in tam gravi negotio ferendam caeleste auxilium sibi compararet.

Hac vero die Mariae nascenti sacra, Eucharistico litato sacrificio, nobiliorem Vaticani aulam adiens ac pontificio solio assidens, coram Rrïiis Cardinalibus Caietano Aloisi-Masella Sacrorum Rituum Congregationi Praefecto, ac praefato Raphaele Mo-

naco La Valletta, necnon R. P. Augustino Capram, Sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, decrevit: *Tuto procedi posse ad solemnem Ven. Servi Dei Antonii Baldinucei Beatificationem.*

Atque hoc decretum publici iuris fieri, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri, literasque Apostolicas in forma Brevis de Beatificatione quandocumque celebranda expediri iussit VI idus septembres anno MDCCCXCIL

C. CARD. ALOISI-MASELLA, *Praefectus.*

L. *é* S.

VINCENTIUS NUSSI, *Secretarius.*

MURANA seu COMPSANA. Decretum Beatificationis et Canonizationis ven. Servi Dei Fr. Gerard! Maiella laici Professi e Congregatione Sanctissimi Redemptoris.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum et quatuor miraculorum, tuto procedi possit ad solemnem Ven. Servi Dei Beatificationem ?

Divinae gratiae donum, super omnibus divitiis praestantissimum, ex quo fideles Christi famuli habent in se et custodiunt thesauros omnes verae sapientiae et scientiae, admirabiles ascensiones disposuit in corde Ven. Gerardi Maiella. Qui pro humili vitae conditione brevique aetate nihil quidem magni in hominum oculis perfecit; sed praecepta et consilia evangelica, in quibus summa sapientiae et scientiae continetur, tacito studio observantissime coluit. Ab eius beata morte, quae contigit anno MDCCLV, ipsius virtutum fama latius usque manante, pertractari Ven. Viri Causa coepit apud Sacrorum Rituum Congregationem, et singulis probationibus ex ordinariis et apostolicis processuum tabulis rite expensis, fel. rec. Pius IX heroicis ipsum praemisisse virtutibus solemniter edixit VI idus Iunii anno MDCCCLXXVII. Postea per aliud vertentis anni decretum VIII calendas Apriles latum, de quatuor miraculis Ven. Gerardi intercessione a Deo

patratis caelitum honoribus eidem Venerabili tuto decernendis. Quod cum propositum fuerit a Rmo Cardinali Miecislao Ledochowski, Causae Relatore in generalibus Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis VI calendas maias ad Vaticanas aedes habitis coram eodem Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII, tum Rmi Cardinales, tum Patres Consultores affirmativum suffragium ediderunt. Attamen Beatissimus Pater in re tanti momenti sententiam suam aperire distulit, maiorem caelestis luminis gratiam interim imploraturus.

Hodierna itaque die ex beatissimo ortu sanctae Mariae Virginis consecrata, laudis Hostia oblata, ad hanc nobiliorem Vaticani aulam accedens, atque solio assidens, adstantibus Rmis Cardinalibus Caietano Aloisi-Masella Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, loco etiam ac vice praefati Cardinalis Ledochowski, nec non R. P. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, ac me infrascripto Secretario, declaravit: *Tuto procedi posse ad solemnem Ven. Seroi Dei Gerardi Maiella Beatificationem.*

Atque hoc decretum publici iuris fieri, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri, litterasque Apostolicas in forma Brevis de Beatificatione quandocumque celebranda expediri mandavit VI idus Septembres anno MDCCCXCII.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, *Praefectus.*

L. * S.

VINCENTIUS NUSSI *Secretarius.*

SPOLETANA. Decretum Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Leopoidi a Gaichis sacerdotis professi Ordinis Minorum s. Francisci Reformatorum.

SUPER DUBIO

An, et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur?

Ab exemplo magni Apostoli Pauli, illud sibi Ven. Leopoldus a Gaichis recte assumere poterat sancteque profiteri: Christi bonus odor sumus Deo (II Cor. II, 15). In variis enim temporibus

vitae suae, ad annum productae octogesimum tertium sive in claustris degens, sive procedens in lucem, pietate in Deum, caritate in proximum, humilitatis et poenitentiae spiritu adeo excelluit, ut Christi Domini et exemplo sancte in se referret, et odorem bonum spiraret, lateque in Dei gloriam diffunderet. Hoc autem maxime praestitit in apostolicis missionibus, quas plurimas obiit easque per difficillima tempora, in publica rerum eversione, labente superiore saeculo: qui nullis fractus laboribus, neque minis et persecutione deterritus, per annos quinque et quadraginta in eo munere constanter perseveravit, strenuus imitator s. Leonardi a Portu Mauritio, et animarum studio et fructuum ubertate. Tanta virtutum fragrantia nomen *saneti* apud omnes ipsi promeruit. Qua communi fama ornatus anno MDCCCXV in osculo Domini quievit. Huiusmodi vero fama crebrescente in dies ex prodigiis, quae eius intercessione a Deo patrata ferebantur, de ipsius Beatificationis causa apud Sacram Rituum Congregationem agi coeptum est, eumque heroicis praefulsisse virtutibus fel. rec. Pius IX idibus februariis anni MDCCCLV solemniter pronuntiavit. De duobus deinde miraculis, eius deprecationi attributis, triplici disceptatione de more actum est. Prima apud cl. me. Card. Thomam Martinelli Causae relatorem in coetu antepraeparatorio habito III idus Martii anno MDCCCLXXXVIII; altera in Vaticanis Aedibus XVII calendas Octobres anno Domini MDCCCXCI in praeparatorio Comitio; tertia demum VI calendas maias hoc anno coram Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII, in iisdem Vaticanis aedibus, ubi Rmi Cardinales et Patres Consultores huius Sacrae Congregationis in generali conventu collecti, singuli suffragium protulere suum. Sanctissimus vero Dominus Noster pro vetere sua pietate erga Ven. Virum, cuius natale solum demumque in Perusina dioecesi non semel inviserat, pergratum quidem sibi esse declaravit de miraculis eius causam coram se agi, praecipue quum uberes fructus susceptos Umbrae regiones adhuc loquantur ; confidere etiam sententiam votis responsuram Umbriae totius et Franciscalium. In aliud tamen tempus distulit iudicium suum proferre, atque interea caelestis luminis auxilium implorandum esse commendavit.

Hodierna vero solemnitate Dominae nostrae Mariae nascentis, incruento Missae Sacrificio oblato, ad hanc nobiliorem Vaticani aulam accedens, ad se arcessiri iussit Rmum Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella Sacrae Rituum Congregationi Praefe-

ctum, loco etiam et vice Rmi Cardinalis Caroli Laurenzi, Causae Ponentis, cum R. P. Augustino Caprara, Sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemni decreto sancivit: *Constare de duobus propositis miraculis,* scilicet de primo : *Instantaneae perfeetaeque sanationis Angelae di Re a cancerosa stomachi uleeratione;* et de altero: *Instantaneae perfeetaeque sanationis Candidae Bueehi, viduae Scipioni ab acutissima meningo-mielitide, lentam spinae affectionem subsecuta.*

Atque hoc decretum in vulgus edi, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit VI idus Septembres anno MDCCCXCII.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, *Praefectus.*

L. & S.

VINCENTIUS NUSSI, *Secretarius.*

LITTERAE SSmi Patris Leonis XIII ad Praepositum generalem Societatis Iesu.

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Suffragatione patrum, qui in memori ista natali sede Parentis legiferi rite sunt congregati, te Societatis Iesu delectum esse Praepositum, maturrime Nos, ex nuntio primum eléctrico, tum ex litteris eo ipso die, postridie calendas, a te datis accepimus, idque non mediocrem Nobis laetitiam fecit. Tale quidem, dilecte fili, divinum de te consilium ille quodam modo praesenserat vir prudentissimus cuius in locum succedis; qui te, bene aptum ad Societatem regendam quum perspexisset, iampridem in procurationis partem advocaverat, teque, ut vestrae sunt leges, idem designavit qui vicario munere post se fungereris. Itaque tam aperta providentis Dei significatione, numini et voluntati eius securus acquiesce, in eoque fac spem tuam constituas et confirmes in dies fidentius : nempe Societati vestrae, ad maiorem eius nominis gloriam tantopere contendenti, omnibus ipse, ut antehac, subsidiis benignissime aderit, atque tibi difficile munus difficillimo tempore obeunti, opem sane afferet singularem. Magna quidem, ut nostis, voluntate semper affecti fuimus ad Societatem Iesu, quacum grati etiam animi coniunctione tenemur; eiusdem autem reputantes et multa in Ecclesiam promerita et summam obtemperationem studiumque erga hanc Beati Petri Sedem, aeque ab ipsa in posterum eoque amplius ad maximas Ecclesiae rationes pollicemur Nobis, te praeside, et expectamus. Iamvero copiam caelestis luminis, quam tibi sociisque singulis ad suffragia convenientibus precatione Nostra exoptavimus, iterum exoptamus a Deo largiorem, ut quae, secundum praescripta vestra, congressis adhuc vobis in Domino reliqua sunt deliberanda et transigenda, ea recte omnia feliciterque procedant. Denique tibi, dilecte fili, atque Societati universae, id quod enixe rogasti, Apostolicae benedictionis munera, paterna caritate impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 12 Octobris anno 1892, Pontificatus Nostri quintodecimo.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

MASSILIEN.

NULLITATIS MATRIMONII.

Die 23 Iulii 1892.

Sess. 24 cap. 9 De refor. matrim.

COMPENDIUM FACTI. Wulfranius Canaple matrimonium catholico ritu iniit Massiliae in ecclesia S. Caroli cum Eleonora Verminck; sed post cohabitationem, plus minusve interruptam, fere quatuordecim mensium, mulieri per epistolam nuntiavit suum definitivum discessum.

Quod ut rescivit pater Eleonorae, quae post acceptum praefatum nuntium paternam domum repetiit, civile divortium pro filia continuo petiit, ac facile obtinuit. Perversis exinde ducta consiliis mulier, alii viro sectae schismaticae addicto se per actum civilem coniunxit, prolemque ex hoc nefario connubio suscepit.

Progressu temporis, die nempe 10 Decembris 1887, supplicem mulier Episcopo massiliensi porrexit libellum, quo se facti poenitentem dixit illati scandali, simulque postulavit, ut matrimonium a se contractum cum Wulfranio Canaple nullum declararetur ex capite vis et metus, a viro passi, et proinde ex defectu consensus eiusdem viri. Verum processu ad tramitem iuris in Curia massiliensi instituto super allegato nullitatis titulo, Vicarius generalis ad hanc causam iudex delegatus, consideratis eiusdem processus resultantiis, aliisque in iure considerandis, Eleonorae adversam sententiam pronuntiavit die 3 Novembris 1891, declarans: non posse decernere nullitatem matrimonii ex capite vis et metus, neque ex defectu consensus aut sacramenti.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO MULIERIS ACTRICIS. Patronus itaque in primis contendit, nihil omnino faciendam esse, imo etiam contrarium suadere, rationem decidendi, quae prae ceteris massiliensis iudicis animum movit, nempe : « l'obligation d'éviter le scan- » dale, qui en résulterait pour les fidèles » attenta praesertim « la loi civile du divorce ». Notat enim confundendum minime esse divortium cum declaratione nullitatis matrimonii reapse irriti; quod confirmat auctoritate S. R. U. I. in instructione pro Episcopis pituum orientalium edita die 20 Iunii 1883. Addit autem in themate tam peculiaria ac sane lugenda concurrere adiuncta, ut ex huiusmodi declaratione non equidem occasio, sed imo remotio scandalorum ac insuper plurium animarum bonum certissime obveniret; praesertim cum permagna spes adsit fore, ut vir, cui civili vinculo alligata est oratrix, legitimata unione , ad veram religionem adducatur, prout ait ipsa oratrix in suo supplici libello.

Nullius quoque momenti esse, ait, ceteras rationes decidendi enunciatae sententiae praemissas ; idque ostendere satagit enucleando facti adiuncta antecedentia, concomitantia et subsequentia, prout eruuntur ex iudicialibus actis. Et primum compluribus testibus probat habitualem Wulfranii agendi rationem ante matrimonium fuisse irregulärem atque indignans Praeterea Wulfran, tempore matrimonii, aere alieno gravabatur.

Quamobrem, prosequitur orator, Wulfranii familia vehementer expetebat, et nullum non movebat lapidem, ut "Wulfran ipsum ad matrimonium cum divite puella ineundum impellerei. Id autem et nimium naturale esse, et positive constare ex testibus, quorum verba refert, neque negari potuisse ab ipso matrimonii defensore apud Curiam massiliensem ; qui imo ultro admisit etiam Verminck, oratricis patrem, licet ex diversa causa, huiusmodi matrimonium in votis nimium habuisse.

Itaque praedicta familia Canaple , ut exoptatum finem assequeretur, nomine Wulfranii, licet fere inscii, in matrimonium petiit Eleonoram ab eius patre Verminck, qui facile admodum annuit. Idque constare ex testimonio Friderici Bohn, Caroli Hornbostel nec non Julii Roux. Animadvertit autem patronus ex relato Roux testimonio satis manifeste innui, Wulfran numquam antea Eleonoram vidisse. Certe vero, sequitur, sponsi inter se numquam fuerant collocuti, testante hoc expresse oratrice.

Igitur, si patronum audias, Wulfran, cuius profligatae vivendi licentiae honestum matrimonium iam nimis repugnabat, postquam Eleonoram cominus conspexit, et cum ea paulisper conversatus fuit, magis magisque firmus permansit in suo proposito non contrahendi matrimonium. Eleonora enim, ipsi prorsus displicuit; immo etiam horrori fuit, prout testatus est Roux.

Porro orator nedum verosimile, sed omnino verum existimat quod animadvertit testis Hornbostel, scilicet, Vulfranium ab initio sperasse se ab ipsa Eleonora vel eius parentibus fore repellendum, atque ita ab omni molestia ex parte suae familiae liberatum iri. Is enim dum nullam prorsus amoris significationem sponsae exhibuit, perditissimam suam vivendi rationem non modo non mutavit vel saltem dissimulavit, sed apertissime ostentavit.

Verum quum, contra spem votaque Wulfranii res accidisset , quum scilicet is huiusmodi negativa, ut ita dicam, reluctantia nihil proficeret, positive contra matrimonium agere coepit. Itaque de improviso fugam arripit, remque suis nunciat per epistolam ad fratrem missam. Nec satis : nam Wulfranius, non solum, prout scripserat, profectus est « pour une destination inconnue » , sed insuper profectus est cum alia muliere, quam turpi amore prosequebatur. Hoc factum, ait orator, magis magisque confirmat protestationem Wolframi, eiusque aversionem a matrimonio cum Eleonora contrahendo, luculentius etiam demonstrat; nam velle adhaerere uni mulieri est nolle nubere alteri, iuxta tradita per Barbos

sam *vot. decis, lib, 2, vol. 16, n. 30,* per S. Rom. Rotam *in decis. 326, n. 8 coram Ludovisi etc.*

Exinde vero Verminck Eleonorae pater qui, ut ait testis Genovefa Madon , « avait fait de ce mariage une affaire d'amour propre » , se suamque familiam contemptam existimans ira excanduit ; ac primum minis, dein vero etiam precibus ac obtestationibus usus est, ut Wulfran ad matrimonium cum sua filia ineundum absolute cogeretur.

Si autem ad extrema Pater statim non venit, id accidit ex eo quod Iulius Roux et Carolus Canaple onus sibi susceperunt inducendi Wulfranium ad matrimonium cum Eleonora contrahendum.

Hisce expositis, contendit orator, violatam revera fuisse Wulfranii libertatem, adeo ut eius matrimonium cum[1] Eleonora subinde contractum nullum evaserit : cum scilicet concurrat in casu non modo gravis metus ad quemlibet vel constantissimum virum terrendum aptissimus; sed insuper etiam vera vis, seu physica violentia a duobus contra unum illata.

Et primo quidem gravem metum in casu concurrere, iuxta patronum, vel ex eo patet quod indicta fuit Wulfranio exhaeredatio et proscriptio seu expulsio a propria familia. Ad hoc probandum, ait, sufficeret per se solum relatum iam testimonium Iulii Roux dicentis, se comminatum fuisse Wulfranio « qu'il serait mis au ban de la famille ». Hac enim in re nec de scientia nec de probitate seu veracitate istius testis vel minime dubitare fas esset.

Iamvero compertum esse, edicit, istiusmodi testimonium etiam per se solum plenam constituere probationem, praesertim in hisce causis, prout expresse docet S. R. Rota *in decis. 870 n. 6 coram Emeriz* - ibi - « Non obstante quod testis sit unicus, tum quia sacerdos et mediator, tum quia istius dictum coadiuvatur pluribus coniecturis, quibus concurrentibus testis etiam unicus plene probat, praesertim in causa metus, qui est difficillimae probationis, tamquam passio consistens in animo soli Deo noto ».

Porro, addit, in casu praefatum testimonium non solum

innumeris coniecturis et tota factorum summa mirifice coadiuvatur, sed pluribus etiam confirmatur consonantibus aliorum testium dictis et iuramentis. Mittere enim se, ait, quod Wulfran in actu suae definitivae separationis, die 18 Novembris 1884, ad Eleonoram scripsit quodque deinceps, litteris etiam ad Rmum massiliense Tribunal missis, omnino confirmavit, scilicet: « Je ne pouvais resister aux ordres, qui m'étaient donnés au nom de ma mère et m'exposer aux conséquences, qui aurait entrainé pour moi une telle résistance ». Haec eadem confirmat Carolus Pellen.

Iamvero, concludit, huiusmodi comminatio exhaeredationis et proscriptionis a familia, etiam per se solam, plus quam sufficiens habenda est ad gravem metum incutiendum Wulfranio. Si enim executioni comminatio mandata fuisset, Wulfran, qui tunc temporis iam erat « criblé de dettes criantes » et « avait dépensé sa part dans la succession paternelle____avait reçu de sa mère des avancements considérables____» eo ipso in miserrimum indigentiae statum, in absolutam ac prorsus intolerabilem ruinam coniectus fuisset.

Quamobrem, autumat orator, nihil Wulfranio tam pertimescendum fuisse quam eiusmodi exhaeredationem et prescriptionem seu electionem a propria familia; ita ut ipsa mortis comminatio minus ei terribilis fuisset.

Ceterum, adnotat, metum amissionis omnium vel maioris partis bonorum, etiam in genere, id est seclusis adiunctis in casu concurrentibus, in iure aequiparari metui mortis; eiusque comminationem aptam existimari ad incutiendum metum, cadentem in constantem virum. Ad quod probandum allegat verba Barbosae *vot. decis. lib. 2, vot. 16, n. 33 et seq.* nec non S. Rotae in *decis. 870 cor. Emeriz n. 3.*

Et in primis animadvertit iuxta communem Canonistarum doctrinam, metum reverentialem sufficere ad matrimonium irritandum etiam sine minis; istae enim tacite insunt, et metuenda exinde mala, perturbando, adimunt libertatem, uti tradunt Barbosa *vot. decis. lib. 1, vot. n. 36,* Cardinalis Consci *de sep. tori lib. 3, cap. 5, n. 78 et seq.,* Rota in

dec.491, n. 8 cor. Bogas, nec non Emus D'Annibale, *Summ, theol. Mor. part. III, § 315, Proh § 38, 15.*

Sed vero, inquit, concedi nullatenus potest minas ex parte matris in casu non intercessisse. Ipse Iulius Roux, quod putat esse sedulo notandum, negare non est ausus minas nomine matris illatas fuisse Wulfranio, sed negavit tantum intercessisse minas ex parte M. Verminck.

Nec referre, autumat, utrum mater revera mandatum inferendi hasce minas dederit, nec ne. Sufficere contendit minas, eius nomine illatas fuisse easque Wulfran veras putasse; in hoc enim non nisi patientis opinio attenditur, prout etiam Romanorum iure statutum erat, teste Haimberger, « *dritto rom. prie. lib. 1, cap. 4, § 89* », cui consonat Schmalzgrueber *in tom. 4, part. 1, tit. 1, § 313,* et S. Rota, quae in *dec. 870* coram Emeriz haec tradit: « sufficit metus reverentialis, iuncto periculo mali gravis, probabiliter opinati ex sola parentis indignatione, ut firmat Garz. etc. ». Quin imo, addit , vel sola suspicio veritatis minarum aut indignationis matris satis fuisset ad incutiendum metum matrimonium irritantem. Ita sane docet Cosci *de separ. tori lib. 3, cap. 4, n. 87* - ibi - « matrimonium est nullum, sive consensus deficiat propter minas et violentias, sive propter suspicionem tantum indignationis parentum ». Et Rota *cor. Ludovisio decis. 374, n. 7* - ibi - « Iusta metus suspicio sufficit pro metu. Bald. *cons. 165, lib. 2,* ex eo quod in matrimonio animus debet esse liber non solum a compulsione, sed etiam a timore compulsionis ».

Quapropter maxime verosimile existimat, ipsam, cuius iam valde intererat, ut matrimonium contraheretur, et quae insuper a M.r Verminck, sponsae patre, rogata fuerat «d'agir » de toute sa puissance maternelle auprès de son fils et de » l'amener à contracter le mariage », et minas expressisse et mandatum eas Wulfranio indicendi ultro dedisse. Sin minus nimium naturale putat, Wulfranium minas nomine matris sibi illatas veras putasse, ab iisque perterritum fuisse.

Vix autem respondendum esse, ait, ad ea, quae a massi-

liensi iudice deducuntur, quibus nempe contenditur metum Wulfranio incussum non fuisse iniustum, quia ipse iure poterat « être réduit par la mère à la quotité réservataire..... le code civil et la conduite indigne de son dis lui en donnant le droit— ». Primum enim recolit nedum partialem exhaeredationem, quae ceteroquin in iis adiunctis totali et absolutae ruinae aequipollebat, sed efram omnimodam prescriptionem seu electionem a familia nomine matris Wulfranio indictam fuisse « qu'il serait mis au ban de la famille ». Deinde vero notat, matribus nullatenus ius esse per minas adigendi filios, utcumque indignos, ad matrimonium contrahendum cum certa quadam persona; sed ipsas debere filiorum conversionem curare.

Sed insuper, prosequitur orator, praeter gravem metum, vera vis illata fuit Wulfranio. Recolit sane Iulium Roux et Carolum Canaple iam valde indignatus peregre profectos fuisse « à la recherche de M.r Wulfran Canaple » ipsumque nonnisi post tres dies incommodi ac laboriosi itineris invenisse. Porro facile intelligit, in illis adiunctis ipsorum indignationem nedum in dies, in horas singulas magis magisque excrevisse. Quare ubi tandem aliquando Wulfran invenerunt, et quidem perditissimae mulieri adhaerentem, quonam impetu in ipsum irruerint, quidnam contra ipsum egerint, concipi melius cuius mam meute potest, quam verbis describi. Immo in huiusmodi casu non magis quaerendum esse, censet, quid opere egerint aut verbo dixerint, quam quid oculis totoque vultu expresserat.

Quin imo memorat, ipsum I. Roux confessum fuisse tum coram massiliensi tribunali, tum etiam, data occasione, coram aliis, se non solum minis perterruisse Wulfranium, sed etiam, videntis in eum manibus iniectis, coegisse.

Adiicit, publicam vocem et famam huiusmodi vim, Wulfranio illatam, apprime confirmare, teste Carolo Pellen. Eamdem famam, saltem quoad substantialia, testari monet sac. Castellan. Iamvero plane compertum esse, inquit, quantum publica vox et fama ad violatae libertatis probationem con-

ferat in istiusmodi iudiciis: «Publica vox et fama», docet Barbosa *vot. dec. lib. 2, vot. 16, n. 54,* est multum considerabilis « ad probandum metum » : cui consonat Menochius *de praesumpt. lib. III, praes. 4, n. 21.* Ita in specie .Caepol. *in cons. 2, n. S....* et Ale. *in resp. 504, n. 5* etc.

Animadvertit demum, ipsum matrimonii defensorem nedum nihil opponere potuisse ad ea quae de physica vi "Wulfranio illata idem defensor recoluerat. Quae cum ita sint, concludi iam merito posse existimat, Wulfranium nonnisi vi et. metu adactum fuisse ad invisum sibi matrimonium cum Eleonora contrahendum, ac proinde matrimonium ipsum nullum! revera fuisse.

Addit defensor usque ad actum matrimonii vim et metum perdurasse in casu, non solum iure praesumitur, sed ex adiunctis omnibus luculenter ostenditur. Et sane si Wulfran post incussum sibi metum illatamque vim, mutata voluntate , liberum matrimonio assensum praestare statuisset, aliqua profecto excusatione, post suum reditum uti debuisset apud dominum Verminck et praesertim apud Eleonoram, vel saltem debuisset aliquam amoris significationem ipsi Eleonorae praebere. Sed contra prorsus factum esse adstruit, iuratis depositionibus adductis Iulii Roux, Friderici Bohn, Caroli Hornbostel et Elisabeth Tock.

Nec solum, inquit, factis seu agendi ratione, sed quantum potuit etiam verbis Wulfranius suam a matrimonio aversionem, post reditum, manifestavit: ceu deponit Berta Baudoin.

Post haec comprobare satagit patronus, Wulfranium in ipso actu celebrationis matrimonii taliter se gessisse, ut omnibus manifestum fieret, ipsum nonnisi vi et metu coactum ad illam caeremoniam accessisse. Et citat primo loco testem a matrimonii defensore inductum, nempe Antonium Guichard, qui matrimonio adstitit.

Secundo affert testimonium Iulii Roux , qui postquam dixit se matrimonii celebrationi adstitisse, addidit : « son attitude était blessante ». Et « Il était impossible de ne pas remarquer la mauvaise humeur de Mr. W. Canaple, sa froi-

deur calculée, le mutisme qu'il affectait, en toutes circonstances, à l'égard de Mlle. Verminck, même après le mariage ». Et « Il était gracieux pour tous, excepté pour sa femme ».

Ex his deinde occasionem sumit patronus occurrendi difficultati quae exurgere posset ex eo quod, ut fertur, Wulfran non est natura timidus. Et recolens logicae principium « ab esse et posse non datur illatio », concludit: cumque itaque constet, Wulfranium reapse perterritum fuisse, iure infertur, ipsum terreri potuisse. Ceterum, addit, ipsi testes, qui dicunt se credere Wulfranio esse animum haud timidum quoad extraneos, deponunt tamen ipsum propriae matris indignationem malaque inde consequentia pertimescere potuisse et revera pertimuisse. Ita Fridericus Bohn et Elisabeth Tock.

Memorat autem in hisce iudiciis magis credi uni vel duobus testibus de metu deponentibus, quam mille de spontanea voluntate, prout uno ore tradunt Doctores, qui et optimam rei rationem reddunt. Ita Mascardus *De probatio?!, vol. II Conclus. 1055 n. 1* - ibi - « Metus probatio magis conficitur testibus affirmantibus, quam negantibus ; quapropter Doctores illam constituunt conclusionem quod magis sit credendum duobus testibus deponentibus de metu, quam mille negantibus vel asserentibus de libera voluntate. Sic Innoc... addit: « Sequendo priorem opinionem, tamquam communem et rationi magis consentaneam, cum facilius possit metus detegi, quam libera voluntas, illam ampliabis veram esse etiam si unicus tantum testis deponeret pro metu, quia illi magis crederetur, quam mille negantibus vel spontaneam voluntatem affirmantibus____». Consonant Panimollius *in decis. 102 ann. 1 pag. 375,* Barbosa *Vot. dec. lib. 1 vot. 1 n. 84,* Rota coram Ludovisio *Dec. 326 § 26* etc.

Notat insuper huiusmodi iuris disciplinam multo magis valere in casu, cum multis de metu et coacta Wulfranii voluntate deponentibus, nemo unus vere contradicere possit et indicia omnia mirifice suffragentur.

Deinde redit orator ad ostendendum Wulfranium in actu

celebrationis matrimonii omnimodam ab ipso matrimonio aversionem manifeste ostendisse et affert testimonium Elisabeth Tock, quae utrique matrimonii ceremoniae interfuit. Insuper, notat, tam luculenter Wulfranium suam a matrimonio aversionem et absolutam non contrahendi cum Eleonora voluntatem vel in actu religiosae caeremoniae ostendisse, ut inde rumor etiam percrebuerit ipsum nec materialiter consensum praebuisse, sed sacramentali verbo « volo » sive « oui » substituisse aliud verbum « présent ».

Idipsum, quod ex praecedentibus et concomitantibus probare nisus est ad evidentiae fastigium perduci, ait orator, ex iis quae matrimonii celebrationem sunt subsecuta. Expleta enim matrimonii caeremonia Wulfran indubia praetulit suae ab uxore aversionis signa, ceu mulier retulit.

Porro, animadvertit patronus, maximi faciendam esse huiusmodi oratricis depositionem. In primis enim, ait, praesumi nullatenus potest, ipsam, quae ob solam conscientiae tranquillitatem ad Ecclesiae auctoritatem confugit, falsitatem iureiurando affirmare. Praeterea in tota eius depositione omnimodae veritatis ac sinceritatis notae elucent. Enimvero ipsa non audet affirmare, nisi ea quae sibi certissime constant.

Item quae memoria exciderant, licet ab aliis relata et sibi utilia, perinde ac si nunquam vidisset, vel alio modo novisset, perhibuit.

Tandem ipse Wulfran, licet probe nosceret, praesertim ex sententia divortii, a laico tribunali iam pronuntiata, omnia, quae contra ipsum Eleonora deposuerat, ea tamen non modo non est inficiatus, sed omnino et absolute confirmavit.

Ceterum quamplures testes eadem, quae oratrix, imo graviora etiam hac de re enarrare, inquit patronus.

Id autem quod istiusmodi suis amicis statim post matrimonium Wulfran declaravit, nempe « qu'il était toujours garçon » aliis etiam factis publice notis magis magisque in dies confirmasse, ait orator, usquedum, iampridem conceptum definitivae separationis propositum, opere complevit. Notat autem in indole Eleonorae nihil prorsus fuisse quod agendi

rationem Wulfranii provocare, aut saltem aliquatenus excusare potuerit. Contra ipsam eminenter pollere omnibus animi dotibus ad benevolentiam et amorem sibi comparandam aptissimis scripsit ipsius Wulfranii frater.

Concludit igitur, excludendam omnino esse ab ingenio et agendi ratione oratricis quamlibet causam infelicis matrimonii exitus. Exinde vero luculentius etiam palam fieri, ait, causam ipsam nonnisi eam fuisse, quam Wulfranius indesinenter, tum publice, tum private interposuit. Seu, aliis verbis, perbrevis et maxime aerumnosae cohabitationis causa fuit examussim illa, propter quam impedimentum vis et metus sapientissime inductum fuit, scilicet quia Wulfran invitus ad matrimonium compulsus fuit et « quia coactae nuptiae infelices solent exitus habere ».

Ut autem explicet orator quomodonam haec omnia evenerint, recolit etiam Wulfranium tunc temporis iam captum fuisse laqueis inhonestae mulieris ; et verbis S. Scripturae, *Eccle. cap. VII vv. 26 et 27, et Prov. VII, IO 21, 22,* tradit difficillimum esse homini ab huiusmodi laqueis sese expedire.

Demum animadvertit ipsum factum conspicuae dotis Eleonorae et fere exhausti Wulfranii status, quod Massiliensi officio difficultatem facessere visum est, thesim suam seu ipsius Wulfranii coactionem apprime comprobare. Scilicet, inquit, posita conspicua Eleonorae dote et labefactata Wulfranii conditione, quisque videt maxime credibile esse, quod multi affirmant, nempe Wulfranium ea etiam et forsan eâ potissimum de causa a propinquis interesse habentibus ad matrimonium fuisse coactum.

Ex dictis dubitari etiam non immerito posse, autumat orator, utrum matrimonium fuerit consummatum, quod innuere videntur Fridericus Bohn et Maria Rarnbanne Eleonorae cubicularia.

Sed dato etiam, addit, matrimonium fuisse consummatum, minime tamen sequeretur purgatum exinde fuisse nullitatis vitium, quo matrimonium ipsum laborasse probavimus. Nam etiam ante Concilium Tridentinum, ut per copulam ratihaberi

posset matrimonium ex vi et metu initum, plures requirebantur conditiones, quarum prima et absolute necessaria erat, ut copula affectu coniugali fuisset sequuta, uti tradit Sánchez, *De matr. lib. 6, disp. 18, n. 1.*

Iamvero, sequitur, post ea quae superius vidimus loqui de affectu coniugali Wulfranii erga Eleonoram vix non absonum foret : et asserit, oratricem paucis complexam esse quod multi testes pluribus verbis edixerunt, cum ait: « il n'a jamais été affectueux. Il m'a traité comme une femme quelconque ».

Sed haec fere ad abundantiam dicta censet orator ; nam post Tridentinam legem, qua sancitum fuit matrimonia nonnisi coram parocho et testibus contrahi posse, matrimonium nulliter contractum per consensum utcumque supervenientem ratihaberi nullatenus potest, sed iterum contrahendum est servata Conciliari forma, uti tradunt S. C. C. in Panormitana *nullitatis matrimonii, 30 Sept. 1719 Thesaurus resol, apud Liverzani t. 1 pag. 241* quam refert Giraldi, *Ius noviss. par. 1 sect. 658 in nota,* S. Rom. Auditorium in *decis. 900 coram Seraphin.* Fagnanus in *cap. De illis II De despons. im.pub. n. 13,* Barbosa *De off'. Episcop. alleg. 32, 149, et vot. decis. lib. 2 vol. 17 n. 178,* Schmalzgrueber *tom. 4 par. 1 § 40* etc.

Demum sedulo animadvertendum esse, putat orator, matrimonium vi et metu, et proinde absque libero consensu initum, non solum positivo iure nullum esse, sed in ipsa contractus substantia absolute deficere ; S. Rota *decis. 315, § 3 coram Ludovisi.*

Quamobrem, deducit, quando agitur de nullitate matrimonii ex defectu consensus, etsi forte dubium aliquod supersit, minime matrimonio, sed libertati favendum Barbosa *vol. decis, lib. 1, n. 137,* et S. Romanum Auditorium *cor. Rogas decis. 291, n. 20.* Sustinet autem orator in themate nullum prorsus dubium de matrimonii nullitate superesse adhuc posse, cum omnia praecedentia, concomitantia et subsequentia permanentem viri dissensum invictissime ostendant.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Vinculi Defensor e contra concedit quidem, testes ab actrice inductos, facili negotio demonstrare Wulfranium, cum uxorem sibi adiunxit, opes suas per luxum et libidinem providisse : Wulfranii matrem, fratrem, nec non affinem Iulium Roux existimasse Eleonoram, utpote ditissimam, uxorem futuram esse illi accommodatissimam : Wulfranium meretriciis amoribus adeo praeoccupatum fuisse, ut haud ardenti in Eleonoram amore correptus, constitutus inter conspicuam puellae dotem et meretricum lenocinia, ita ad nuptias accesserit, ut potius quam genio indulgere, inhiare pecuniae visus sit : — at simul contendit, eosdem testes nullimode demonstrare metum fuisse Wulfranio incussum ; quinimo nitide profiteri, eum esse Wulfranium, qui timore non facile commoveatur. Paucis, de hoc uno dubitari posse, nempe de honestate finis, ob quem Wulfranius nuptias inivit ; et ideo ex adverso dicendum esset, huiusmodi finem excludere unum vel alterum ex tribus matrimonii bonis, idest *sacramenti,* vel *fidei* aut *prolis,* nam : « Certum est matrimonium minime irritari ob quemcumque perversum finem, qui ipsius substantiae et tribus dictis bonis minime adversetur. . . . et manet finis matrimonii debitus, etiamsi de illo nihil cogitent, quia eo ipso quod matrimonium contrahere intendunt, nisi finem debitum expresse excludant, illum virtute et implicite intendunt ».

Haec esset in facto et in iure totius causae summa. Facta enim omnia, quibus adversa defensio matrimonium exactum contendit, hoc unum ostenderent, Wulfranium scilicet in uxorem duxisse Eleonoram, ut pessumdatum patrimonium restaurare^ et si quae alia facta enarrantur, illa vel a veritate aliena essent, vel nil commune cum praesenti causa haberent.

Praeprimis equidem ex verbis testis Iulii Roux, asserentis se ad instantiam matris Wulfranii pro hoc in uxorem postulasse Eleonoram, haud recte deduxisset actricis patronus, id inscio Wulfranio factum fuisse, ut inde suspicari faceret, Wulfranium vel ab ipsis initiis matrimonio 'adversatum ; nam

ipse testis confestim addit, Wulfranium viam arripuisse ad Eleonoram invisendam statim ac dictam postulationem accepto habitam esse scivit : *partit en effet le soir même pour Caute rets.*

A. veritate autem omnino aberrare contradictorem, dum de primo colloquio intuitu matrimonii inter sponsos habito affirmat, Eleonoram in Wulfranii oculis haud gratiam invenisse, ipsi prorsus displicuisse, imo etiam horrori fuisse; cum de hoc neque Iulius Roux, qui absens erat, neque quisquam alius testetur. Etsi enim praefatus testis dicat : « Il (Wulfran) m'a souvent exprimé le dégoût qu'il avait pour sa femme qui, disait-il, lui faisait horreur » ; minime tamen se refert ad primum nupturientium congressum, sed ad aerumnosa ultima coniugum cohabitationis tempora, idest, labente decimo a nuptiis mense, quando Eleonorae pater W^ulfranio ducenta libellarum millia elargiri restiterat.

Ex eo autem quod paulo post quam Wulfranius cum Eleonora conversatus erat atque de matrimonio egerat « partit pour Biarritz » et quidem « en compagnie de Mlle. H. chantheuse de l'opéra comique » erronee ex adverso concludi : « velle adhaerere uni mulieri est nolle nubere alteri », iuxta tradita per Barbos, *vot. decis. lib. 2, v. 16, num. 14,* per R. Rotam in *decis. 326, num. S, cor. Ludovisi,* etc. Nam neque Barbosam neque Rotam quidquam huic casui simile cogitasse subdit Orator. Barbosa agit de quodam Nicolao, qui Eleonoram Mariam sibi a patre impositam reiiciebat, quia alteram in matrimonium appetebat, quam ad illius exclusionem patri proponi curavit; ac proinde *loc. cit.* recte arguebat : « Velle *nubere* alteri mulieri erat nolle nubere donnae Eleonorae ». Similis prorsus est casus, de quo agit Rota *loc. cit.,* dum Wulfranius mulierculam H. (chanteuse) in uxorem ducere numquam cogitaverit, et praeter eam alias etiam deperibat.

Nec meliori omine obiici, Wulfranium, antequam discederet ab oppido *Cauterets,* ad fratrem suum Carolum scripsisse: « Je ne suis pas fait pour le mariage. U vaut mieux

abandonner ce projet maintenant que plus tard. Je part pour une destination inconnue ; je te prie d'en avertir ma mère ». Iam si haec scripsit Wulfranius, de coactionis metusve assertione actum esset : qui enim vim patitur, statim ac aufugere potest, haud praemonet vis metusve auctores, sed clanculum discedit. Interim vero recolendum esse, Wulfranium bona sua cum meretricibus effudisse, et ideo per obiectam epistolam non récusasse nuptias, sed studuisse, ut nuptiis amplae patris Eleonorae opes accederent. Nec dubium esse, quin Wulfranius ita rem acu tetigerit. Etenim Carolus Canaple et Iulius Roux, haud interiecta mora, consilium Wulfranii denuntiarunt Eleonorae patri, qui primum obstupuit ac tristatus est quod Eleonorae virtutes Wulfranium haud mancipassent : sed spem minime abiecit. Imo pro certo habuit Wulfranium facile adductarum iri, si certioraretur huiusmodi nuptias cordi esse *ditissimo* Eleonorae patri. Eapropter ipsismet Carolo Canaple et Iulio Roux committit ut sua ardentissima vota Wulfranio renuntient. Idque confirmat Defensor ex testimonio Elisabeth Tock et Iulii Roux, quibus addit Helena m Pignol.

Quoad Wulfranii vero comprehensionem a Iulio Roux assertam, vinculi Defensor contendit Iulii narrationem planam
Wulfranius opulentissimis Eleonorae nuptiis, quas specie abhorrebat, re ipsa inhiabat ; at si nihil e contra Wulfranius simulasset, nullimode credi posse, hominem 27 annos natum, ipsorummet parentum voluntati contrariae ac omnibus et per omnia resistere assuetam a teneris unguiculis, Iulio Roux et Carolo Canaple resistere ne somnio quidem cogitasse, imo nec ausum esse coram eis aperire os suum. Verum fac etiam, pergit orator, Wulfranium vim vi repellere haud expertum esse, quia « il a *été* pris par les épaules... et il a compris qu'il n'avait qu'à se rendre > ; adverte tamen matrimonium non statim locum habuisse, sed tres post hebdomadas, quibus perdurantibus Wulfranius plena prorsus libertate perfruitus esset. Iulius enim Roux et Carolus Canaple postquam Massiliam Wulfranium deduxerant, officio suo

se functos existimarunt, ac proinde confestim recesserunt, non vim, non minas protulerunt, matrimonio se haud ultra immiscuerunt, imo neque verbum de connubio ex ore ipsorum subinde excidit.

Metum eapropter Wulfranio incussum nulla prorsus ratione matrimonii valori officere posse sustinet defensor ad tradita per Rotam *coram Ratto decis. 149, n. 2,* quem per integrum allegat. Neque locum hic esse obiectioni : metus semel illatus, semper durare praesumitur; id enim limitandum esse, ceu docet Barbosa *vot. decis. lib. 1, num. 104,* donec durat eadem metus causa, seu eaedem circumstantiae. Atqui superius iam notatum est Wulfranium in custodia Iulii Roux et Caroli Canaple haud perstitisse usque ad matrimonii celebrationem inclusive, sed tantummodo a *Biarritz* usque Massiliam ; ac proinde tres effluxisse ante matrimonium hebdomades, quibus Wulfranius omnino liber mansit.

Ceterum, prosequitur defensor, ne unus quidem ex testibus asserit atrox dûi Verminck consilium fuisse Wulfranio *denuntiatum.*

Hilaritatem exinde ab Eleonora excitari, ait defensor, dum suadere contendit, Wulfranium ad matrimonium adductum esse a matre, sive comminata haereditatis privatione, sive illato metu reverentiali. Etenim ex phalange testium, in quibus actrix confidit, nemo unquam vidit aut audivit Wulfranii matrem exhaeredationem filio minitantem, nemo eam vidit importunis precibus celebrationem matrimonii sollicitantem.

Tametsi inutiliter disputari de exhaeredationis minis addit defensor; paterna enim haereditate Wulfranius iam potitus erat, et non tenuem maternae quoque haereditatis partem perceperat, teste Carolo Hornbostel, nec momento temporis timere habuit ne residua haereditatis parte a matre privaretur, cum leges civiles haud patiantur, ut parentes filios pro lubitu exhaeredare valeant. Ceterum ex adverso agnoscitur, legitimam Wulfranio sartam tectamque fuisse; nec proinde immorandum in reliquis omnibus, quibus Contra-

dictor suadere vult, Wulfranium reliquis maternae haereditatis frustulis privari potuisse. Hoc enim parumper admisso, Wulfranius, matrimonium recusando, non iam damnum, quod praesupponit ius, passus fuisset, sed tantum spe lucri captandi cecidisset. Quae res longe abest a metu iniusto, a metu cadente in constantem virum, ceu docet Pontius *lib. cap. 5j n. 10 de Matrim.* - ibi - « Deinde dicendum existimo, metum amittendi lucrum, aut haereditatem, aut beneficium, quod quis sperat ab aliquo, ad quod non habet ius ad rem, non cadere in constantem virum, et iure probari potest ».

Praeterea metum reverentialem Wulfranio citra ironiam accommodari haud posse, subdit defensor, qui, allegata insuper *Instr. S. Off. diei 20 Iunii 1883 § 36 fin.,* ironice cum ea praesentem casum comparat, et adversam partem provocat, ut in medium afferat preces suasionesque importunas vel minas, quibus usa esset Wulfranii mater. Etenim quoad preces et suasiones, si quidem in rerum natura existèrent, eae essent : « Sa mère (ita Iulius Roux) s'est contentée de le supplier de se ranger enfin, et de ne pas donner aux siens autant d'inquiétudes. L'idée de se marier lui avait été suggérée, et il s'était laissé pousser au mariage » ; nullumque alium testem esse, qui, praeter ea, quidquam ad rem sciat.

Quo vero ad minas, contradictorii asserenti Iulium Roux in Wulfranii comprehensione comminatum esse < qu'il (Wulfran) serait mis au ban de la famille » ; respondit defensor : « Haud inciviliter negare possum ea verba fuisse a Iulio Roux vel a quocumque alio quandocumque prolata. Nemo enim ex inductis testibus illa audivit. Iulius autem Roux nonnisi implicite de iis testatur ».

Quod si Iulius Roux, qui testatur : « Il n'y a pas eu ni menaces de la part de Mr. Werminck, ni contrainte de la part de Mme. Canaple sa mère » ; Wulfranium proprio marte comminatus esset, defensor quaerit an is sit idem Wulfranius, qui minis in se iactitatis commoveretur ; et eius ingenium, agendique rationem recolens, negative concludit. Idque

liquere ait ex eo quod Wulfranius tum tantum nuptias coactas excogitaverit, cum spem amisisset obtinendi a socero ducenta libellarum millia, et statim ac uxori valedicendum censuit, recto tramite ad maternam domum perrexit, ubi etiam nunc cum matre et fratre vivit.

Post haec vinculi defensor recenset notas conditiones ad metum etiam subiectivum, in constantem virum cadentem necessarias, usus verbis Sabellii *(Sum. divers, tract. § Metus, n. 3);* et ait nullam ex iis conditionibus verificari in casu. Otiosum tamen existimat singulas perstringere, cum : « omnis ille metus, qui his quinque conditionibus instructus non est, non sit gravis respectu illum patientis >. Schmalzgrueber *ius can. part. 4, tit. 40, n. 3.* Eapropter aliquid tangit de quinta tantum conditione; quod scilicet < timens non possit facile occurrere malis, quae sibi imminere timet > ; et quaerit utrum Wulfranius tempore, quod intercessit inter metus incisionem et matrimonii celebrationem nihil agere potuerit ad excutiendum metum. Si enim potis erat aliqua ratione excutere metum, et non fecit, metus non esset iustus, prouti tradit Angelus *verb. metus n. 5:* « Imputetur ei qui facile potuit vitare malum, si timore illius aliquid fecerit».

Hic autem exprobat Wulfranio curnam fratrem et matrem praemonitos voluit, quando a pago Cauterets aufugit: curnam in oppido Biarritz captus et comprehensus : « il n'a rien dit du tout... il n'a pas ouvert la bouche durant tout le voyage » ; curnam tempore subsequenti quotidie perrexit ad futuram sponsam, uti deposuit Elisabeth Tock. Quare concludit mirum non esse quod Wulfranius, qui superbam Eleonorae dotem patrisque ingentes opes elegerat ut rationem applicationis ad matrimonium, cum persensisset se nec soceri opibus, nec dotalibus fructibus perfrui posse, ad uxorem litteras dederit iniuriis in socerum referías.

Contendit insuper nihili omnino faciendam esse Wulfranii epistolam, quia *testibus non testimoniis credendum est,* iuxta *L. 3, § 3 et 4, ff. de testib., cap. 2 qui matrim, accus, possunt* etc. Quae quidem regula inducta fuit ad praecaven-

das collusiones : porro in praesenti causa, ait defensor, luscus est qui collusionem non videt. Nimirum, iuxta ipsum, "Wulfranii mater et frater, nec non Eleonorae parentes ea de causa non comparuerunt, quia verebantur ne ad incitas per Iudicem redacti sibi invicem contradicerent.

Ut demum ostendat defensor parvi faciendas esse probationes coniecturales allegat Rotam *decis. 149, § 1, coram Ratto,* nec non Instructionem S. Officii diei 20 Iunii 1883, § 39 ; et sustinet omnes adversae actionis exceptiones in eo consistere , quod Wulfranius flagranti s amoris argumenta Eleonorae haud exhiberet ; atque id non prohibuisse, quominus Wulfranius cunctis diebus Eleonoram officiose adiret, eamque, nuptiarum die, magna" comitante amicorum caterva, festi vus matrimonio sibi acciperet.

Tandem advertit sacramenti Vindex, Wulfranium per decem fere menses, usque dum scilicet bonam spem habuit se confidere posse in ditissimo soceri censu, nihil magis cordi habuisse quam, ut uxor sibi morem gereret, et ne per iocum quidem matrimonium metu contractum dicere ausum fuisse ; sed postquam ea spe destitutus est, quia ineunte mense Iulio 1884 ducenta libellarum millia ipsi socer recusavit, tunc se invitum ad matrimonium adductum proclamare coepisse. Eleonoram autem non esse audiendam, dum in epistola ad iudicem data mense Februario 1891, postquam processus publicatus erat, asserit Wulfranium sibi dixisse « dès le debut du mariage » ad matrimonium se metu adae tum fuisse. Animadvertit enim defensor huiusmodi assertionem e diametro pugnare cum iis, quae in iudiciali examine ipsamet Eleonora professa est, et praesertim cum memorata factorum relatione ab Eleonora conscripta.

Quibus hinc inde adnotatis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia Curiae Episcopalis Massiliensis sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re disceptata sub die 23 Iulii 1892, censuit respondere: *Sententiam esse confirmandam.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Inter alias conditiones, quibus metus dici, ex iure, valeat cadens in constantem virum, requiri, ut timens non possit facile occurrere malis, quae sibi imminere timet.

II. In themate videri facili ratione excuti potuisse metum tempore quod intercessit ab incussione metus eiusdem, ad matrimonii celebrationem.

III. Nam si metus excuti potuit, et excussus non fuit, sibi quis imputet malum, quod facile potuit vitare.

IV. Matrimonium minime irritari qualicumque perverso fine; dummodo perversus hic finis non adversetur bonis sacramenti, vel fidei, vel prolis: nam qui matrimonium contrahit, nisi finem debitum expresse excludat, illum virtute et implicite intendit.

V. In themate etiamsi magna dos mulieris fuisset in mente viri finis, ad quem praesertim respexit, tamen quum nullum ex tribus matrimonii bonis expresse excluserit, finis matrimonii debitus mansit, et matrimonium validum est.

VI. Metum amittendi lucrum aut haereditatem aut beneficium, quod quis sperat ab aliquo, ad quod tamen non habet ius ad rem, non cadere in constantem virum.

GALTELLINOREN.

IURIUM PAROCHIALIUM (1)

Die 9 Aprilis i892.

Sess. 24 cap. .18 De ref.

CAUSAE PROSEQUUTIO. Factispecies huius controversiae relata fuit in folio Congregationis diei 27 Iunii praeterlapsi anni, et sub sequentibus dubitandi formulis a partibus concinnatis, EE. PP. proposita fuit:

(1) Relata fuit haec quaestio Vol. XXIV, 97.

I. *An ius administrandi Baptismum et custodiendi libros baptizatorum maneat penes capitulum, vel penes canonicum curatum in casu.*

II. *An capitulum, praeter functiones capitulares, ius habeat committendi alternative uni vel alteri ex canonicis cum assistentia beneficiariorum vulgo* domieri *celebrationem aliarum functionum, scilicet missarum festivarum vel defunctorum, novendialium vel triduanarum precum, processionum etc. ac stolae fructus inde percipiendi in casu.*

III. *An canonicus curatus iure distincto frui possit in defunctorum exequiis, capitulo assistente, et an a capitulo vel a canonico curato perficiendae sint rituales absolutiones in casu.*

IV. *An beneficiarti vulgo* domieri *ita dependeant a canonico curato, ut ab hac dependentia exturbari nequeant a capituli archipresbytero in casu.*

V. *An iidem beneficiarii teneantur coadiuvare canonicum curatum in Evangelii praedicatione et in catechesibus instructionibus in casu.*

Ad huiusmodi vero dubia ita in praefatis comitiis EE. PP. rescribendum esse censuerunt : Ad 1. *Dilata et coadiuventur probationes de usu capituli constante et, nullo reclamante, administrandi Baptismum et retinendi libros baptizatorum.* Ad 2. *Affirmative, dummodo non agatur de functionibus et iuribus mere parochialibus.* Ad 3. *Si agatur de exequiis parochianorum praecedentiam spectare ad canonicum curatum ratione stolae, et rituales absolutiones spectare ad eumdem ratione muneris: si vero agatur de aliorum exequiis omnia spectare ad capitulum scilicet praecedentiam et rituales absolutiones.* Ad 4. *Affirmative, quatenus agatur de cura animarum.* Ad 5. *Affirmative, dummodo parochus sit impeditus.*

Nunc igitur quaestio redit non modo quoad primum dubium, cuius resolutio in suspenso mansit, sed etiam quoad tertium et quintum, pro quibus Capituli patronus novae audentiae beneficium obtinuit.

Disceptatio Synoptica

DEFENSIO CAPITULI. Qui Norensis Capituli partes agit iterum contendit ius administrandi baptismum et asservandi baptizatorum libros eidem Capitulo competere, utpote ex habituali cura promanans et quatenus illud in dimissione curae actualis sibi reservaverit. Praemittit nullam adesse iuris repugnantiam in huiusmodi reservatione, idque exemplum Capituli Vaticani inferius allegandum ostendere censet. Deinde factum colligi affirmat: 1. ex clavibus baptisterii retentis « nel comune tiretto », ut testes omni exceptione maiores deponunt ; 2. ex onere excipiendi fidelium confessiones tam in cathedrali quam extra, quod, absque correspectivo canonicos assumpsisse praesumi nequit ; 3. ex eo quod primaevus canonicus parochus viderit canonicos absque ulla sua venia, imo omnino independenter, quotidie et baptismum administrare et servare baptizatorum libros, quin aliquid umquam obmussitaverit ; 4. ex ipsa agendi ratione hodierni parochi, qui primaevo immediate successit quique 23 annorum spatio saepissime id a canonicis fieri viderit, et tamen nullam protestationem emiserit vel aliquid contra protulerit; 5. denique ex eo quod Archiepiscopus Bua, novi canonici parochi institutionis auctor, ea omnia de quibus controvertitur, pariter videns numquam quae a capitulo fiebant improbaverit. Porro haud praesumendum autumat patronus, hos omnes haud exiguum in re interesse habentes, omnino siluisse, nisi ipsis perspectum esset ea quae peragebat capitulum ex conventione ortum habere.

Praeterea hic accbdere memorat observantiam diuturnam tum in linea interpretativa, tum in linea praesumptiva, tum denique in linea praescriptiva omnino Capitulo faventem, cuius vis hac in re, ceteris missis, deprehenditur ex Marsorum diei *30 Ianuarii 1830,* in qua proposito dubio: *An reservatum sit Capitulo ius baptizandi pueros ac retinendi claves baptisterii et Olei Sancti in casu:* S. C. C. consultissime respondit : *Affirmative, ad formam consuetudinis.* Ad

hanc vero observantiam aliaque quae superius innuit evincenda, rursus allegat hodierni Praesulis verba quoad assertam conventionem, nec non episcopalis cancellarii testimonium et decretum Apostolici Administratoris anni 1879, quae documenta iam EE. PP. innotuerunt.

Addit postea depositionem trium sacerdotum seniorum, qui a pluribus annis servitio ecclesiae cathedralis addicti sunt, ex qua colligitur 1. quod in Ecclesia Cathedrali locus designatus et omnibus communis existit, in quo, praeter baptisterii claves, baptizatorum libri *in corso* asservantur: 2. quod quilibet canonicus, uti antea ita modo, de clavi baptisterii et baptizatorum libro disponit ac neonatis , uti antea, ita in praesentiarum baptismum confert independenter a parocho et abque istius venia, quin sive primus parochus, sive actualis usque ad annum 1879 aliquid contra obmussitaverit : 3. quod vertente anno 1879 actualem parochum, qui baptisterii clavem baptizatorumque librum inscio capitulo surripere ausus fuerat, in officio continuit Delegatus Apostolicus Murra, praescribens, ut, tum clavis, tum liber in assueto loco reponentur : 4. tandem quod Canonicus, in baptismi administratione occupatus, uti praesens in choro habebatur, ac proinde punctaturis haud obnoxius erat, quin ne actualis quidem parochus aliquam reclamationem ullo tempore emiserit.

Praeterea, ex adverso obiecta diluens orator, denegat Praesulis iussu, vix praesenti controversia exorta, libros baptizatorum tunc in usu fuisse requisitos a parocho « il quale finora li aveva custoditi. » Siquidem allatum testimonium non loquitur de libris qui « erano in corso », sed de illis qui erant « già ultimati e fuori d'uso » qui recepti fuerunt a parocho, ut penes Curiam cum aliis, qui extra usum erant, custodirentur. Item contra veritatem pariter proclamat, canonicos quoad praeteritum de licentia parochi Baptismatis sacramentum administrasse, usque dum anno 1879 Vicarius generalis Episcopi, cum omnium admiratione fontem baptismalem disrumpere et infringere ausus fuisset. Siquidem allata testimonia haec omnia destruunt, ac mala fide

et ad confusionem ingerendam ea prolata fuisse, iuxta oratorem, demonstrant.

Pergens deinde ad secundam suae orationis partem Capituli patronus, pro aris et focis contendit ius stolae , ius praecedentiae et ius perficiendi rituales absolutiones in exequiis defunctorum, non ad parochum sed ad Capitulum pertinere tam virtute curae habitualis penes ipsum residentis, quam vi antiquae consuetudinis, atque idcirco quoad secundum dubium expostulat ut recedere a decisis EE. VV. dignentur. Quorîiam vero ex adverso denegatum fuit curam habitualem post Gregorianam Constitutionem Capitulo imminere, id pluribus demonstrandum aggreditur. Recolit in primis Archiepiscopum Bua Apostolicum Administratorem constituisse, ut Capitulares curae actuali valedicerent « ritenendo la cura abituale: > et Capitulum hac sub conditione erectioni praebendae paroecialis libenter assensisse. Id autem praecise Supremi Principis Constitutione factum fuisse demonstrant litterarum executorialium verba : « ab animarum itaque actuali cura saepedictis Apostolicis Litteris restitutionis Episcopatus archipresbytero praecipue ac toti Capitulo commissa, ex nunc et in posterum ipsos archipresbyterum et Capitulum exoneramus. » Praeterea et quaedam pars paroecialis sollicitudinis ibi Canonicis reservatur quoad fidelium confessiones excipiendas et divini verbi praedicationem, quibus quoties incumbunt non secus ac parochus choro praesentes censentur. Neque dicendum esset ex his argui non posse, Capitulo curam habitualem explicite, uti debuisset, ab Apostolico Administratore fuisse indultam. Praeter enim quam quod si non expresse, tacite tamen argui deberet , illud maxime animadvertendum dicit orator, quod huic offensioni obviam iret ipse Apostolicus Administrator, sive in compromisso cum canonicis inito, sive in epistola ad Capitulum data, in qua declaravit se adamussim conditiones ab eodem Capitulo propositas, in Bullae executione servasse.

Verumtamen his missis, rem conficere ipsiusmet hodierni parochi confessio videtur. Sane in epistola diei 7 Septem-

bris 1874 apud Cancellarium Episcopi asservata, ille indultum a S. C. concessum canonico theologo, ut quadragesimali tempore a choro abesse et se ad praedicandum conferre posset utpote surreptitium impugnabat, ex eo quod a canonico theologo retici tum fuerat, curam habitualem penes Capitulum residere, vi cuius singuli canonici confessiones excipere tenebantur. Quibus, cum exploratissimum sit in iure canonico quod « non datur maior probatio quam confessio oris proprii >, quidquam addere supervacaneum foret.

In vado igitur posita existentia curae habitualis penes Capitulum, mirum haud esse putat orator, si canonici actualem curam dimittentes sibi reservaverint in funeribus parochianorum illud idem ius, quo antea in hisce exequiis fruebantur, quoties invitati ab haeredibus defuncti interfuissent. Hoc enim minime iuri refragari demonstrare autumat, praeter cetera, exemplum Capituli Vaticanae Basilicae, in qua licet actualis animarum cura per vicarium exerceatur, nihilominus ea potissimum ratione quia cura habitualis apud Capitulum residet, singula eius membra ius habent docendi parochianos catechesim, Eucharistiam infirmis deferendi praesertim in praecipuis anni festivitatibus, nec non Baptismatis sacramentum conferendi. Hinc ad rem non facere monet Sacrarum Congregationum resolutiones larga manu ex adverso congestas aliasque auctoritates, ex quibus desumitur ius deferendi stolam et rituales perficiendi absolutiones ad defuncti parochum spectare. Etenim in casu defuncti parochus est Capitulum, ideoque ipsi tum ratione muneris, tum ratione stolae controversa iura adscribere haud iuri repugnaret. Neque id novum esset et peregrinum, cum eamdem sententiam et S. C. quandoque tenuerit, ut in Marsorum *Iurium parochialium 30 Ianuarii 1830,* et in Oritana *22 Septembris 1877.* Quam postremam causam referens Avanzini in ephemeride cui titulus *Acta S. Sedis.* Vol. II. pag. 248, haec generalia principia inde erui posse censebat: < 1. Apud Capitula Cathedralium, atque Collegiatarum reperiri posse ex fundatione, curam animarum, quae a canonistis in curam habitualem et

actualem dividitur: ita tamen ut apud singulos sit cura habitualis, apud unum vero sit cura actualis pro eius exercitio. 2. Contra ius haud agere videri Capitulum, cui insit animarum cura, si ab initio aliquod ex iuribus parochialibus sibi reservaverit, dum unum deputavit ad exercendam curam actualem. 3. Proinde in functionibus, atque iuribus, quae sibi reservat, Capitulum habendum esse ceu proprium parochum; ita ut singuli praebendati rite valeant curam animarum exercere quoad illas functiones et iura parochialia sibi reservata. >

Porro reservationem controversorum iurium in themate extitisse evincere nititur patronus ex verbis, tum schematis institutionis novi canonici parochi ab Apostolico Administratore propositi, ubi cavetur ut emolumenta cadaverum tumulationibus ac successivis suffragiis annexa inter canonicos distribuantur, quoties Capitulum funeribus intervenerit: tum clarius ex Capituli epistola die 22 Augusti ad Archiepiscopum Bua missa, in qua ius tu mutationum Capitulum sibi reservavit, cum cadaverum delationi invitatum intervenerit: tum denique ex articulo VII decreti executorialis, ubi dicitur: « Remota ab archipresbytero . . . animarum huius civitatis cura. . . cetera iura, onera, honores, praeeminentiae, praerogativas, quae ad ipsum ut ante de iure, vel ex consuetudine pertinebant, ad eumdem etiam archipresbyterum in posterum spectare auctoritate apostolica decernimus et declaramus. »

Quapropter haud dicendum autumat patronus, ex Gregoriana Constitutione praesentem controversiam dirimi non posse. « Sane, ait, si ex distributione emolumentorum colligi potest, ceu revera colligitur, quod canonicus parochus consideratur non uti parochus, sed uti alter canonicus, quando funeribus intervenit Capitulum, ex hoc ipso sequi videtur, quod functio illa reputetur non uti parochialis, sed canonicalis, seu capitularis, ideoque a Capitulo explenda eo ipso modo, quo usque adhuc expleta fuit. » Ceterum adesse monet compromissum, iuxta quod quaestiones a parocho propositae dirimendae essent. Quod si ex emolumentorum distributione

argumentum deduci potest ad demonstrandum quod illae exequiae non munus parochiale, sed functionem capitularem constituunt, opponi nequit ibi verba deficere quae ostendant ea de parochianorum exequiis esse intelligenda. Admisso enim quod de exequiis in genere sermo fiat, dicendum esse urget de his, quae frequenter occurrunt, verba esse interpretanda, cum in civitate Norensi, in qua nulla alia existit paroecia, nonnisi perraro exterorum exequiae eveniunt, et compertum in iure sit ad *leg. 4 ff. de legib, et sent. can.* ex iis, quae forte uno aliquo casu accidere possunt, iura non constitui, eo quia ad *leg. 59 eod. tit.* « ad ea potissimum debet aptari ius, quae frequenter et facile, quam quae perraro eveniunt. »

Insuper his omnibus observantiam claram, diuturnam, pacificam et erectioni praebendae paroeciali proximam accedere adnotat patronus. Commemorat enim praedicto iure Capitulum gavisum fuisse ab anno 1836 , videntibus et quasi approbantibus tum Litterarum Apostolicarum executore, tum primo canonico parocho, qui nihil umquam contra obmussita verunt. Quin imo refert, et ipsum hodiernum parochum, qui anno 1868 primaevo illi successit, iisdem prorsus iuribus potiri Capitulum saepe vidisse, quin tamen spatio 23 annorum circiter reclamaverit aut protestationem emiserit. Haec autem pergit orator, violentam praesumptionem inducunt aliquid inter partes hac in re antea conventum fuisse, scilicet Capitulum ius deferendi stolam ritualesque absolutiones perficiendi in vim curae habitualis sibi ab initio reservasse , quoties funeribus interesset : secus enim agendi ratio Archiepiscopi Bua et parochorum inexplicabilis esset.

Verum non modo hac in re consuetudinem ab anno 1836 vigentem adesse tuetur, sed a longe remotiori tempore. Etenim in dubium revocari non posse contendit, Capitulum praefata iura exercuisse ab anno 1779 , cum primum ipsi populi Norensis cura animarum concredita fuit. Si igitur illius favore observantia plusquam centenaria quin imo immemorabilis allegari possit, iam et titulus de mundo melior ipsi in linea praesumptiva praesto esset, ceu unanimiter et

doctores et sacra tribunalia loquuntur. De Luca *De Can. ei Cap. disc. 11. n. 6.* Rota *decis. 962 cor. Molines n. 34. Decis. 230 n. 7 coram Marco. Decis. 522 cor. eodem n. 16 etc.*

Hanc vero immemorabilem observantiam in casu evincere putat orator, praesertim attestatione trium Sacerdotum, rei instructor um et aetate provectorum, quibus accessit Curiae Episcopalis cancellarius. Sane hi omnes uno ore perhibent se vidisse et a maioribus audisse in funeribus tam exterorum, quam parochianorum Capitulum praecedentiam iugiter habuisse.

Neque ad huiusmodi depositiones infirmandas regerere valeret immemorabilem huiusmodi consuetudinem per testes probari minime posse. Quandoquidem ex iuris caesarei et canonici legibus contrarium scatere affirmat. Sane post *I. 28 ff. de probat,* in *leg. 1 §. 8. de Aqua* etc., haec habentur: < Idem Labeo ait: cum quaeritur an memoria extet facto opere non diem, et consulem ad liquidum exquirendum, sed sufficere si quis sciat factum , hoc est si factum esse non ambigatur, nec utique necesse esse superesse qui meminerint, verum etiam si quid audierint eos, qui memoria tenuerint. » Et concinit Glossa *in cap. 1 de praescript. n. 6 verb. Memoria,* nec non Rota *decis. 933 n. 19, 30 cor. Ansaldo.*

Adurget praeterea patronus huiusmodi consuetudinem Capitulo patrocinan non modo in linea praesumptiva sed etiam in praescriptiva, ad formam */. 4 Cod. De praescript. trig. vel quadrag. annor. et Cap. 6 Decret, de praescript.,* uti iam in prima causae propositione fusius evolutum fuit.

Denique relate ad quintum dubium, scilicet num beneficiarii vulgo *domieri* teneantur parochum coadiuvare in Evangelii praedicatione et catechesi tradenda, recolit se iam tum ex iure, tum ex Gregoriana Constitutione, tum ex consuetudine probasse, huiusmodi munera ita parochi personae inhaerere, ut quicumque alius beneficiarius ab eodem onere sit excludendus. Hic vero EE. PP. exorat ut perpendere velint hodierni canonici parochi turbidum et irrequietum inge-

nium, quod nedum ex iam deductis, sed ex nonnullis in summario additionali noviter relatis ultro apparere edicit. Ne itaque iurgiis et scandalis in posterum denuo locus fiat',' enixa prece efflagitat, ut a decisis recedendum decernatur, vel sin minus praecedens responsum temperare placeat: *affirmative, dummodo parochus legitime sit impeditus.*

DEFENSIO CANONICI PAROCHI. Verum ex adverso qui iura parochi tuenda suscepit, observat quoad primum dubium Capitulum duo probare debere, nempe usum constantem administrandi Baptismum et retinendi libros baptizatorum, et praeterea contra assertum usum neminem reclamasse. Iamvero neutrum evinci posse contendit. Sane ante omnia praedicta observantia ab ipso Norensi Praesule exclusa videtur, cum die 27 Octobris 1871 decretum in sacra visitatione emittens, parochum hortabatur ad sollicitudinem adhibendam ne in libris baptizatorum subscriptiones deficerent. Porro , ait orator, si Capitulo ius esset baptizandi et libros baptizatorum custodiendi, ipsi non vero parocho adhortatio inscribenda fuisset. Quibus consonare censet etiam episcopalis cancellarii testimonium, qui anno 1891, Praesule iubente, ut alias relatum fuit, subdlicebat a parocho, qui usque ad illud tempus custodiebat, sex baptizatorum libros ab anno 1866 ad annum 1889. Ex quo erui putat, etiam antecessorem parochum libros asservasse, cum anno 1866 nondum ille e vita cessisset.

His accedit, anno 1879 Vicarium generalem Carbone sacri fontis claustra effregisse, ut Baptismatis sacramentum administraret, quae profecto haud evenissent, si observantia Capitulo favens adfuisset.

Ceterum ex testimoniis adductis evinci autumat patronus, veniam administrandi Baptisma non a Capitulo, sed a parocho tribui solere, et hanc non singulis vicibus, sed generali quadam delegatione concedi. Unde etiam factum esse censet, ut de huiusmodi concessione ex libris baptizatorum non constet. Saepe autem praefatae veniae et aliam accessisse refert habendi clavem arculae in qua libri asservabantur, ut beneficiatus Cambosu enarrat de canonico Nieddu.

Nec satis: adesse enim proclamat documenta, ex quibus iura a Capitulo asserta penitus excluduntur. Sane ex libris paroecialibus constare edicit, eos cancellario episcopali a viceparocho traditos fuisse, eosdemque a canonico parocho pro tempore constanter inscriptos atque servatos fuisse. Idque ab anteacto curiae cancellario in scriptis testari affirmat.

Ulterius exhibet patronus iudicialem depositionem, quam a fide dignis testibus emissam dicit, ex qua eruitur, solum canonicum parochum et viceparochos , cum dependentia a parocho, solitos fuisse fontis baptismalis, oleorum sacrorum ac tabernaculi claves, nec non baptizatorum libros m *corso* custodire. Imo tres testes Zara , Fadda et Porcu addunt canonicos etiam veniam administrandi baptismum a canonico parocho petere solere. Cum autem ex doctrina Mascardi *De proh. vol. 1 conci. 424 n. 12.* « testes super consuetudine si rationem reddant, quia sum vicinus tali loco probant, > a fortiori id in casu tenendum putat orator, in quod testes de scientia propria deposuerunt.

Neque ex adverso opponi posse autumat, quod de venia a parocho concessa nec vola nec verbum in libris baptizatorum reperiatur. Siquidem, ob rationem superius indigitatam, id in more receptum esse in dioecesi galtellinorensi idque passim evenire adnotat, quamvis ille qui baptizat inter canonicos minime adnumeretur. Et huiusmodi praxim confirmare studet attestationem allegans sacerdotis Chironi qui beneficiariam praebendam in Cathedrali ab anno 1849 obtinet et omnium senior in chorali munere asseritur , et beneficiarii Marmu , qui cum Sacerdote Chironi plane concordat.

Quod si, munus parochiale exercente canonico Guiso hodierni parochi antecessore, canonici omnes Baptismum impertire solebant, id factum fuisse putat ex quadam eiusdem parochi concessione, quae ceteroquin Sacerdotibus omnibus, etsi non canonicis, indulgeri solebat. Quin imo praefatum parochum hanc veniam canonicis omnibus fuse induisisse affirmat , ut eorum animos sibi infensissimos comitate demulceret. Ad quae'

confirmanda allegat testimonium cuiusdam sacerdotis Nonni, ubi plura de Capituli vexationibus erga parochum Guiso referuntur, ob quas aliquando de assequenda alia paroecia ille cogitaverat.

Verum, dato etiam quod constans usus baptizandi et libros retinendi favore Capituli in probatis existeret, haud nihilominus, monet orator, idcirco parochus iure privari posset, quod a Tridentino *sess. 23 de refor. cap. 1* officio parochiali adnexum fuit. Siquidem, ait, iura parochorum praescriptioni obnoxia non sunt, sed inviolabiliter servari debent, utpote quae coetui et non individuo concessa fuere, *ex cap. 1 quaest, 1 caus. 13.* Atque in huiusmodi sententiam et S. C. C. descendisse recolit, allatis quae prostant in Andrien. *Iurium et privilegiorum 2 Iunii 1883 pag. 388,* ubi animadversum fuit, neque centenariam consuetudinem suffragare , eo quia « iura parochorum non solum centenaria consuetudine non perimuntur, verum etiam adversari eisdem non potest centum annorum observantia, uti saepius rescripsit S. C. Congregatio, et praecipue in Baren. *Iurium parochialium 23 Augusti 1876,* in Bovien. *Iurium Iunii 1820,* in Nullius Sublacen. *Iurium parochialium 29 Ianuarii 1821,* in qua expresse edicitur parochorum iura sarta tectaque existimanda esse, non obstante quadragenaria et centenaria consuetudine. » Huiusmodi vero dispositionis canonicae ratio, iuxta ea quae habent Card. De Luca *de praeem. dis. 24 n. 11* et Amostazo *Lib. 6 de causis piis cap. 3 n. 38,* ex eo petenda videretur, quod « consuetudo quae obviât sacris institutis a patribus decretis, vel abusum introducit contra disciplinam et libertatem Ecclesiae, non sustinetur. »

In themate vero agi de parocho proprie dicto, patronus ait, tum Gregoriana Constitutio cum executoriale decretum satis ostendunt. Siquidem ibi decernitur, quod canonicus parochus exercere debeat paroecialia munia, ut quilibet animarum rector; unde infert orator , illi curam animarum demandatam fuisse independenter omnino a Capitulo, quod ibi pariter expresse eadem cura exonerabatur.

Quibus pro utraque parte enucleatis, proposita fuerunt enodanda sequentia

Dubia

I. *An ius administrandi Baptismum et custodiendi libros baptizatorum maneat penes Capitulum, vel penes canonicum curatum in casu.*

II. *An sit standum vel recedendum a decisis in tertio dubio in casu.*

III. *An sit standum vel recedendum a decisis in quinto dubio in casu.*

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii re ad trutinam revocata, sub die 23 Iulii 1892, proposita dubia dimittere censuit sequenti responso : *Adi. dubium: Cumidative ad utrumque: Ad II. dubium: In decisis: Ad III. dubium: In decisis et amplius.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. -Nullam adesse repugnantiam, Capitulum, quod curae actuali valedixit, retenta cura habituali, sibi ius reservasse administrandi baptismum independenter a canonico parocho et asservandi baptizatorum libros.

II. Huiusmodi ius Capitulum sibi acquirere posse in vim diuturnae observantiae, tum in linea interpretativa, tum in linea praesumptiva, tum denique in linea praescriptiva.

III. Observantiam optimam esse legis fundationis interpretem, ac maiorem sibi auctoritatem vindicare, si legi fundationis sit proxima vel coaeva.

IV. Iure tum caesareo, tum canonico in quacumque causa, vel quacumque persona, ius privatum vel publicum, quadraginta annorum iugi silentio extingui.

V. Capitulum, quod curae tantum actuali et functionibus mere parochialibus nuncium misit, ius habere, praeter capitulares, ceteras alias functiones, quae non sint mere parochiales, sive per se, sive per alios celebrandi.

VI. Beneficiarios ad coadiuvandum canonicum parochum adstrictos, a parochi dependentia a capitulo exturbati haud posse in iis quae curam animarum respiciunt.

VII. Eosdem Beneficiarios teneri coadiuvare canonicum parochum in Evangelii praedictione et in catechesis instructionibus, quoties parochus sit impeditus.

EX S. CONGREG. EPISC. ET REG.

ROMANA

SUPER- LIQUIDATANE CANONUM LAUDEMII ET EXPENSARUM.

CAUSAE PROSEQUUTIO. Praesens quaestio (1) dirempta fuit in plenariis comitiis diei 6 martii 1885, et propositis dubiis.

I. *An et in qua summa elevari debet caput canonis Abbati Commendatario debiti in casu ?*

II. *An et in qua summa elevari debet caput canonis Hospilali SS. Caroli et Ambrosii debiti in casu ì*

III. *An salva parte pecuniae titulo canonis solutae, et in qua summa liquidanda sit differentia et augmentum debitum relate ad reditum ab emphyteuta perceptum in casui*

IV. *An schedis consolidati, domini directis assignandis, valor anni 1877 vel potius anni 1884 attribuendus sit in casu?*

V. *An emphyteuta laudemii medietatem solvere teneatur in casu ?*

VI. *An et in qua summa taxa, vulgo* di ricchezza mobile, *dominis directis refundenda, et an ipsi ad depositi taxam concurrere debeant in casu ?* Sacra Episc, et Regul. Congregatio respondere censuit : *Ad I. Affirmative, et sol-*

(1) Habes hanc quaestionem Vol. XVIII, 136.

vendam esse summam, elevato capite ad rationem 100 pro singulis 4 libellis canonis. Ad, II. Affirmative ut in primo. Ad III. Affirmative et complendum quod interest inter summas iam receptas et differentiam usque ad summam capitis. Ad IV. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, et ad mentem R. P. B. Secretario patefactam. Ad V. Negative. Ad VI. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam, et ad mentem.

S. Congregationis resolutione partibus communicata, Augustus Mancini Praelaturae investitus, supplici oblato libello, Sacratissimo Principi significavit, S. Congregationis mandatis obtemperare haud posse, absque consensu Emi Oreglia, quippe qui Praelaturae Administrator a SSmo fuerat deputatus.

Re cognita, S. Congregatio e re sua esse duxit rem totam Emo Administratori transmittere, ac ipsius *informationem et votum* exquirere.

Emus Administrator, praemonito inter Emphyteutam et Directarios in themate non de canonum afirancatione agi, sed potius de indemnitatis divisione a municipio ob vineae expropriationem perceptae, ac proinde divisionem a damno, quod quilibet persenserat, commensurandam esse. Praemonito quod Directarii, ob dictam expropriationem, praeter canonum perceptionem, quas Emphyteuta quotannis rependere debuisset, etiam laudemia in posterum perdiderant, sequens compositionis schema S. Congregationi exhibuit. Scilicet, quoad canonum perceptionem proposuit, ut Directarii, quippe qui nullum damnum ob expropriationem recipere debebant, ipsos ex integro percipere deberent ; ac proinde ut Praelaturae investitus Directariis redditum assignare tenerentur canonum valori aequivalentem, quos ipsi ante vineae occupationem percipere solebant.

Relate ad indemnitatem Directariis assignandam, ratione habita ad laudemia quae in posterum, ob impositam expropriationem, amittebant, proposuit ut dicta indemnitas non in laudemii medietate, ceu praescribit lex civilis, consisteret : sed ut ad integrum laudemium elevaretur. Idque ex eo quod

agitur de re non ad tramitem iuris dirimenda, sed de bona et aequo inter entia ecclesiastica componenda.

Ob eandem aequitatis rationem, et quia de entibus ecclesiasticis agitur, ipse Emus Administrator proposuit, ut pretium tam canonum, quam laudemii sine detractione Directariis persolveretur ; etsi iuxta praxim tribunalium *di Cassazione* huiusmodi taxa a Directariis rependenda sit.

Relate ad III. dubium respiciens redditum ab emphyteuta iam perceptum, cum ex facto constet, indemnitatem a Municipio solutam in Schedas *consolidati* immutatam esse, Eminentissimus autumat Directariis summas annuas solvendas esse, quae redditui ipsorum favore inscribendo respondeant, detractione taxae *di ricchezza mobile* excepta, utpote ab Emphyteuta iam persoluta.

Quoad IV. dubium, cum in facto consistat, indemnitatem a Municipio solutam in redditum *consolidatimi* conversam fuisse : Eminentissimus animadvertit, nihil, post peractam conversionem superesse posse, quod investiri debeat. Quocirca Eminentissimus existimat ad rem sufficere, ut redditus *consolidât us* favore trium entium, quae expropriationem passa sunt, inscribantur, iuxta proportionem ab ipso Eminentissimo superius indigita tam, ubi de mensura actum est, qua Directariis canones et laudemium ab Emphyteuta persolvenda essent.

Ad V. dubium, in quo sermo est de laudemio ab Emphyteuta solvendo, non obstante S. Congregationis negativo responso, Eminentissimus contendit Directarios ius habere illud ab Emphyteuta exigendi, in damni compensationem, quod ipsi in posterum persentient. Ex eo enim quod, peracta vineae expropriatione, ipsius utilis dominii in alios transitus, ex quo Directarii ius habent ad laudemium, impossibilis evadat, necessario consequitur, ut ipsi in posterum damnum pati cogantur.

Relate tandem ad VI. et ultimum dubium, Eminentissimus acceptam hubuit ipsius primam partem, qua cautum fuerat ut dominis directis taxa vulgo *di ricchezza mobile*

refunderetur. Quo vero ad alteram partem, qua mandatum fuerat, ut Praelaturae investitus sub Emi Administratoris dependentia ; Directarii vero sub dependentia Emi Cardinalis Vicarii respectiva capita investire deberent ; Eminentissimus declaravit consultius fore, ut partes interesse habentes ab Urbis praeside facultatem obtinerent exigendi pecuniam in arca vulgo *dei depositi e prestiti* collocatam, eum in finem, ut favore ipsarum partium interesse habentium inscriberetur, servata proportione ab ipso Eminentissimo superius constituta. Praeter haec proposuit, ut ususfructus favore actualis Praelaturae investiti, vinculo subiiceretur, quamdiu ipse viveret.

Huiusmodi compositionis schema arrisit quidem duobus Directariis; verum illud Praelaturae investitus reiecit. Hic vicissim petiit: 1. Ut canones a Praelaturae investito persolvendi taxa *di ricchezza mobile* gravarentur, ad tramitem iuris civilis, cui se subiicere debuit: 2. Ut Emphyteuta non integrum laudemium, sed dimidiam partem Directariis persolvere teneretur : 3. Tandem ut ipsi ad depositi taxam pro rata concurrere deberent.

Partibus non convenientibus, S. Congregatio iussit causam reproponi, ut ad tramitem iuris dirimeretur, nonnullis animadversionibus ex officio praemissis.

Disceptatio synoptica.

Quoad compensationem Directariis dandam ob eventuales dominii utilis transitus, qui, peracta vineae expropriatione, in posterum non amplius locum habebunt, perpensum fuit ipsam assignandam esse iuxta mensuram ab Emphyteuta propugnatam, seu ad rationem dimidiae laudemii partis, ceu legis civilis dispositiones praescribunt. Ideoque excipiendam non esse sententiam Emi Administratoris, qui vellet, ut ipsa ad integrum laudemium elevaretur. Idque 1. ob rationem ab ipso Eminentissimo expressam, quod scilicet ecclesiastica ipsius emphytéseos natura, cum utilis dominii transitus, mi-

nus frequentes reddat, efficit, ut minus sit damnum quod compensari deberet. 2. Ex eo quod, si limites a lege civili praescripti, intuitu aequitatis, excederentur, contingeret ut Emphyteutae damnum immerito atque iniuria inferretur.

Sane si leges civiles, quoad emphyteusim non ecclesiasticam, in qua iuxta ipsius Emi Administratoris confessionem, dominii utilis transitus sunt magis probabiles magisque frequentes, praescribunt, ut dominis directis dimidia laudemii pars in compensationem tribuatur : nulla apparet pretiosa ratio, cur in emphyteusi ecclesiastica, ubi huiusmodi transitus minus frequentes sunt, compensatio ad integrum laudemium elevari debeat. Ad hoc augmentum cohonestandum demonstrari deberet, legum civilium dispositiones hac de re esse nimis duras, ac iurium Directariorum laesivas.

Quo vero ad taxam *di ricchezza mobile,* qua schedae reditus consolidati gravantur, animadversum fuit, ipsam, iuxta Eminentissimi votum , ab Emphyteuta persolvendam esse, ob hanc potissimum rationem, quia scilicet canones ab huiusmodi taxa immunes persolvuntur. Hinc Directariis tot titulos redditus consolidati esse assignandus, quot requiruntur, ut ipsi consuetos annuos redditus absque ulla detractione percipere valeant.

Quin Emphyteuta opponere valeret, in canonum affrancationibus, qui entibus vulgo *di mano morta* debentur, legem civilem disponere, ut domino directo redditus haud immunis annuo canoni aequalis tribuatur; ita ut etiam dominus directus oneri taxae *di ricchezza mobile* subesse debeat. Huic enim offensioni obviam iri potest praeprimis animadvertendo, in themate non de affrancatione proprie dicta, sed verius agi de pretio expropriationis fundi directarios inter et Emphyteutam dividendo. Hinc iustum esse ut, in pretii divisione, partes easdem normas sequantur, quibus pretium constitutum fuit. Porro Municipium, Schedas redditus consolidati, ceu indemnitatem, non assignavit, sed pretium pecunia numerata persolvit.

Nec refert quod huiusmodi pretium deinceps in Schedas

redditus consolidati immutatum fuerit: id enim in commodum ipsius Emphyteutae et ad ipsius instantiam locum obtinuit.

Ex quibus omnibus liquet, indemnitatem ad tramitem iuris communis ulla absque detractione assignatam fuisse, ipsamque fundi valorem ad normam peritiae iudicialis repraesentare. Quae cum ita sint, iustum haud esse videtur portionem Directariis debitam imminutioni subiicere.

Secundo loco perpensum fuit, legem civilem quae Emphyteutae facultatem tribuit canones affrancandi, Directariisque redditum impuram canonum valori aequivalentem assignandi , esse legem exorbitantem, odiosam et contra bona ecclesiastica latam, ideoque a tribunalibus ecclesiasticis reiiciendam.

Tandem quoad depositi expensas ab Emphyteuta persolutas, observatum fuit aequum et iustum esse, ut a Directariis *pro rata* indemnis redderetur. Cum enim agatur de expensis, quae ad bonum commune tum Emphyteutae, tum Directariorum persolutae sunt, recta ratio dictat, ut quilibet eorum *pro rata* ad ipsas concurrat.

Quibus pro utraque parte aequa lance libratis, praeter assuetum, proposita fuerunt diluenda tria alia nova

Dubia

An sit standum, vel recedendum a decisis in casu?

I. *An Emphyteuta laudemii medietatem vel potius integrum laudemium dominis directis persolvere debeat in casu ?*

IL *An canones dominis directis persolvendi taxa vulgo* di ricchezza mobile *gravati esse debeant in casu ?*

III. *An domini directi ad depositi taxae solutionem concurrere debeant in. casu?*

RESOLUTIO. S. Congregatio Episc, et Regul. post maturum examen, sub die 19 augusti 1892 respondere censuit :

Ad I, II, III, et IV. Affirmative et amplius. Ad V. Ne-

gative et amplius. Ad VI quoad praeteritum Affirmative, quoad futurum Negative et amplius.

Quoad nova dubia : *Ad I et II iam provisum, idest Negative et amplius. Ad III Affirmative pro rata et amplius.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. In aíYrancationibus fundi emphyteutici ecclesiastici caput canonis, domino directo debitum, ulla absque imminutione ab emphyteuta persolvendum esse.

II. Qua de re taxam *di ricchezza mobile* et quaelibet alia onera vel tributa, quibus in emphyteusi ecclesiastica canonis caput per legem civilem gravatur , non a domino directo , sed ab emphyteuta esse rependenda.

III. Neque hac super re standum esse legis civilis dispositioni, quippe quae in odium proprietatis ecclesiasticae lata fuit.

IV. Laudemium, a laudando dictum, domino directo deberi, quoties rei emphyteuticae utile dominium in alios transfertur.

V. Idque veluti in praemium consensus, quem dominus directus ad utilis dominii translationem praestat.

VI. Hinc in rei emphyteuticae alienatione obligatoria , domino directo nullum deberi laudemium, quia dominii translatio absque ipsius consensu, imo, ipso etiam invito, locum obtinet.

VII. Dominum directum *pro rata* ad expensas concurrere oportere , quas emphyteuta in bonum commune persolvere^

MAIORICEN.

DECRETI

Pie 1 Aprilis 1892.

COMPENDIUM FACTI. In Dioecesi maioricen., ab antiquis usque temporibus percelebre Sanctuarium, sub titulo B. Mariae Virginis de *Lluch* cum Collegio adnexo existit, fidelium pietate, ac praesertim Thomae ac Baldassaris Thomas munificentiâ locupletatur^ qui omnia bona sua B. Virgini dona-

runt, ut ex iis quo plures possent sacerdotes alerentur. Hac tamen conditione resolutiva adiecta, ut in Collegio iugiter residere, et officium divinum in honorem Dei et B. Mariae Virginis quotidie canere deberent.

Verum cum Sanctuarium in dies augesceret, Episcopus Garcia, paroeciam S. Petri de *Escorca* in cuius districtu Sanctuarium reperitur, ipsi univit. Et huiusmodi unionem nedum Callistus III ratam habuit, verum etiam Alexander VI et Clemens VII successive confirmarunt.

Executioni autem dispositionum, quas benefactores Thomas ediderant, provisum fuit per electionem aliquot Capellanorum, qui praeter onerum communium satisfactionem et choro assistentiam, vitam communem profiteri et sub superioris obedientia, qui Prioris titulo gaudebat, vivere tenebantur.

Sanctuarii Communitas sic constituta usque ad initium huiusce saeculi perduravit. Verum hoc vertente tempore, ob supervenías temporum vicissitudines, nonnullis mutationibus subiecta fuit, quae tamen neque institutionis finem a fundatoribus intentum, neque iura patronatus sive activi sive passivi Capellaniarum mutarunt.

Sane Episcopus, septem congruis tum ex bonis haereditariis familiae Thomas, tum ex eleemosynis adventitiis, et ex bonis ad Collegium spectantibus, constitutis, sub die 14 Ianuarii 1804, decrevit, ut in posterum septem collegiales omnesque sacerdotes esse deberent ac residentiae adstricti: ut quatuor primarum congruarum iuspatronatus activum ad Priorem et Collegiales pertineret, passivum vero ad descendentes ex familia Thomas , et in eius defectu , ad familiam Vaquet spectaret : ut reliquae tres congruae regii iurispatronatus essent : ut tam quatuor primae , quam reliquae tres congruae conferri deberent praevio concursu, eo modo quo beneficia curata in Dioecesi maioricen. conferri solent: tandem ut Prior a Collegio eligendus, qui insuper parochus de *Escorca* esse debebat, biennio in suo munere permaneret, nec nisi, praehabita Ordinarii confirmatione, parochi munus exercere valeret.

Haec quae Episcopus statuit, et rex decreto diei 5 Martii 1804 approbavit, ad unguem observata sunt, usque dum ex una parte Concordatum inter S. Sedem et Gubernium initum, et ex altera leges demaniales nonnullas novitates induxerunt.

In vim art. 25 Concordati cum vetitum esset, quominus Ecclesiae Collegiatae seu Capitula ac Ordines religiosi curam animarum annexam haberent, tam actualis Episcopus, quam ipsius praedecessor Ecclesiae de *Esco-ea* parochum praefecerunt, qui etsi a Sanctuarii Priore independens esset, tamen in Ecclesia et Collegio residere et bona Sanctuarii modo precario administrare tenebatur.

In vim vero legum demanialium, quae bona immobilia Collegii Gubernio tribuerunt, cum **conoTuarum** collatio in suspenso permansisset, contigit, ut ex die 1 Maii 1855 unus parochus de *Escorca* cum ipsius coadiutore in Collegio residere^ Ex quo derivatimi est, ut, si excipias missas lectas et unam missam quotidianam cum cantu, cetera onera a piis fundatoribus imposita satisfieri haud valerent, neque amplius officium divinum quotidie psalleretur.

Rebus sic stantibus, actualis Episcopus desiderio motus Collegium ad primaevum splendorem revocandi, quin iura aliis quaesita laederentur, sub die 24 septembris 1890 a S. Congr. Episc, et Regni, postulavit, ut in dicto Sanctuario religiosi Carmelitae instituerentur, qui fundationis onera sustinerent, et eorum superior, praevia dispensatione Apostolica, paroeciam de *Escorca* administrare valeret. Postulavit insuper, ut actuali parocho, casu quo paroeciani dimittere haud vellet, capella pro sacramentorum administratione in Ecclesia assignaretur, eique ofiicia et iura determinarentur, ceu fieri solet in ceteris Hispaniae Cathedralibus, quae curam animarum adnexam habent.

Huiusmodi precibus acceptis, S. Congr. Episc, et Regul. sub die 5 decembris 1890 rescribere censuit: *Pro gratia, dummodo ius alteri quaesitum non laedatur.*

Habito hoc rescripto, Episcopus maioricen. nonnullos re-

ligiosos ox ordine Carmelitarum excalceatorum ad Sanctuarium misit, Sanctuarium et Paroeciam, quae usque eo unitae erant, decreto divisit, ac Sanctuarii Priorem, a parocho independentem, religiosum nominavit.

Editum decretum aegre ferens Sacerdos Gulielmus Fiol y Puyades Ecclesiae B. V. Mariae *de Lluch de Escorca* parochus, eandem S. Congregationem sub die 29 aprilis 1891 recursum porrexit ad hoc ut illud, utpote suorum iurium laesivum, nullum et quovis firmitatis robore destitutum renunciaretur.

Disceptatio Synoptica.

QUAE PAROCHO FAVERE VIDENTUR. Parochus pro viribus contendit Episcopi decretum, quo Sanctuarium a paroecia divisum fuit, pluribus de causis sustineri non posse. Ac praeprimis quia Episcopus facultate ac iure carebat huiusmodi divisionis peragendae. Quod ut evincat, in facto consistere ait, unionem paroeciae s. Petri de *Escorca* Sanctuario B. Virginis de *Lluch* ab Episcopo Garcia volitam ac decretam fuisse.

In facto pariter consistere, dictam unionem a Callisto III die 24 Iulii 1465 approbatam, ab Alexandro VI die 15 decembris 1495, et a Clemente VII die 24 decembris 1571 successive confirmatam fuisse. In facto tandem consistere, memoratam unionem a Summis Pontificibus approbatam et confirmatam, Hispaniae Reges per 400 annorum spatium ratam iugiter habuisse.

Hisce in facto praestitutis, tralatitium in iure esse perpendit, Episcopos in sua Dioecesi legem a Summo Pontifice latam absque ipsius Pontificis venia sive derogare sive abrogare haud posse. Hoc, praeterquamquod ab unanimi Canonistarum doctrina, manifestum erumpere a Can. *Inferior, dist. 21 ;* a Can. *Cum inferior. 16 de maiorit, et obed.;* praesertim vero a *Clem. Ne Romani* § i, *de Elee,* ubi legitur: « lex Superioris per inferiorem tolli non potest ». Cum

igitur in propatulo sit, quod actualis Episcopus Maiori can. praedictam unionem a pluribus Romanis Pontificibus approbatam ac confirmatam, proprio marte et absque S. Sedis venia abrogaverit ac destruxerit, iam per se patet ipsius decretum nullo pacto sustineri posse.

Quin opponere valeret, oppugnatam divisionem peractam fuisse in vim rescripti, die 5 decembris 1890 ab S. Congr. Episc, et Regul. editi. Quandoquidem animadvertit huiusmodi veniam datam utique fuisse, sed cum prudenti limitatione: *dummodo ius alteri quaesitum non laedatur.*

Iamvero quod praedicto divisionis decreto iura parochi laesa fuerint, pro aris et focis contendit parochus, referens, parochiam B. Virginis de *Lluch* modo nihil aliud sub se comprehendere, nisi ipsius B. Virginis Sanctuarium cum collegio adnexo, ubi addicti Sanctuarii cultui degunt, nec non hospitium publicum et domum parochialem. Admissa itaque Sanctuarii divisione a paroecia, de ipsius paroeciae existentia iam actum esset, parocho enim nec alii subditi, nec aliud territorium superessent, ubi suam iurisdictionem exercere valeret. Hisce addit iure timendum esse, ne ob huiusmodi divisionem Sanctuarii bona amittantur. Observat enim, vertentibus annis 1869 et 1884, praedicta bona a fìsci unguibus ideo subducta fuisse, quia Episcopi *pro tempore* demonstrarunt, quod ipsa ad Sanctuarii de *Lluch* paroeciam pertinebant.

Nullum praeterea decretum habendum esse urget, quia decernens Episcopus, ut Prior iura et facultates a Parocho independentes habeat, ipsum, loco veri Parochi, ceu Parochum constituit. Quod tum literae tum spiritui adversatur Concordati S. Sedem inter et Hispaniae Gubernium initi, quod prohibet quominus Ordinibus religiosis cura animarum tribuatur, et praecipit, ut ecclesiastici omnes alicuius Sanctuarii servitio adstricti dependeant a Parocho proprii territorii, eique in omnibus subditi sint, quae divinum cultum et sacras functiones respiciunt..

Nullum tandem proclamandum esse contendit, quia Epi-

scopus, ex eo quod per simplex decretum iurisdictione parochiali ipsum privavit, spolium commisit, quod tunc locum obtinet, cum iudex, sine citatione vel iudicio, aliquem ceu reum condemnat, ipsumque vel benefìcio vel quolibet alio iure privat, in cuius possessione versabatur. De Luca *disc. 70, n. 4 de benefic.* Rota *decis. 1119 coram Venia n. 2; decis 8, n. 6 coram Lancetta; decis. 1029, n. 1 coram Seraphino; et decis. 161, n. 4, tom 2 recent,* ubi legitur: « Ex defectu citationis spolium censetur commissum ».

In themate agi de spolio cum dubitari haud posse videatur, consequitur parocho omnia iura restituenda esse, quae ante dictum decretum in Sanctuario exercebat. Hoc quippe exigunt ss. Canones, qui in *Cap. Conquerente nobis 7, de restii. spoL* haec habent: « Conquerente nobis R. Clerico, accepimus, quod ipsum ecclesia Werfort sine iudicio spoliasti. Quia vero non decet honestatem tuam clericos tuae iurisdictionis sine manifesta causa et rationabili suis beneficiis spoliare____mandamus quatenus, si ita est, praedicto clerico praefatam ecclesiam cum suis redditibus inde perceptis restituas, et in pace eum possidere permittas ». Cui concinit S. Congr. Concilii in *Ianuen. Absolutionis 10 iunii 1848;* in *Piacentina 24 ianuarii 1846*; S. Rota quae *decis. 652, pag. 2, num. 2 recent,* haec tradit: « Spoliatus ante omnia restituendus est, nedum ex aequitate, sed etiam ex legis praecepto. »

Quae cum ita sint, Parochus concludit, divisionis decretum, utpote nullum, revocandum esse, sibique omnia iura restituenda, quibus, in vim electionis et canonicae institutionis, super Sanctuarium B. Virginis de *Lluch* potiebatur.

QUAE EPISCOPO FAVERE VIDENTUR. Vicissim Episcopus maioricen. ostendere satagit s. Petri paroeciam et Sanctuarium fuisse et esse duo entia authonoma et unum ab altero independens. Et licet in huiusce saeculi initio parochia Sanctuario unita fuerit ; nihilominus Sanctuarium eiusque Collegium quamdam supereminentiam super parochiam et Parochum iugiter exercuisse, « habita ratione : I° iuris quae-

siti Collegii virtute Apostolicarum Constitutionum, nec non statutorum editorum, collatis consiliis Regiae et Apostolicae potestatis ; 2° quinquies centena praescriptione favore Collegii ; 3° formae hodiernae provisionis paroeciae ad normam iuris communis, virtute articuli 27 Concordati in Hispania vigentis ».

Observat insuper inter Ordinarium et actualem Parochum stipulationem verbalem intercessisse, qua cautum fuit « ut Parochus nomine et officio Prioris Collegii ac Sanctuarii frueretur », sed tantum « ex delegatione Ordinarii ad tempus concessi et titulo precario ab illo saepe saepius rogato, diu desiderato, talique ratione amovibilitatis acceptato, quin ullum protulerit verbum aut reclamationem protestationemque emiserit, pro vindicando hoc munere tamquam Paroeciae adnexo ipso iure ».

Et in vim praefatae conventionis *viva voce* ab ipso acceptatae , deventum esse « ad praesentationem, nominationem, collationem et possessionem Curati favore Gulielmi Fiol, nulla facta mentione de Sanctuario et Collegio *sicut in praecedenti provisione,* cum hac tamen cautela notatu digna, quod Parochus in possessionem positus fuerit tantum in iura parochialia ad antiquam s. Petri paroeciam de *Escorca,* hodie Beatae Virginis Lluch, quin ulla intercesserit traditio realis, nec symbolica 'praediorum, Collegii, praeter habitaculi Parocho assignati ; multo minus clavium nec Capellae seu Oratorii a tergo altaris maioris ubi concurrunt peregrinorum turmae ad'leonis Beatae Mariae Virginis adorationem, nec arcae sub pedibus ipsius positae ad eleemosynarum collectionem, prout videre est in acta possessionis coram testibus confecta ab Archipresbytero et publice ab ipso lecta ».

Hisce in facto perpensis, ad decretum divisionis gradum faciens, Episcopus miratur, quod Parochus S. Congr. Episc, et Regul. recursum protulerit; quandoquidem animadvertit per ipsum nullam Parocho factam fuisse iniuriam nec ipsius Parochi iura laesa fuisse.

Quod nulla iniuria ipsi irrogata fuerit, ex eo deducit,

quod ipse Prioris officio insignitus fuerat *ex delegatione tantum Ordinarii ad tempus concessa, et titulo precario;* ideoque eodem officio privari poterat, quoties Episcopo placuisset, vel ipse opportunum aut conveniens existimasset, quin de ipsius agendi ratione Parochus iure questus movere valeat. Quandoquidem, *qui utitur iure suo, nemini facit iniuriam.*

Quod autem iura Parochi laesa haud fuerint scatet ex verbis ipsius decreti divisionis. In ipso enim legitur curam animarum cum incertis ac oblationibus parochialibus ad Parochum de *Escorca* pertinere: ad Priorem vero spectare administrationem bonorum Sanctuarii, quippe quae non ratione parochiae, sed respectu Sanctuarii a piis benefactoribus donata fuerunt.

Mox adductis Episcopus addit, non inconsulto vel levitate motum, sed gravibus impellentibus rationibus, ad huiusmodi divisionem devenisse; nempe 1. Ut cultus et pietas erga B. Virginem inter fideles augeretur et, meliori modo quo fieri posset, piorum benefactorum dispositiones observarentur. Quod nullo pacto obtineri potuisset, donec Sacerdos Fiol duplex Parochi et Prioris Sanctuarii officium retinuisset.

Elatus enim, ait, dominandi cupidine aurique fame aestuans non nullum lapidem movit ad impediendum quominus de restauranda Co nmunitate provideretur, et percelebre ac dives Sanctuarium et Collegium in pristinum splendorem redintegrentur: 2. Ne frustraret ur finis a fundatore intentus, ac despectui haberentur Pontificiae Constitutiones huc usque non derogatae favore Collegii, ac evacuaretur pietas fidelium, si manerent de iure Collegium et Sanctuarium sub Parochi potestate: 3. Ut tandem aliquando salutaris medela pararetur malis, quorum causa erat Parochi agendi ratio. Siquidem Episcopus perhibet, quod Parochus, spretis ordinationibus, locationis praediorum contractus absque visitatoris interventu inibat: spiritualia exercitia omnino omittebat: praescriptiones servandas in puerorum admissione eorumque

institutione parum aut nihil curabat : vere piorum pauperumque peregrinorum turmas nihili faciebat ac despectui habebat. Vicissim sumptuose impensis Collegii recipiebat integras familias, non devotionis sed oblectamenti et dissipationis causa illuc occurrentes, et, inter hos, scriptores ephemeridum impiarum, infensissimos hostes ecclesiae cum eo familiari necessitudine coniunctos : antiquos probosque famulos a Collegii servitio removebat, eosque per sorores et cognatos substituebat, penes quos, in sua habituali et iniustificata absentia, manebat regimen Collegii et Ecclesiae, posthabito coadiutore, cum ipsius dedecore et infamia, contra expressum praeceptum ordinationum domus sacrique canonis iussum.

Hisce aliisque tum facti tum iuris rationibus innixus, Episcopis autumat divisionis decretum S. Congr. Episc, et Regni, rescripto diei 16 decembris 1890 conforme esse, ideoque concludit, ipsum validum et firmum renunciandum esse.

Quibus pro utraque parte perpensis, propositum fuit enodandum sequens

Dubium

An et quomodo confirmandum vel revocandum sit decretum ab Episcopo maioricen. editum in casu?

RESOLUTIO. S. Congregatio Episc, et Regulare maturo examini subiecta, sub die 1 aprilis 1892 respondere censuit: *Affirmative ai primam partem: Negative ad secundam.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

DUBIA quoad plures tabulas in Ecclesia consecrandi locatas.

Rmus Dnus Camillus Ruggeri Episcopus Fanen. exponens, quod Fani, in templo noviter aedificato cum Coenobio Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, tabula princeps Altaris maximi refert desuper Immaculatam B. M. V. Conceptionem, et

subter effigies Sanctorum Paterniani et Fortunati Episcoporum Confessorum, Francisci Assisiensis ac Sanctarum Christinae Virg. et Mart., et Iustitiae Mart.; in altero vero e quatuor minoribus altaribus extat Simulacrum pro tabula repraesentans Virginem Deiparam Immaculatam Vulgo de *Lourdes,* ac retro et circum adiuncta habentur ipsius Apparitionis; insequentia dubia S. R. Congregationi pro opportuna solutione humillime subiecit, ut ad praefatae Ecclesiae consecrationem, titulumque eidem tribuendum devenire possit, nimirum :

Dubium I. Tabula princeps Altaris maioris in enuntiata Ecclesia, et Simulacrum Deiparae de *Lourdes* in minori Altari debentne haberi distincta tamquam diversum subiectum, ab utraque repraesentatum ?

Et quatenus Negative; Dubium II. Altare maius potestne titulum sumere ab uno ex memoratis Sanctis, quos tabula princeps repraesentat?

Et quatenus Negative: Dubium III. Ut Immaculatae B. M. V. Conceptioni dedicari possit Altare maius, potestne in Altari minori desuper collocari effigies alicuius Sancti, et infra tamquam tabula secundaria (sotto quadro) prostet enuntiatum Simulacrum Deiparae de *Lourdes?*

Et quatenus Negative. Dubium IV. Potestne in tabula principe Altaris maioris addi cor depictum in pectore B. M. V. ita ut dici queat repraesentari Immaculatae Cor Virginis, non Ipsius Conceptio ?

Et quatenus affirmative : Dubium V. Potestne nova Ecclesia consecrari sub titulo B. M. V. de *Lourdes,* etsi non in maiori, sed in minori Altari Simulacrum collocatum sit?

Et quatenus Affirmative: Dubium VI. Mensa huius minoris Altaris integra consecranda est, utpote Altare fixum necne?

Sacra porro eadem Congregatio, exquisito voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit, videlicet;

Ad I. *Affirmative : dummodo Beata Maria Virgo, de Lourdes nuncupata, repraesentetur cum omnibus apparitionis adiunctis.*

Ad reliqua dubia: *Provisum in primo.*

Atque ita rescripsit et declaravit die 27 Augusti 1892.

Pro Emo Praef.
A. CARD. SERAFINI

VINC. Nussi *Secretarius.*

APPENDIX II.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUA E AUT IAMDIU EXARATA SUNT, AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

S. C. S. Officii 30 Ianuarii 1765. — Vic. Ap. Sutchuen.
Oe aqua benedicta adhibenda in collatione baptismi.

Dignentur (EE. Y Y.) nobis permittere ut in collatione Baptismi possimus uti aqua benedicta quidem iuxta ritum in Rituali Romano mandatum, sed tamen absque sacris oleis intra mixtis. Contingit enim saepe ut non tantum deferri nequeat aquae copia sufficiens numero baptizandorum, sed quoque desint sacra olea, quibus adhibitis, possit aqua nova benedici.

R. Negative, excepto casu necessitatis ; et missionarii se gerant iuxta Instructionem S. Caroli Borromaei (in parte 2. quinti Synodi dioecesani). — *En dicta Instructio :*

« Quod si intra annum prae temporis diuturnitate aliaque causa illam aquam corrumpi contigerit, in Sacrarium prope Fontem parochus proficiet statimque Fontem purgabit ; et vero, si in urbe est, ad Metropolitanam, si in dioecesi, ad Plebanam Ecclesiam veniet, unde proprio vasculo nitido aquam baptismalem accipiat, in parochialemque ecclesiam secreto ferat, ubi quamprimum in Fontem effundat, baptismalique aquae allatae tantum etiam aquae purae nitidae et recentis addet quantum satis erit. Hoc ipsum quoque praestabit si etiam aqua baptismalis per annum aliquo modo defecerit ».

S. C. S. Officii 8 Novemb. 1770. — Mission. Loangi et Kacongi (Africae).
Dubia quoad Baptismi collationem.

1. Se nel caso che i re e i popoli siano contrari alla propagazione del Vangelo possa amministrarsi il Battesimo ai fanciulli moribondi con strofinare loro la fronte dalla parte davanti solamente o

1. An in casu quo reges et populi adversantur fidei propagationem, baptisma administrari possit infantibus moribundis signando eorumdem frontem, aut aliam partem principem per spongiam, aqua

qualche altra parte considerabile con una sponga imbevuta d'acqua, senza versarne sopra, per timore, che i genitori i quali hanno fatta opposizione, e osservano da vicino i missionarii, se ne accorgano.

2. Se in quei regni nei quali i genitori si oppongono al battesimo de' loro figliuoli per l'opinione in cui sono talvolta gl' idolatri che il Battesimo li faccia morire, possano battezzarsi in pericolo di morte col servirsi d'acqua, in cui si saranno poste delle quintessenze, o degli odori forti, oppure alcune droghe, come il zafferano, o polvere di qualche altra specie per indurre cambiamento nel color naturale senza alterarne la sostanza, e con farne uso come se fosse un rimedio, o sia a guisa di docciatura con versare l'acqua sopra una parte o sopra la testa, o sia in maniera di bagno, o sia per lavare o pulire il fanciullo, ovvero per rinfrescargli gli occhi o nettargli le piaghe, o ancora con dargliela a bere, oppure qualche altra maniera a guisa di rimedio, come se ciò fosse effettivamente, ma sopra tutto principalmente per battezzarlo, pronunziando sotto voce la forma del Sagramento.

R. Considerati dalla S. G. del S. Offizio i proposti dubbii, la medesima è stata di sentimento di dovere primieramente inculcare ai missionarii il grave obbligo, che hanno di uniformarsi al Rituale Romano eziandio nella privata colla-

imbutam, quin supra diffluat, timendo ne rem percipiant parentes ; qui oppositionem fecerunt, et missionarios cominus prospiciunt, id cognoscant.

2. An illis in regnis, in quibus parentes sese opponunt baptismati filiorum suorum, eo quod idoiolatrae per hoc necari censeant, baptizari possint in mortis periculo per aquam flagranti odori, aut aromatibus commixtam, ut nativum colorem amittat, quin substantia alteretur, eandem adhibendo ceu remedium sive illam fundendo in aliquam partem aut in caput, aut balnei instar, ut puer abstergatur a sorde, aut eam ceu potum tradendo, aut alia ratione, remedii veri instar, sed super omnia ut baptizetur, submissa voce formulam Sacramenti pronuntiando.

Resp. Perpensis dubiis propositis, S. Congregatio S. Officii, censuit primo innuere gravem obligationem, quae missionariis incumbit, morem gerendi Rituali romano in privata quoque administratione baptismi, et quantum possunt, noa recedendi ab eo.

zione del Battesimo, e di non recedere da esso per quanto possono.

Nel caso peraltro di estrema e yera necessità, in cui è imminente la morte del fanciullo, nè ai missionarii può darsi altra e più comoda occasione di visitarlo, e i genitori sono al Battesimo avversi, come si espone nei dubbii, possono, anzi debbono in tal caso i missionarii servirsi di materia prossima e remota, quantunque dubbia, dovendo prevalere al pericolo della invalidità del Sagramenlo il soccorso, quantunque incerto, alla spirituale generazione del fanciullo. Quindi è, che toltone il modo di dare il Battesimo per modo di bevanda, che pare si accenni nel secondo dubbio, il quale è certamente illecito ed invalido sarebbe il Battesimo così conferito ; e tolto ancora l'uso di acque odorifere o essenze in cui la sostanza dell'acqua sarebbe alterata, tutti gli altri modi espressi nei diversi dubbii possono e debbono essere adoperati nel caso dell'allegata estrema necessità, e non altrimenti; su di che s'incarica la coscienza dei battezzanti ; avvertendogli ancora, che in questi casi procurino sempre che qualche porzione di acqua scorra sul capo, se è possibile, e non potendosi in verun modo sul capo, scorra almeno sopra qualche principal parte del corpo del fanciullo.

Inoltre avvertano, che in caso che questi fanciulli così battezzati,

In casu autem verae et extremae necessitatis, quo pueri mors immineat, nullaque missionariis alia occasio esse possit eum invisendi, et genitores baptismati adversantur, ceu in dubiis exponitur, possunt missionarii, imo debent materiam proximam et remotam, quantumvis dubiam, adhibere, quum auxilium, etsi incertum, pro spirituali pueri regeneratione, praestare debeat periculo invaliditatis Sacramenti. Quamobrem, excepta ratione administrandi baptisma, potionis instar, ceu innui videtur in secundo dubio , quae certo certius illicita est, et invalidum fieret baptisma sic collatum, sublatoque etiam usu aquae odorae, aut essentiae, quibus aquae substantia alterata fuerit, omnes aliae rationes, de quibus in diversis dubiis, possunt debentque adhiberi in casu praedictae necessitatis, et non aliter; de qua re oneratur conscientia baptizandum ; et monentur curare, hisce in casibus, ut aliqua pars aquae decurrat per caput, si possibile sit, et quatenus nequeat in caput, defluat saltem per aliquod princeps corporis pueri membrum.

Quod si pueri sic baptizati, cum dubio de validitate Sacra-

con dubbio della validità del Sacramento, riacquistassero la sanità, cerchino ogni miglior modo i missionarii di battezzarli di nuovo *sub conditione* *e* d'istruirli.

menti, convalescant, studeant missionarii ut eosdem iterum baptizent *sub conditione* atque instruant.

S. C. S. Officii 9 iulii 1779. — Vic. Apost. Sutchuen.
Dubium de collatione Baptismatis.

Christiani sunt qui, metu paganorum^ praesertim moribundos infantes baptizant, tergendo manu, aqua naturali intincta, frontem infantis ; vel digito, aut panno similiter madefacto eum in frontem signant, simulque verba formae proferunt, absque eo quod aqua fluat aut decurrat. Baptismus huiusmodi estne validus?

R. Se gerat iuxta regulas et consentanee ad Instructionem de anno 1770 transmissam Missionariis Africae (1).

S. C. S. Officii 14 Maii 1851 — Vic. Ap. Melanesiae ac Micronesiae.
Dubium de Baptismi collatione.

Utrum suspicio vaga erga indigenas, qui multis ordinarie inficiuntur superstitionibus, mortem infantium in extremo agone baptizatorum ipsi Baptismo tribuluros esse, si specialem videant aquam adhiberi, sufficiat, donec indoles indigenarum melius agnoscatur, ad adhibendam aquam non consecratam.

R. Posse ut in casu.

8. C. S. Officii 12 Iunii 1850 — Vic. Apost. Cocincinae.
Dubium de Baptismi collatione.

Utrum validus sit Baptismus infantibus collatus cum hac conditione : *Si vis baptizari, ego te baptizo* etc. ; et quid agendum erga illos qui, apposita tali conditione, a quibusdam mulieribus baptizati sunt, an scilicet iterum vel absolute, vel conditionata sint baptizandi ?

R. Validum esse Baptismum sub enunciata conditione collatum, quae tamen conditio in posterum omnino omittenda erit.

(1) Confer pag. 242 huius appendicis.

S. C. S. Officii 22 Iunii 1883 — De aqua baptismali.

Quando non habetur aqua baptismalis adhibenda est (quando fieri potest) aqua benedicta iuxta formulam in novis editionibus et in appendice Ritualis Romani ; secus adhibenda est aqua naturalis.

S. C. Officii 23 Iunii 1840 — Vic. Apost. Cocincinae. Dubium super Baptismi collatione.

Quaedam mulier quatuor genuit liberos quos et ipsa baptizavit dicens in lingua vernacula : *Ego volo ministrare tibi Sacramentum Baptismi peccatorum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.* Quaero ergo an Baptismus sic collatus valeat, vel an debeat sub conditione reiteran tanquam dubius vel tandem an sit nullus ideoque absolute denuo conferendus?

R. Baptismum fuisse invalidum, ideoque absolute esse baptizandum.

S. C. S. Officii 18 Decem. 1872 — Vic. Ap. Oceaniae Centr. Dubium quoad Baptisma ad mi n i stratu m ab haereticis.

In quibusdam locis nonnulli (haeretici) baptizant cum materia et forma debitis simultanee applicatis, sed expresse monent baptizandos ne credant Baptismum habere ullum effectum in animam ; dicunt enim ipsum esse signum mere externum aggregationis illorum sectae. Itaque illi saepe catholicos in densum vertunt circa eorum fidem de effectibus Baptismi, quam vocant quidem superstitiosam. Quaeritur :

1. Utrum Baptismus ab illis haereticis administratus sit dubius propter defectum intentionis faciendi quod voluit Christus, si expresse declaratum fuerit a ministro, antequam baptizet, Baptismum nullum habere effectum in animam ?

2. Utrum dubius sit Baptismus sic collatus si praedicta declaratio non expresse facta fuerit immediate, antequam Baptismus conferretur, sed illa saepe pronuntiata fuerit a ministro, et illa doctrina aperte praedicetur in illa secta ?

R. Ad 1. Negative ; quia non obstante errore quoad effectus Baptismi, non excluditur intentio faciendi quod facit Ecclesia.

Ad 2. Provisum in primo.

S. C. S. Officii 12 Octob. 1600 — De Baptismo administrando filiis Christianorum et turcarum.

An filii mulierum christianarum et patris turcae... sint baptizandi, instante patre vel matre, cum pater progressu aetatis illos instruat in secta mahumetana, et filii timeant profiteri se esse christianos.

R. Baptizentur. — Moneatur Episcopus ut diligenter curam educationis habeat, et exprimat si certum sit quod omnes efficiantur turcae, apostatent a fide et labantur in mahumetanismum, si* non adsit certitudo apostasiae, baptizentur; si adest certitudo, iterum proponatur.

S. C. S. Officii 8 Februarii 1624. — De Baptismo administrando filiis matris apostatae.

Filii infantes mulieris quae fuit apostata a fide et illos genuit cum patre turco, post absolutionem matris, si ipsa instat, baptizantur.

S. C. S. Officii 28 Ianuarii 1637. — De filiis mahumetarum baptizandis.

Circa dubia :

1. De filiis mahumetarum qui baptizantur ab eorum ancillis christianis dum infirmi sunt.

2. De filiis apostatarum a fide qui petunt eorum filios baptizari.

R. Ad i. Baptismum posse conferri infantibus in articulo mortis moraliter certo constitutis, si tamen id fiat sine scandalo.

Ad 2. Baptismum posse conferri dummodo adsit spes iusta et rationabilis separationis dictorum infantium a parentibus ac transmissionis ad catholicos, et christianae educationis, de qua baptizaturus diligenter inquirat.

S. C. S. Officii IO Maii 1703. — Ep. Quebecen. Dubia quoad collationem Baptismi.

1. Quaeritur an missionarius possit conferre Baptisma, aliaque Sacramenta infirmo barbaro, cui explicata sunt Religionis mysteria, quique pollicitus est observaturum se mandata ; missionarius autem certus est quod non promiserit ea servaturum nisi hoc tantum motivo, scilicet, quod nolit ei contradicere. Multae ipsi supersunt rationes dubitandi, num moribundus sit bene instructus, quia missionarius linguae barbarae rudis fere atque imperitus non potuit, nisi obiter, explicare mysteria sublimia excedentia captum barbarorum, et quamvis moribundus affirmet

se omnia capere, exteriora tamen et exiguitas devotionis persuadent id moribundum dicere ex complacentia, ita ut si alius ad eum accederet qui diceret, quod omnia quae dicta sunt ei nihil sint nisi merae Tabulae, *etiam sunt fabulae,* responderet barbarus complacendi gratia. Hoc autem oriri potest ex duobus principiis: Primum quia non capit, quae ei dicuntur; ex. gr. animi levitate, ita ut eo ipso momento, quo dicit: *credo et faciam,* credat revera, et exequi velit, sed minima ratione contrariam sententiam mutabit; quod tamen constat quod barbarus nollet uri in inferno, et sic affirmatio eius possit esse vera et in intimo cordis, difficultas est, utrum credat esse unum Deum et utrum credat esse infernum, an vero audiat quae dicta sunt ei tamquam historiam sibi narratam, quae vera et falsa esse potest.

2. An possit baptizari adultus rudis ei stupidus, ut contigit in barbaro, si ei detur sola Dei cognitio, et aliquorum eius attributorum praesertim iustitiae remunerativae et vindicativae, iuxta hunc Apostoli locum *accedentem ad Deum oportet credere quia est et remunerator est,* ex quo infertur adultum barbarum in certo casu urgentis necessitatis posse baptizari quamvis non credat explicite in Iesum Christum.

3. Utrum missionarius teneatur barbaris adultis baptizatis aut baptizandis omnia praecepta legis positivae divinae intimare, praesertim ea omnia quibus sese submittere difficultatem haberent, ut eiusmodi barbari securitate conscientiae fruantur, licet ea praecepta non observent quae ignorant, eo nitentes iuris axiomate *lex non obligat nisi fuerit promulgata.*

R. Non licere, si missionarius sit moraliter certus, prout in dubio asseritur, barbarum infirmum non sufficienter iuxta proprii captus mensuram intellexisse mysteria religionis christianae sibi explicata, aut ea sufficienter non credere, et ex solo motivo non contradicendi promittere se servaturum mandata eiusdem religionis.

Si vero missionarius prudenter credat infirmum barbarum, quando dicit: *credo et faciam,* revera tunc sufficienter credere serioque promittere se servaturum, ut supra, debere baptizari.

Si autem de praedictis, missionarius dubitet, et tempus non suppetat illum melius instruendi, immineatque periculum mortis, debere itidem baptizari sub conditione.

Ad 2. Missionarium non posse baptizare non credentem explicite in Dominum Iesum Christum, sed teneri illum instruere de omnibus iis quae sunt necessaria necessitate medii iuxta captum baptizandi.

Ad 3. Teneri omnia praecepta legis positivae divinae intimare.

S. C. S. Officii IO Maii 1703. — Ep. Quebecen. De Baptismo adultis conferendo.

1. An sit necessarium ut adulto baptizando explicetur Eucharistiae mysterium.

2. Utrum missionarius ita teneatur baptizandum adultum ad contritionis vel attritioms actum impellere, ut omisso contritionis vel attritionis actu, iure illum baptizare non possit, etiamsi missionarius instrueret eum tam ad eliciendum actum amoris Dei, quam actum resolutionis seu propositi non reiterare peccata commissa. Multo facilius est missionario, qui discit linguam barbarorum, instruere barbaros ut duos postremos actus eliciant quam primos ; difficilius enim est facere illos exprimere motivum doloris de peccatis commissis, quia Deo displicet infinite, et quia infinite bonus est, et quia peccatum meretur infernum.

3. Utrum baptizari possit barbarus adultus morti proximus, qui plures secum habens mulieres, pollicetur se nonnisi unam servaturum, si pristinae sanitati restituatur, sed qui dimittere non vult alias ; an teneatur missionarius compellere, et insistere ut barbarus dicat quam ex omnibus feminam electurus sit in coniugem, vel utrum sufficiat barbarum promittere se nonnisi unam habiturum.

4. An possit baptizari barbarus adultus qui permittit, imo qui desiderat ut medici et parentes adhibeant certas caeremonias superstitiosas ad sanitatem procurandam, quae ad minimum vanae sunt et inutiles, sed adhuc ignoratur utrum absolute sint contra religionem catholicam ; quaeritur autem utrum missionarius illum baptizare possit, antequam certo sciat quid significent tales caeremoniae et cui dirigantur.

R. Ad 1. Quoad adultos extra mortis periculum per se loquendo teneri, nisi tale in contrarium urgeat motivum ut expediens prudenti missionario iudicetur dilatio post baptismum. Quoad moribundum, pariter teneri, nisi vel tempus non suppetat, vel tanta praevideatur in eo animi perturbatio, ut a susceptione Baptismi distrahere valeat.

Ad 2. Teneri missionarium inducere baptizandum adultum ad eliciendum actum contritionis vel attritionis.

Ad 3. Non licere si ex illis mulieribus una sit uxor legitima et ceterae concubinae, nisi prius eiectis concubinis ; si vero habuerit omnes tamquam legitimas uxores, pariter non licere, nisi eiectis omnibus praeter primam; si cum ea valide contraxit, et velit secum cohabitare absque creatoris iniuria. Si tandem vel omnes simul et unico actu acceperit in uxores, vel omnes habeat ut concubinas, non licere nisi eiectis omnibus ante susceptionem Baptismi.

Ad 4. Stante certitudine quod caeremoniae illae ad minimum sint vanae et inutiles, et sub dubio an sint contra religionem catholicam, non licere.

S. C. S. Officii 24 Aug. 1703. — Ep. Quebecen. De Baptismo conferendo filiis barbarorum infidelium.

Quaeritur utrum baptizare liceat infidelium seu barbarorum liberos qui rationis usum nondum attigerunt, praesertim parvulos alkonkinorum aliorumque barbarorum qui, licet baptizati, nullum fere nostrae religionis actum exercent, sed per nemora vagantur, superstitiones pristinas sequuntur quorumque liberi, adoleverint, imitatores fiunt.

R. Non licere si sint filii infidelium et in potestate eorum relinquendi, secluso tamen mortis imminentis periculo ; licere vero si sint filii barbarorum baptizatorum. Curandum tamen per missionarios ac per ipsosmet parentes ut, cum ad annos discretionis pervenerint, a se vel ab aliis instruantur, praesertim, si in illis regionibus non praevideatur in promptu suo tempore adfuturos ministros evangélicos, qui in hoc parentum commode supplere possint defectum.

S. C. 8. Officii 28 Septembris 1734. — Vic. Ap. Sutchuen. De adultis baptizandis.

1. An (Yic. Ap.) debeat desistere ab usu et institutione quatuor graduum cathecumenatus qui recensentur a Cardinalibus Bellarmino et Bona antiquitus in primitiva Ecclesia usitati antequam adultos baptizet.

2. Quatenus negative, num exorcismi et caeremoniae praescriptae in Baptismo adultorum in fine quando baptizandus est catechumenus debeant repeli, vel sufficiat eas semel et divisim administrare sine alia repetitione.

R. Sanctitas Sua decrevit quod praevia necessaria sufficienti instructione catechumenorum, pro tempore necessario et opportuno iuxta qualitatem et capacitatem personarum, omnes caeremoniae et exorcismi iuxta ordinem praescriptum a Rituali Romano serventur.

S. C. S. Officii 18 Novem. 1745. — Dubia quoad Baptisma conferendum.

1. An proles ex matre christiana et patre gentili, et viceversa, matre vel patre gentili invito aut inscio, licite a missionario baptizari possint. Contingit enim plerumque quod similes proles baptizatae adulescentiores factae patrem aut matrem infidelem sequantur et superstitiosa ac idololatrica quaecumque more gentilium exercendo, nec audire volunt pia monita partis fidelis, patris scilicet aut matris, etsi saepius iterata.

2. An, patre vel matre gentili in baptismum consentiente, proles a patre vel matre christiana natae licite baptizari valeant. Accidit enim frequentissime quod tempore baptismi pater vel mater gentilis consentiat, et postea videndo proles adolescere, eas ad superstitiosa agenda inducat ac ita, universaliter loquendo, ex centum similibus prolibus adolescentibus factis, si pater aut mater infidelis remaneat, vix decem religionem sanctam sequantur.

Ad 1. Prolem ex matre christiana et patre gentili et viceversa, patre vel matre gentili invito aut inscio, regulariter loquendo licite baptizari posse iuxta responsum Gregorii IX in cap. *Ex litteris, de conversione infidelium* et communem doctorum sententiam, sed cum plerumque, uti exponitur, contingat proles, uti supra, baptizatas patrem aut matrem infidelem sequi, servandam esse constitutionem Sanctissimi D. N. quae incipit *Inter omnigenas* editam die 2 Februarii anno 1744 pro clero et populo regni Serviae in qua haec habentur : « Istarum vero filios quos parochi baptizandos exhibent ubi eorum vitae periculum imminere videatur, sacro lavacro abluere praedicti parochi minime dubitent, admonitis matribus, ut, si convaluerint, ipsos in christiana religione educare sedulo curent. De iis vero qui validam ac vivacem corporis constitutionem praeseferunt et nullo superstitiose fine, sed unico salutis obtinendae voto ad baptismum a supradictis matribus offerantur, quoniam impossibile est singulas rerum circumstantias expendere quae suadere possunt vel eos in evangelico legis et fidei cultu perseveraturos, vel christiana educatione ab huiusmodi matribus fraudatus mahumetani patris impietatem secuturos esse, perpensis etiam infantilis aetatis periculis ob quae tertiam plerumque hominum partem ante completum decennium extingui ferunt, nihil expresse iubendum censemus, ecclesiaeque ministros dumtaxat hortamur, ut invocato cum gemitibus lumine Spiritus Sancti iuxta illius ductum et prudentiae suae dictamina se gerant. Quod si eos ad baptismum admitti posse credi-

derint, ne omittant matribus inculcare districtam obligationem, qua tenentur huiusmodi Ecclesiae filiis si ad rationis usum pervenerint notam facere veritatem Dei, eosdemque in disciplina et correctione Domini educare ».

Ad 2. Licite baptizari posse prolem a patre vel matre christiana natam, si pater vel mater gentiles in baptismum consentiant. Sed quia, uti in casu exponitur, frequenter contingit quod gentilis, qui consensit in baptismum, prolem deinde inducat ad superstitiosa, servandam esse et prae oculis habendam Constitutionem, de qua in responsione ad primum.

S. C S. Officii 21 Ian. 1767. — De baptismo domi administrando.

Circa baptismum infantium, quem pro filiis suis aliquando petunt haeretici, iam definitum est eos non esse domi baptizandos sine necessitate: haec adhuc difficultas remanet an sola voluntas parentum pro necessitate haberi debeat: sunt etenim hac haeresi imbuti, Baptisma non esse simpliciter necessarium ad salutem animae, maluntque filios suos exponere periculo moriendi sine Baptismo, quam consentire ut deferantur in templum catholicorum. Quaeritur a Religiosis Lusit?nis, an, praeter mortis periculum, non possit accipi pro vera necessitate obstinata voluntas non permittendi, ut filii sui in ecclesiam deferantur. Satius esse duxi expectare responsum S. Congregationis vestrae, quam aliquid praecipitanter definire sine spe votum assequendi.

R. In C. Generali Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Quirinali coram SSmo Domino Nostro Clemente PP. XIII, et coram Emis et Rmis Dñis S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus, a S. Sede Apostolica specialiter deputatis, relatis dubiis a Vicario Apostolico Siami propositis Sacrae Congregationi de Propaganda Fide, et ab eadem ad S. Officium remissis, Sinus Dnus Noster Clemens PP. XIII, auditis EE. DD. Cardinalium Generalium Inquisiturum suffragiis, decrevit quod detur super utroque dubio Instructio hic adnexa signata littera A, ab eadem Sanctitate Sua benigne probata.

A. INSTRUCTIO.

Dubium de administratione baptismi parvulis recens natis ex haereticis progenitoribus falso niti principio scilicet quod eos domi tantum baptizare non liceat extra mortis periculum, bene vero in ecclesia, si

ad eam pro Baptismi susceptione deferantur. Quoniam vero ex hac falsa persuasione periculum imminet graviter delinquendi nedum adversus ecclesiasticam, sed etiam divinam legem, qua subiectum praescribitur, cui non licet administrare Baptismum ; idcirco praesentem instructionem exarari iussit (Sinus) praefato R. P. D. Vicario Apostolico transmittendam, quatenus, eadem missionariis istinc degentibus communicata, singuli veram causam addiscant, propter quam pluries ab Apostolica Sede definitum est, non licere filiis ex haereticis parentibus natis Baptismi sacramentum extra periculum mortis administrare, atque in posterum caveant a sollicitandis parentibus haereticis, ut filios suos ad Ecclesiam baptismo initiandos deferant.

Prohibet quidem Ecclesia, *Clementina unica de Baptismo,* ne, articulo necessitatis excepto, *propter quam nequeat ad ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi,* domi baptizentur infantes, nisi sint magnorum principum filii; verum hac lege, qua locus indicitur administrandi Baptismum, nihil statuitur de filiis ex haereticis parentibus natis, quod aliunde constat neque domi, neque in ecclesia, si bene valeant, posse a catholicis baptizari, scilicet cum divino ac naturali praecepto interdictum sit *sancta dare canibus et proiicere margaritas ante porcos;* atque inter catholicae religionis mysteria maxime sancta sint ac utilia sacramenta, per quae merita passionis D. N. Iesu Christi communicantur, et omnis vera iustitia in nobis vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur, non licet ista dare canibus, idest profanis, qui cum primum per aetatem poterunt, ea comtempturi sint suoque vitio corrupturi. Atqui nemo non videt filios ex haereticis parentibus genitos, qui suorum genitorum curae ac educationi permittendi sunt, cum primum ad discretionis aetatem pervenerint, in quo suorum actuum compotes esse possint, paternis erroribus fore imbuendos; et Fidem catholicam, quam per sponsores in Baptismo profiteri debent, sacrilege eiuraturos ad maiorem sui condemnationem, et catholicae Ecclesiae in qua regenerati sunt, graviorem contemptum. Hac itaque de causa non licet eos in infantili aetate extra mortis periculum baptizare, et ministri catholici contra fidelis dispensatoris officium peccant, qui eosdem ad suscipiendum Baptismum admittunt. Nullatenus ergo moveantur missionarii ad procurandum praedictis filiis Baptisma, quamvis futurum sit, ut hoc Sacramento perpetuo careant errore parentum, quo illud minime necessarium arbitrantur ad aeternam salutem consequendam. Equidem nec illis prodesse potest Baptismus apostatis a catholica fide, usu rationis accepto, mox futuris, nec sanctitas Sacramenti patitur, ut cum manifesto profanationis periculo eisdem conferatur. In-

stante vero mortis periculo, aut quolibet valetudinis vitio infecti praedicti parvuli quo prudenter decessuri credantur antequam annos discretionis attingant, non modo licet, sed sollicite curare debent missionarii, ut Sacramento Baptismi tempestive regenerentur, non solum in ecclesia sed eliam domi, si parentes obfirmata voluntate nolint eos ad ecclesiam deferri; tunc enim cessat proximum perversionis periculum, atque aeternae saluti infantis necessario remedio, citra culpam, imo etiam cum merito ministri, prospicitur. Quotiescumque tamen in domibus haereticorum Baptismum eorum infantibus, ut supra periclitantibus, administrare contingat, solemnitates omittant, quae ad Sacramenti substantiam non pertinent; nam ecclesiastica regula cautum est, ne coram haereticis in eorum domibus adhibeantur.

S. C. S. Officii 8 Martii 1770. — Mission. Loangi et Kacongi (Africae) Dubia quoad adultorum et mentecaptorum baptisma.

1. Se in qualunque Regno, o la Religione vi si eserciti liberamente, o no, si possono battezzare gli adulti, che essendo in pericolo di morte non hanno tempo di essere istruiti, sebbene ne abbiano buona volontà, e possano solamente rispondere con un *sì* ad ognuno degli articoli di Fede, che vien loro proposto da credere come assolulamente necessario per esser battezzati, ovvero possono soltanto fare de'segni i quali indicano che credono quanto loro si dice, e che oltre la Fede hanno un gran dolore di aver offeso Iddio e un gran desiderio del Battesimo.

2. Se si può amministrare il Battesimo ai vecchi, che non sono moribondi, nè malati, quando lo desiderano, sebbene non possano ritenere a memoria le cose necessarie a sapersi ma che per altro

1. An quocumque regno, quo religionis exercitium sit aut non sit liberum, adulti baptizari possint, qui in periculo mortis constituti, tempus non sufficit ad eorumdem instructionem, etsi bonam nutriant voluntatem, et respondere tantum valeant *utique* unicuique ex fidei articulis, qui credendi eisdem proponuntur veluti absolute necessarii, ut quis baptizari possit; sive edere tantum valent signa quibus innuunt sese credere quidquid sibi dicitur; et qui, praeter fidem, magno atteruntur dolore ob offensas Deo illatas, flagranturque desiderio baptismi.

2. An baptisma administrari possit Senibus, qui neque moribundi sunt, neque morbo affecti, quando hoc desiderant, etsi memoria retinere non valeant scitu necessaria ; quae vero, quum intelle-

dopo averle intese assicurano che le credono, e le confessano come quelli che inutilmente si sforzano di loro farle imparare.

3. Se i mentecatti di nascita, o divenuti tali avanti l'uso di ragione possano essere battezzati, sebbene materialmente essi vadano ora alle chiese dei cattolici, ora ai tempi ed idoli e facciano esteriormente tutte le cérémonie dell'idolatria come fanno quelle della Religione Cristiana.

xerint, credere autumant eaque profitentur ceu creduntur ab illis, qui frustra docere conantur.

3. An mentecapti a nativitate, aut qui tales facti sunt, assecuto rationis usu, baptizari valeant, quamvis materialiter, nunc Ecclesiam catholicorum, nunc templa idolorum petant, et externe impleant idololatriae ceraemonias, ceu implent religionis christianae ritus.

SSmus auditis etc. decrevit: Affirmative in omnibus, et praeterea iussit ut quoad primum et secundum dubium moneantur missionarii ut caveant ne baptismus ab infirmis petatur potius ex superstitiosa concepta spe obtinendi per salutare lavacrum salutem corporis, quam spiritualem animae regenerationem. Pariter animadvertant, quod si adulti, de quibus quaeritur, a mortali infirmitate, post susceptum Baptismum convalescas, tenentur missionarii pro virili parte in Fidei rudimentis imperitos instruere, et si senes tardiores memoria fuerint, iteratis instructionibus eorum succurrant imbecillitati. Quoad 3. dubium addidit, a missionariis curandum esse quantum fieri poterit, ne dementes de quibus in eodem dubio, ingrediantur templa idolorum, et ab idolatrarum coeremoniis se abstineant.

Instr. S. C. S. Officii 28 Martii 1860 (pro Vic. Ap. ad Gallas). De Baptismo adultorum.

Cum Apostolis ita Evangelium praedicandum erit: *Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum.* Pro adultis itaque (baptizandis) necessaria est poenitentia non quidem sacramentaliter sumpta, sed virtualiter, quatenus a statu peccati omnino recedere debeat suscepturus Baptismum, ut gratiam consequatur. Si enim baptizari vellet quis cum voluntate persistendi in peccato, non est ei Sacramentum Baptismi conferendum, ut docet S. Thomas (3. p. q. 68 a. 4), primo quidem quia per Baptismum homines Christo incorporantur, secundum illud (Galat. 3): «quicumque in Christo baptizati estis Christum induistis ». Quamdiu autem aliquis habet voluntatem peccandi non potest

esse Christo coniunctus, secundum illud (2 Cor. 6) : « quae participatio iustitiae cum iniquitate?» Unde Augustinus dicit (lib. de poenit.) quod nullus suae voluntatis arbiter constitutus potest novam vitam inchoare nisi eum vitae veteris poeniteat. Ergo sive polygamus sive concubinae omnino a statu fornicationis recedere debent, si velint digne disponi ad baptismum, et quoad hoc fides catholica flecti nescia nemini blanditur ; nec unquam lucem cum tenebris, Christumque cum Belial coniungi sinat.

S. C. S. Officii 23 Martii 1656. — Miss. Sin.
De baptismo administrando feminis relinquendo aliqua sacramentalia.

Utrum omnia Sacramentalia in Baptismate feminarum adultarum adhibenda sint? Ratio dubitandi est incredibilis apud Sinas feminarum modestia, zelus, et laudabilis earum ab omni virorum, non solum congressu sed et aspectu, fuga: qua in re, nisi magna adhibeatur a missionariis cautela, scandalum ingens Sinis datur, totaque Christianitas evidentissimo periculo posset exponi.

R. Ex gravi necessitate proportionata, posse omitti quaedam Sacramentalia in Baptismate feminarum.

S. C. S. Officii 27 Maii 1671. — Quid de baptismo, in quo dubitatur an aqua aliquod membrum infantis tetigerit.

Ministri haeretici, prolem fasciis suis involutam baptizaturi, aquam a suggestu ita communiter effundunt, ut fascias, raro autem ullum infantis membrum contingat: quo casu Baptismus est nullus. Quaeritur proinde, an non monendi sint catholici ministri ut sub conditione semper rebaptizent ab haereticis baptizatos.

R. Si sit certum quod quis sic fuerit baptizatus ut aqua nullo modo partem corporis principalem, sed vestes tantum tetigerit, is est absolute baptizandus; si vero sit dubium probabile quod tetigerit, est sub conditione iterum baptizandus.

S. C. S. Officii 25 Iunii 1866 — Vic. Ap. ad Gallas,
De baptismo administrando puellis....

1. Utrum propter periculum ne filia tradatur in matrimonium viro musulmano vel ethnico, vel simplici polygamo christiano, possit sine imprudentiae nota administrari baptismus puellis, sive infantibus, sive adultis, quando ceteroquin necessarias habeant dispositiones ad eum suscipiendum, antequam determinetur vir, cui tradentur in matrimonium; an expectandum sit donec stabilitum fuerit matrimonium.

2. An, propter periculum ne servi heris musulmanis vel ethnicis cum fidei discrimine vendantur, possit illi conferri baptismus in infantia aut etiam in aetate adulta, quamdiu eiusmodi periculum perseverat, eorumque dominus non iurat contrarium.

R. Ad 1. quod attinet distinguendum est inter puellas infantes et puellas adultas. Illae, ubi nihil aliud obstet praeter futurarum nuptiarum periculum, admitti tutissime possunt ac debent ad baptismum, non enim aequum est ut pro incerto multumque adhuc remoto eventu a certo consequendae baptismatis gratiae beneficio repellantur. Puellae vero adultae, vel nondum nubiles sunt, vel iam quidem nubiles, sed nondum in matrimonium promissae, vel iam desponsatae viris infidelibus aut polygamis. In primo et in altero casu non est cur denegetur aut differatur baptismus , modo puellae supradictae necessarias habeant dispositiones, quandoquidem periculum ineundi irritas cum infidelibus nuptias, in iisdem postea violenter permanendi, certo proximeque non imminet, et potest aliunde pluribus modis amoveri. At in tertio casu nullatenus expedit eas ante matrimonium baptizare, tum propter difficultatem non minimam legitimae dispensationis obtinendae , tum ob gravissimum periculum ne transeant ad nuptias, etiam non dato dispensationi loco, quae certe indulgen nequit super impedimentis iuris naturalis; satius igitur erit baptismum diffère quam proximae profanationi exponere. Si qua autem ob peculiares circumstantias gravesque causas baptizanda iudicetur, omnino requiritur talis eius animi dispositio, ut, si dispensari nequeat, potius mori velit, quam sacrilegum irritumque matrimonium contrahere.

Ad 2. Dubium quod attinet, maiorem continet difficultatem circa infantes quam circa adultos. Nam praevisum perversionis periculum eatenus baptismus ne conferatur impedit, quatenus per opportunas instructiones removeri nullo modo potest. Quo constituto principio sequitur servos utriusque sexus adultos, qui rite dispositi sunt, et christiana in-

structione praemuniri queunt, baptizandos esse, etiamsi eorum dominus promittere neget se nunquam id commissurum ut eos infidelibus divendat. De servis adhuc infantibus considerare oportet num ipsi obnoxii sint periculo transeundi in potestatem infidelium post adeptam adulescentiam, vel ante superatam infantiae aetatem. In priori hypothesi, quoties nihil aliud eorum baptismo obstet praeter supradictum periculum, et spes aliqua effulgeat christianae eorum educationis, sacro lavacro licite abluuntur ; quod item licite eis administratur in posteriori hypotesi, si vel ex parentibus christianis offerantur, vel moti proximi reperiantur. Ceteris vero in casibus consulant missionarii et fideliter observent sapientissimas praeceptiones quas s. m. Benedictus XIV. tradit super hoc argumento in sua ad Archiepiscopum Tarsensem epistola.

S. C. S. Officii 17 Novembris 1830. — Utrum baptisma dubium, constituat impedimentum dirimens cultus disparitatis.

An degentes in iis protestantium locis, ubi Baptisma dubium est, tamquam infideles habendi sint, ita ut inter catholicos et eos disparitatis cultus impedimentum dirimens adesse censeatur?

R. 1. Quoad haereticos quorum sectae Ritualia praescribunt collationem Baptismi absque necessario usu materiae et formae essentialis, debet examinari casus particularis. — 2. Quoad alios qui iuxta eorum Rituale baptizant valide, validum censendum est Baptisma. Quod si dubium persistat etiam in primo casu, censendum est validum Baptisma in ordine ad validitatem matrimonii. — 3. Si autem certo cognoscatur nullum Baptisma ex consuetudine actuali illius sectae, nullum est matrimonium.

S. C. S. Officii 6 Aprilis 1859 Ep. Harlemen. — De baptizatis ab haereticis.

1. An baptizati ab haereticis promiscue sint sub conditione baptizandi. 2. An saltem illi, quos non constat in particulari valide baptizatos fuisse.

R. Ad i. et 2. Detur responsum latum a S. C. Concilii sub die 27 Martii 1683, nempe *non esse rebaptizandos, nisi adsit dubium probabile de invaliditate baptismi.*

Ex Instr. S. C. S. Officii 20 Iunii 1866 (pro Vic. Ap. ad Gallas)
De baptismo administrando iis qui ex Abissinia veniunt.

Refert Vicarius Apostolicus se die 11 Martii anno 1861 decretum, provisorio modo, Iulisse ut nimirum omnes ex Abissinia provenientes, qui se dicunt christianos, non exclusis sacerdotibus etiam catholico ritu ordinatis, sed non baptizatis sub conditione, rebaptizandi sub conditione sint. Huius decreti varias adducit causas, quae exprimuntur, partim in ipso decreti prologo, partim in supplici libello quo sacerdos quidam abissinus Michael Haylu petiit a Vicario Apostolico iterum sub conditione baptizari, confirmari et Sacris Ordinibus initiari. Quem sicut et alium sacerdotem de valore sui baptismatis in Abissinia suscepti pariter ambigentem voti compotem effecit Vicarius Apostolicus. Quoad laicos autem, qui baptizati fuerunt in Abissinia a presbyteris schismaticis, vult quidem Vicarius Apostolicus eos indiscriminatim omnes sub conditione baptizari, sed nondum iussit ut iisdem sub conditione administretur etiam Confirmatio utpote Sacramentum non absolute necessarium. Quapropter quaerit :

An non tantum sacerdotibus, verum etiam laicis ex Abissinia in regionem Gallarum provenientibus, et illic apud schismaticos baptizatis debeat iterum sub conditione, praeter Baptismum, administrari quoque Confirmatio.

R. Decretum de rebaptizandis sub conditione omnibus indiscriminatim, qui fuere apud schismaticos in Abissinia baptizati, Emi. Patres minime probaverunt. Nemo enim ignorat validum esse baptismum ab haeretico vel schismatico ministro collatum, si nihil eorum, quae ab Ecclesia Romana praescribuntur circa materiam, formam atque intentionem fuerit omissum, nec baptismum huiusmodi posse, licet sub conditione, absque gravi piaculo et irregularitatis poena renovari, nisi eo tantum eventu, quo dubium adsit probabile invaliditatis baptismi. Non igitur quaecumque levis in contrarium suspicio vel scrupulus sufficit ad hoc ut sub conditione quis iterum baptizetur, sed omnino requiritur probabilis dubitatio, quae, facta etiam diligenti indagine, discuti nullo modo possit. Iamvero rationes quibus permotum se esse dicit Vicarius Apostolicus, ad ferendum decretum de conditionata baptismi iteratione, non sunt profecto eiusmodi, ut parere queant probabilem dubitationem de validitate omnium universim baptismorum qui in Abissinia a presbyteris schismaticis administrantur; praesertim cum libri rituales Abissinorum, quod ad Baptismum attinet, reprehensione careant, et nonnulli fide digni

missionarii ad hanc S. G. retulerint, se Baptismo a schismaticis abissinis collato non semel interfuisse, nullusque in eo deprehendisse substantiales defectus, tametsi haudquaquam negarent, in aliquibus fortasse abissinis provinciis locum habere posse talem baptizandi praxim, quae merito ac rationabiliter incertam reddat collati Baptismi validitatem. Revocato igitur suo decreto stet (Vicarius Ap.) instructioni ab hac Suprema Congregatione ad Apostolicum Abissiniae Vicarium datae die 2 Maii anno 1858 : qua ex instructione videbit attendendus esse casus particulares et si quando Baptismum conditionata forma repeti oporteat ob prudens dubium de prioris Baptismi validitate, iterandam pariter esse sub conditione Confirmationem tam clericis quam laicis : licet enim hoc sacramentum non sit absolute necessarium necessitate medii, tamen ut docet Sanctus Thomas omnino periculosum esset, si ab hac vita sine Confirmatione migrare contingeret, non quia damnaretur, nisi forte propter contemptum, sed quia detrimentum perfectionis pateretur.

S. C. S. Officii 9 Sept. 1868 (Vic. Ap. laponiae)
Quid de matrimonio eorum qui dubie baptizati sunt.

1. Utrum iu casu dubii de valore Baptismi, qui ita Baptismum susceperunt laponenses, ut christiani vel infideles adhuc considerandi sunt? — 2. Utrum, si dubium de valore Baptismi remaneat, et non visum sit opportunum solvere dubium, de his qui sic dubie baptizati sint, in rebus quae ad Matrimonium spectant, ut si vere et valide baptizati fuissent iudicandum sit, vel non?

R. Ad 1. Generatim loquendo, ut christiani habendi sunt ii de quibus dubitatur an valide baptizati fuerint. — Ad 2. Censendum est validum Baptisma in ordine ad validitatem Matrimonii.

S. C. S. Officii 20 Novembr. 1878. — De baptismo conferendo haereticis ad quamcumque sectam pertineant.

Utrum conferri debeat Baptismus sub conditione haereticis qui ad catholicam fidem convertuntur e quocumque loco proveniant et ad quamcumque sectam pertineant.

R. Negative : sed in conversione haereticorum, a quocumque loco vel a quacunque secta venerint, inquirendum est de validitate baptismi in haeresi suscepti. Instituto igitur in singulis casibus examine, si com-

pertum fuerit, aut nullum, aut nulliter collatum fuisse, baptizandi erunt absolute : Si autem pro tempore et locorum ratione, investigatione peracta, nihil sive pro validitate, sive pro invaliditate detegatur, aut adhuc probabile dubium de baptismi validitate supersit, tunc sub conditione secreto baptizentur. Demum si constiterit validum fuisse, recipiendi erunt tantummodo ad abiurationem seu professionem fidei.

S. C. S. Officii I Augusti 1883. Ep. Savannensis. — Dubia de baptismo quoad matrimonium.

Inter ceteros difficilis solutionis casus, qui in his Foederatorum Americae Septentr. Statuum ecclesiasticis provinciis, ac in hac quoque mea dioecesi occurrunt, reperitur etiam sequens : frequenter contingit, ut duo acatholici inter se contraxerint matrimonium et ignoretur utrum sive uterque sive alteruter fuerit baptizatus. Eiusmodi matrimoniis inter duos acatholicos, aut sine dispensatione inter catholicum unum et acatholicum alterum, initis, in nulla ex dioecesibus nostris obstat impedimentum clandestinitatis. Contracto ita matrimonio, haud raro evenit, ut compars compartem deserat. Post aliquod tempus partes ita separatae non infrequenter ad alias nuptias convolant superstite altera parte. Scio equidem casu quo, spectata qualitate probationum pro et contra, dubitetur num vel alteri vel utrique parti collatum fuerit baptisma, standum esse pro valore matrimonii cum tali dubio ac sine dispensatione contracti usque dum non constet illud fuisse invalidum ; verum deficientibus ceteris pro utraque dubii parte probationibus, quaero :

I. Num in ordine ad matrimonii contracti validitatem vel nullitatem, collatio vel non collatio baptismi, dum ignoratur, ex principio praesumptionis definienda sit. In dubiis id affirmat doctissimus bo : me : Archiep. Patr. Kenrick; in theologia enim sua morali (tract. XXI. n. 40) haec habet « Si de consortis baptismo non constet, nec certum haberi » queat testimonium, in eam propendere oportet sententiam de bapti- » smi et matrimonii valore, cui favent indicia et adiuncta. » Quod si recte ita sentit laudatus Kenrick, quaero ulterius :

II. Utrum dum baptismi collatio ignoratur, principium praesumptionis in ordine ad valorem matrimonii contracti, rite applicetur in articulis sequentibus :

1. Si pars vel partes acatholicae parentes habuerint ad sectam pertinentes quae baptismum respuit, hic non est praesumendus.

2. Idem resolvendum, si parentes habuerint pertinentes ad sectam quae infantium Baptismum non admittit, seu in qua non confertur nisi

adultis v. g. annum aetatis trigesimum iam adeptis, quemadmodum res se habet in secta Baptistarum.

3. Idem pariter resolvendum, si parentes habuerint qui dum iii vivis essent, professi sint se nolle ad ullam sectam pertinere, seque Eris supremum honestis potius, ut aiunt, moribus quam speciali aliquo cultu honorare.

4. Si parentes habuerint pertinentes ad sectam quae eumdem ut necessarium habet, vel in qua saltem ordinarie administratur, et iidem parentes in secta sua zelosi fuerint, praesumendus est Baptismus. At quid si parentes in secta socordes fuerint, aut ad sectam pertinuerint, quae baptismum quidem non respuit, sed eum non habet ut necessarium, et in qua ordinarie non administratur? an in utroque aut alterutro casu praesumendus baptismus vel non?

5. Si iuxta unius tantum parentis sectam et animi ut supra zelosam dispositionem praesumptio faveat baptismo, et in educatione prolis de facto et indubie primas habuerit partes, praesumendus est baptismus.

Idem résolve, si facta inquisitione, ignoretur aut non satis constet utrum primas habuerit partes; baptismus enim in ordine ad matrimonium praesumendus est, cum coniugium semel initum censendum sit validum quamdiu obex se prodat. Sed quid si certo constet, illius qui de facto et indubie primas in educatione habuit partes sectam et animi dispositionem non favere baptismo, dum alterius secta et animi dispositio eidem favet?

6. Casu quo nulla pro baptismo militat praesumptio, applicanda est regula : factum non praesumitur, sed probandum est. Huius regulae applicatio in his Foederatis Statibus ubi inter acatholicos plurimi sunt, qui de baptismo infantibus suis conferendo nihil aut parum curant, potiori forte iure locum habere debet, quam in multis aliis regionibus.

Quaestiones praefatae ideo praecipue proponuntur, ut ex earum solutione norma habeatur, iuxta quam tuto procedi possit in his praesertim casibus. 1. Dum ex duabus partibus acatholicis ab invicem irt supra separatis, altera in gremium Ecclesiae recipi postulat, et ad alias nuptias convolavit aut convolare cupit. 2. Dum pars catholica ab acatholica ut supra separata, cum alia coniungi postulat, aut cum alia iam iuncta, ad Sacramenta admitti exoptat.

R. Ad I. Affirmative, peracta tamen investigatione in singulis casibus.

Ad II. (nempe : « Utrum, dum baptismi collatio ignoratur, principium praesumptionis in ordine ad valorem matrimonii contracti rite applicetur in articulis sequentibus : ») Affirmative quoad *primum, securi-*

dum et *tertium* articulum, et quoad primam partem *quarti* et primam partem *quinti* numeri, at in hoc postremo articulo, post verba *habuerit partes* addatur : - *neque alter coniux cognoscatur positive contrarius collationi baptismi, praesumendus est baptismus.* In reliquis casibus qui adnotantur in secunda parte numeri *quinti* recurrendum est ad S. Sedem expositis omnibus rerum, locorum et personarum adiunctis, aliisque ad rem facientibus. Ad *sextum.* Provisum in praecedentibus.

S. C. Rit. 19 Maii 1881. — Dubium quoad oleum consecrandum.

Quoties deficiat prorsus s. Oleum, tum Chrismatis, tum cathecumenorum, vel pars quae remanet tam exigua sit, ut non sinat aliud oleum non consecratum in vase olei consecrati infundi, et attentis peculiaribus facultatibus Episcopis in locis Missionum a S. Sede tributis, peragendi scilicet alia die per annum consecrationem Sanctorum Oleorum, quaeritur :

1. Quinam ritus observandi sint in eiusmodi consecratione.

2. Quaenam Missa celebranda sit in casu.

3. Debentne Olea consecrari iuxta rubricas in Missa Feriae Y in Coena Domini praescriptas.

R. Ad 1. et 3. Servandum Pontificale Romanum.

Ad 2. Missam celebrandam de festo occurrente.

S. C- Rit. 23 Septemb. 1837 — Oriolen. Dubia de Baptismi collatione.

Perdurantibus belli civilis calamitatibus in Regno Hispaniarum, accidit ut Rmus Oriolen. Episcopus, superiori anno 1836, Olea sacra feria V in Coena Domini consecrare nequiverit, pro solemni benedictione Fontium baptismalium parochialibus in ecclesiis peragenda insequente Sabbato Sancto, neque eadem Olea a vicinioribus Episcopis parochi habere potuerint, siquidem ob communia incommoda pene omnes Episcopales Sedes proprio sunt viduatae pastore, ita ut, communicationibus interceptis grex a pastore, filii a parente, Ecclesia ab Episcopis, non sine magno animarum salutis detrimento, separentur. Huiusmodi in angustiis constituti, parochi praebendati Oriolen. dioecesis diversas inter se protulere sententias ; et, nonnullis negantibus, bene multi opinabantur, benedictionem solemnem Fontium baptismalium perfici posse, adhibitis Oleis, superiori anno consecratis. In qua opinionum et senten-

tiaram varietate, id sumpsere consilii ut S. hanc R. C. requirerent ut certam sequerentur regulam in re tanti momenti ac propterea insequentia dubia enodanda humillime proposuerunt, nimirum :

1. An talis benedictio (Fontis baptismalis in Sabbato Sancto) fieri debeat cum Chrismate et Oleo praecedentis anni ; an potius omittenda sit infusio Chrismatis et Olei, usquedum accipiantur recenter consecrata ?

2. An, in Baptismo solemni infantium, utendum sit huiusmodi aqua, benedicta quidem cum reliquis caeremoniis Missalis, sed absque consecratione, seu mixtione sacrorum Chrismatis et Olei ; an vero aqua consecrata praecedenti anno, quae ad hunc finem conservetur?

3. An, supposito quod aqua baptismalis benedicta sit cum veteribus Oleis, eo quod recenter consecrata non habeantur, infundi debeat in piscinam simul ac nova recipiantur Olea et iterum cum his alia benedicenda sit aqua iuxta caeremonias Ritualis Romani ; au vero illa conservari et uti debeat, usque ad benedictionem in Vigilia Pentecostes, prout in Missali?

4. An in Baptismo solemni ungendi sint infantes Oleo et Chrismate praecedentis anni, dum recenter consecrata non habentur ; an vero omittenda sit haec caeremonia, et postea supplenda, quum novum Oleum et novum Chrisma recipiantur?

R, Ad 1. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

Ad 2. Negative ad utrumque, sed fieri debet nova Fontis benedictio cum Oleis anni praecedentis ; seu provisum in prima parte superioris dubii.

Ad 3. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

Ad 4. Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.

S. C. de Prop. Fide - C. P. Pro Sin. 6 Aug. 1840.
De oleo vetusto miscendo....

Utrum liceat miscere oleum consecratum vetustum cum oleo consecrando, vel melius esset consecrare oleum, et postea misceri cum oleo vetusto iam consecrato.

R. Ex Rubrica neutrum licet ; oleum vetustum semper comburendum.

S. C. de Prop. Fide 8 Sept. 1869 — (ad Vic. Ap. Ind.).
Decreta quoad aquam baptismalem.

Decreta quae sequuntur quoad aquam baptismalem, a Pondicheriensi Synodo secunda edita, ad omnes Vicariatus indiarum orientalium extendi placuit.

1. *Aquam consecratam, aliquo decenti loco et vase, conservabit missionarius in ecclesia, ubi ordinarie degit, et in collatione S. Baptismatis adhibebit ; idem faciet in ecclesiis, in quibus per notabilem anni partem commoratur.*

2. *Occurrente casu necessitatis utetur facultate aquam foecundatam conficiendi extra Sabbatum Sanctum et Vigiliam Pentecostes.*

3. *In locis quae Sacramenta administrandi causa inviset, utetur aqua consecrata quando illam in itineribus secum facile ferre poterit.* — Praeterea voluerunt EE. PP. omnibus Vicariis Apostolicis communicari Decretum datum Vicario Ap. Tunkinensi, die 10 Februarii 1806. « omnino tenentur missionarii in conferendo Baptismo omnia agere ad praescriptum Ritualis Rom. vel in ea etiam parte quae respicit sacramentalia et usum aquae ad id in baptismali fonte asservatae. At ubi aquam praescripto ritu benedictam asservare gravis sit incommodi aut periculi, licebit in eo casu missionariis, vel cuilibet alii qui ad hoc Sacramentum conferendum pro temporum opportunitate aptus erit, uti aqua communi, praesertim si benedicta fuerit, pro aqua fontis baptismatis, qua nonnisi gravi cum incommodo aut periculo haberi possit ».

S. C. de Prop. Fide 16 Augusti 1737. — Ceylan. Dubia quoad Baptisma conferendum filiis catholicorum qui nascuntur sub dominio haereticorum.

1. An possint indifferenter baptizari omnes filii catholicorum, qui ibi sub dominio* haereticorum nascuntur, etiamsi certo sciant ipsos pueros, si vivant, a parentibus fidelibus esse deferendos, ut à ministro haeretico baptizentur, quia metu persecutionis negaturi sunt filios suos esse a catholicis baptizatos.

2. An possint permittere, vel expresse non prohibere parentibus talem agendi rationem, quam bona fide existimant licitam.

R. Ad 1. Affirmative, et moneantur missionarii quod docere debent fideles ut sciant se administrasse Sacramentum Baptismi.

Ad 2. Negative, et quod missionarii teneantur monere suos subditos de illicita cooperatione ad iterationem Baptismi.

S. C de Prop. Fide. — C. P. pro Sin. 3 Ian. 1777.
Dubia de baptismo administrando puellis in matrimonium promissis gentilibus.

1. Multi sunt inter christianos, praesertim novos, qui tempore gentilitatis promiserunt in matrimonium filias suas gentilibus: maxima autem difficultas est rescindendi huiusmodi contractum, neque ulla via ad id possunt cogi infideles, qui ad Praefectos appellant, quando puella ipsis denegatur, et causam semper obtinent consequenter ad leges Imperii. Quaeritur num istae puellae ante adultam aetatem licite possint baptizari, saltem quando harum pater vel mater, vel uterque, fidem amplectuntur, ab iisque usque ad matrimonii tempus possunt christiane educari. Ratio dubitandi nobis est, ex una parte quod si baptizentur, et postea cogantur gentilem ducere, forsan, deficientibus conditionibus requisitis, non erit locus dispensationi, et tunc matrimonium nullum erit, aut gravissimas molestias a Praefectis sustinebunt, qui habent ius per vim illas maritis tradendi, quando puellae matrimonium recusant. Ex altera parte, forsan ante matrimonii tempus resiliet a sponsalibus futurus maritus, vel ipse morietur, vel ipsa puella, vel fiet christianus, vel saltem locum dabit conditionibus quas exigit S. C. ad dispensandum. Nihil nunc probabiliter determinari potest, quia futuri sponsi adhuc in infantili aetate constituuntur.

2. Utrum mulier infidelis viro infideli coniugio copulata, de qua spes probabilis affulget quod sub iugo viri sui christiane victura sit, nulla tamen spes affulget quod proles ex ea suscepta in christiana fide libere educetur propter viri infidelis oppositionem, (separatio autem obtineri non possit absque gravibus damnis) ad Sacramentum Baptismi admitti possit absque eo quod praecedat divortium saltem quoad thorum.

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Attentis circumstantiis posse, dummodo promittat se fore curaturam omnibus modis educationem prolis in religione christiana.

LITTERAE Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Episcopum aurelianensem, quibus fovetur ad currendam incoeptam viam, posthabitis obstaculis.

Vos lettres en date du 25 octobre ont admirablement répondu à Notre attente et comblé Nos désirs, en Nous montrant tout ce que vous avez fait, dans ces derniers temps, pour que votre clergé conformât sa conduite aux enseignements de Notre Encyclique et de Nos autres Lettres relatives à la condition présente des choses en France. Cet exposé, vous l'aviez pressenti, Nous a été d'une vive consolation; et Nous avons senti grandir l'espérance qu'une telle docilité serait dignement récompensée, un jour, par l'éternel Pasteur de l'Eglise, dont Nous tenons la place.

Mais, sur ce rayon de joie, un nuage de tristesse est venu se répandre (ah! puisse-t-il se dissiper bientôt!), quand vous Nous avez énuméré les obstacles soulevés, sans le moindre motif, pour empêcher Nos conseils affectueux et Nos constantes sollicitudes d'aboutir au résultat tant désiré : le salut et la prospérité du peuple français. Quelles profondes et croissantes angoisses pour Nous au spectacle des vexations et des blessures infligées presque chaque jour à l'Eglise de Dieu ! Comme si c' était trop peu des tribulations qui Nous assiègent ici, il Nous faut partager les douleurs qui, chez vous, affligent trop justement l'épiscopat, le clergé, le peuple dévoué à la religion de ses pères et résolu â tout prix d'y demeurer fidèle. En effet, les témoignages réitérés de Notre amour paternel envers vous, et Nos constants efforts pour faire régner dans votre pays la paix, en invitant à la concorde tous les hommes de coeur et de droiture, semblent avoir provoqué une recrudescence de colère, de la part d'une faction acharnée contre l'Eglise; qui, dans les affaires publiques, n'admet de droit que pour elle seule, et sacrifie à ses haines invétérées les intérêts suprêmes de la société. Plus de bornes dans ses menaces et ses violences; aucun égard à ce qui est juste et saint ; nulle crainte, chez ces hommes, de conduire aux abîmes leur propre patrie, cette patrie au passé si glorieux, que la providence du Très-Haut avait choisie pour marcher à la tête des peuples, l'étendard de la croix en main, afin de faire fleurir

partout la saine doctrine et les arts, dont les bienfaits distinguent le monde civilisé des peuplades barbares.

Sans nul doute, cet aveugle déchaînement de haine révèle une sorte de démence dont Nous pleurons. C'est à elle qu'il faut imputer ces vexations de toute sorte dirigées contre la religion catholique et ses ministres, contre le culte public dû à Dieu, contre les bases mêmes de la vie chrétienne (qui pourtant sont aussi la source et la sauvegarde de la véritable humanité). Et cela, sans qu'une raison sérieuse, sans qu'une apparence de justice ait.motivé de tels attentats: soit contre les choses sacrées, celles mêmes que les institutions publiques actuelles sont tenues de protéger; soit contre des citoyens à qui, pour le moins, on devrait garantir la jouissance des droits communs â tous les autres.

Néanmoins, au milieu de cette furieuse tempête qui menace de renverser l'œuvre salutaire entreprise par Nous de concert avec tous ceux en qui l'amour de la religion et de la patrie n'a pas sombré, il faut apporter le plus grand soin à ce que, parmi les Français fidèles, le courage et les forces ne viennent pas à manquer; de même que, pour ce qui Nous concerne personnellement, Nous Nous sentons en devoir de tenir sans cesse en éveil Notre sollicitude pour votre salut, sans que rien, au milieu de conjonctures si graves, puisse empêcher Notre constance de tenir ferme dans les résolutions prises.

Du reste, plus d'une raison se présente pour relever nos âmes plongées dans la tristesse, et raffermir nostre courage à la poursuite du bien commencé. Vous trouvez la première dans le témoignage de votre conscience, quand elle vous montre ce qu'il y a de beau à lutter pour le salut de la religion et de la patrie, précisément alors que les temps deviennent plus difficiles et les circonstances plus critiques.

Pendant que vous méditerez cette leçon, se présenteront naturellement à votre esprit les paroles par lesquelles le Prince des Apôtres consolait les fidèles : « *Si, en faisant le bien, vous rencontrez des épreuves à subir, c'est là ce qui vous rendra agréables à Dieu:* » et encore: « *C'est une grâce, si,pour demeurer fidèle à la, conscience, le serviteur de Dieu sent les poids de la tristesse, en se voyant en butte à d'injustes traitements.* » Ces pensées vous deviendront encore plus douces, dès que s'y ajoutera la confiance dans le secours divin, qui jamais ne fait

défaut quand on l'implore, et la perspective des fruits promis à votre constance, comme prix de si rudes travaux.

Ne l'oubliez pas non plus, tous les maux qui vous accablent ont pour origine la haine d'une société ténébreuse, irréconciliable ennemie de la foi catholique, qui n'exprime ni la pensée, ni les intentions véritables de votre magnanime nation. Non, jamais celle-ci, livrée à elle-même, n'approuverait cette guerre implacable, qui se plait dans la poursuite des innocents, renverse les notions les plus élémentaires de la liberté et de la justice, pervertit les moeurs du peuple, appelle sur lui le mépris des nations civilisées et l'isole de quiconque comprend encore comment l'ordre et le bonheur publics ont pour fondements le culte de la religion et le respect de l'autorité. Ces réflexions confirmeront en Nous la confiance que la tempête ne peut durer longtemps, surtout si Nous rappelons que, selon les divins oracles: *«Dieu ne laissera pas le juste ballotté à tout jamais ».*

Nous voulons que ces mêmes espérances vous soutiennent et vous réconfortent, vous et tous les evêques de France; et Nous vous exhortons à n'épargner aucun labeur pour que le clergé, dont vous êtes les chefs, seconde dans ce sens vos efforts. Qu'il ait soin de se tenir sans cesse en rapport avec les fidèles; qu'il leur prodigue, pour le corps et pour 1' âme^ tous les secours dont il dispose; et qu'il sache leur expliquer les enseignements émanés de Nous, dont voici la substance : « Détourner de la nation française deux affreux malheurs, le renversement de la religion et la décadence des moeurs. »

L'empressement de tous le chefs des diocèses de France à suivre cette direction ne peut faire pour Nous aucun doute, quand Nous Nous rappelons tous les gages antérieurs de leur bonne volonté à Notre égard; et Nous sommes convaincu, que pour vous en particulier, vous saurez être des plus empressés à marcher dans cette voie. C'est en Nous reposant dans cette confiance, vénérable frère, que Nous vous accordons très affectueusement, ainsi qu' à votre clergé et aux fidèles confiés à votre vigilance, Notre bénédiction apostolique.

Donné à Saint-Pierre de Rome, le XXXI octobre de l'an MDCCCXCII, de Notre Pontificat le quinzième.

LEON XIII, PAPE.

(Versio latina)

Literae tuae die xxv Octobris Nobis datae expectationi nostrae mirandum in modum responderunt, votisque nostris plene atque integre satisfecerunt, dum ea refers, quae postremis hisce temporibus peregisti, ut Clerus iuxta documenta in nostra Encyclica, et in ceteris uteris, quae praesentem in Gallia rerum conditionem spectant, a Nobis tradita, suae vitae rationes exigant. Huiusmodi factorum expositio, quod quidem tu iam sane praesentieras, magni Nobis solatii causa fuit, Nosque in Nobis ipsis spem maximopere augeri persentivimus, hanc animarum dualitatem condignam olim ab aeterno Ecclesiae Pastore, cuius Nos vices gerimus, remunerationem habituram.

At enimvero hanc laetitiae causam, quaedam tristitiae nubes obvolvit (quae utinam quam citissime evanescat!) cum Nobis obstacula sine ulla prorsus causa istic ab adversariis interposita recenseres, ut benevola consilia nostra, atque assidua studia praepediant, quominus adeo exoptatum effectum, qui est Gallicae gentis salus et prosperitas, consequantur. Heu ! quam acerbos, quamque quotidie excrescentes animi angores Nobis parit spectaculum istud, quo Dei Ecclesiam istic idemtidem vexationibus afflictam, ac vulneribus quodammodo sauciatam conspicimus !

Quasi vero parum sit, Nos hic moeroribus atque angustiis undique distineri, participes etiam fieri cogimur dolorum, qui iusto plus Episcopos, Cleros, populosque Patrum suorum Religioni devotos, ac certos quovis pretio in ea consistere, istic affligunt.

Profecto paterni erga vos amoris testimonia a Nobis etiam atque etiam exhibita, assidui conatus nostri, ut in vestra Patria pax alma regnaret, dum quotquot corde recto ac prudentia istic praediti sunt, ad concordiam invitant, in quibusdam e vobis, qui furore per citi contra Ecclesiam in publicis rebus nullum aliud, praeterquam proprium ius admittunt ; veterique odio supremas etiam Societatis humanae rationes immolare solent, iamdiu pene extinctas iras iterum exsuscitasse videntur.

Nullus hisce minis, nullus huic efferatae violentiae modus aut limes impositus ; nulla cuiusvis, quod iustum et sanctum

est, aequa ratio : nullus denique timor penes huiusmodi homines suam Patriam in barathrum deducendi : eam inquam Patriam olim adeo gloriosam, quam Altissimus elegit, ut tamquam Dux, Crucis vexillum manu praeferens, populis praecedat, ut sana doctrina atque artes, quarum collata beneficia civilibus moribus excultam gentem a barbaris tribubus apprime distinguunt, per eam ubique florerent.

Procul dubio coeca isthaec odii atque effrenis emptio quoddam insaniae (quam Nos deflemus) genus ostendit. Huic nimirum odio tribuendae sunt cuiusvis modi vexationes, quae in catholicam Religionem eiusque ministros, contra publicum Dei cultum, contra videlicet vitae Christianae fundamenta (quae sunt nihilominus verae humanitatis fontes et custodes) istic peraguntur.

Hoc profecto sine ulla aequa bonaque ratione, sine ulla saltem iustitiae specie, horum scelerum causa fuit haud minus in res quasque sacras, quas tamen hodie publica instituta tueri omnino deberent; quam in cives, quorum iura saltem quae ceteris omnibus communia sunt, sarta tectaque servanda essent.

Attamen hac dirá furente procella, quae salutare opus a Nobis istic una cum iis omnibus, in quibus Religionis ac Patriae amor nondum extinctus est, fauste incoeptum minitatur evertere, maxima cura adhibenda est, fidelium quorumlibet Gallorum collata opera, ne animi viresque deficiant.

Interim, quod ad Nos pertinet, officii nostri esse persentimus, continenter ac sollicite pro vestra salute vigilare, quin aliquid in hac adeo gravi rerum conditione constantiam nostram, quominus ea, quae animo statuimus, firmiter sustineamus, labefactare unquam possit.

Ceterum plures Nobis sese offerunt causae, quare animum tristitia fere obrutum non despondeamus, sed ad incoeptum opus prosequendum vires nostrae affatim confirmentur. Quarum causarum primam in ipso conscientiae vestrae testimonio reperietis, cum ea vobis demonstrat quam praeclarum sit pro Religione et Patriae incolumitate colluctari, tum praesertim cum tristiora evaserint tempora, ac difficiliora rerum adiuncta.

Dum haec serio cogita verius, sponte se menti vestrae ea verba exhibebunt, quibus Apostolorum Princeps fideles solabatur : « Si benefacientes patienter sustinetis, haec est gratia apud Deum » I. Petr. II. 20. Itemque « Haec est enim gratia, si pro-

pter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste. » Ibid. Huiusmodi cogitationes adhuc dulciores flent, si fiducia divini auxilii, quod rite ipsum implorantes deficere nunquam potest ; ac bonorum spes, quae constantia e vestrae, tamquam adeo difficilium laborum pretium ac merces promissa sunt, opportune vobis praesto fuerint.

Ne, quaeso, unquam memoria excidat, omnia mala quae vos premunt, ab odio originem ducere factionis cuiusdam tenebrosae, implaca bilis, quae insuper catholicae fidei inimica magnanimae istius Nationis nec sensus praefert, nec veram voluntatem. Isthaec profecto Natio, si quidem suae libertatis compos fiat, id bellum atrox probare nunquam poterit, quod in quorumlibet proborum hominum insectatione constituitur, quod prima ipsamet libertatis et iustitiae elementa cuique notissima pessumdat; populi mores pervertit; atque eidem ceterarum nationum civilibus moribus excultarum contemptum provocat; Gallicam denique gentem ab iis omnibus seiungit, qui adhuc probe intelligunt, ordinem ac decus publicum Religionis cultu, et auctoritatis reverentia, tamquam solido ac praecipuo fundamento inniti.

Haec serio cogitata fiduciam in vobis confirmabunt, istam procellam diutius nequaquam esse perduraturam ; praesertim si divinum illud oraculum in memoriam revocemus : « Non dabit (Deus) in aeternum fluctuationem Iusto ». Ps. 54.

Nos equidem volumus, ut haec eadem spes ette, et omnes Galliae Episcopos sustentet atque confirmet : teque hortamur, ut nulli parcas labori, ut Clerus, cui praees, conatus tuos, prouti nos velle innuimus, sponte obsecundet : ut Fidelibus sibi subiectis mutuae societatis vinculo continenter sese coniunctum habere curet: ut iisdem sive corporis, sive animae saluti necessaria subsidia, quoad poterit, large suppeditet: ut denique quae documenta a Nobis tradita sunt, illis explanare satagat; quorum quidem haec summa est : ex Gallica Natione haec duo horrenda mala avertere - Religionis eversionem, et morum corruptelam.

De studio ac diligentia omnium Galliae Episcoporum in hisce nostris praeceptionibus servandis quidquam Nobis dubitare non licet, cum bonae ipsorum in Nos voluntatis pignora anteactis temporibus ab iisdem Nobis exhibita memoria repetimus : et quod od te speciatim spectat, in hac ferenda vi;- ex diligentioribus te fore confidimus.

Hac Nos spe tuto innixi, tibi, Venerabilis Frater, tuoque

Clero, atque omnibus Fidelibus vigilantiae tuae commissis Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Dat. Romae ad S. Petri die xxxi Octobris anno Dñi MDCCCXCII. Pontificatus nostri xv.

LEO PAPA XIII.

LITTERAE Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Episcopum Patavinum, praesidem honorarium unionis catholicae socialibus studiis in Italia excolendis.

Agnovimus libenter ex litteris tuis die XXV octobris datis prosperos eius conventus exitus quem superiori mense Genuae egerunt complures Catholici viri socialium scientiarum studiosi. Id primum quidem benignitati summi Dei acceptum referimus, dein vero sedulitati tuae illic praesentis, quem impigre adfuisse novimus quaeque curanda erant curasse diligenter, nec non docti viri qui ductu auspicioque tuo Unioni praeest Catholicae socialibus studiis excolendis. — Quod scribis in votis conventus nuper acti fuisse ut periodicus commentarius in vulgus edatur^ qui de scientiis socialibus agens praeco sit et vindex sanae doctrinae quae ex Catholicae veritatis fonte dimanans in hoc influit disciplinarum genus, id Nobis vehementer probatur; quod si naviter sciteque, prout confidimus, fuerit effectum, tam gratum Nobis erit quam quod gratissimum. Sane hoc inceptum quum per se nobilissimum esse intelligimus, tum rationi temporum rerumque praesentium apprime congruens et necessitati iuvenum harumce scientiarum cupidorum maxime accommodatum. Omnibus itaque qui, Te advigilante, huic operi studium et industriam suam collaturi sunt caelestis sapientiae lumina gratiaeque divinae praesidia ex animo adprecantes, Apostolicam benedictionem tibi illisque simul, nec non clero et fidelibus tuae vigilantiae commissis peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die III Novembris anno MDCCCXCII.

Pontificatus Nostri decimo quinto

LEO PP. XIII.

EPISTOLA Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad Episcopos Italiae; qui excitantur ad viriliter agendum adversus sectam massonum.

Inimica vis, instinctu impulsuque mali daemonis cum christiano nomine sueta confugere, certos homines sibi semper adiunxit, in id consociatos, ut traditas divinitus doctrinas dedita opera pervertere, ipsamque christianam rempublicam distrahere funestis dissidiis conarentur. Atque istae velut compositae ad oppugnationem cohortes, nemo nescit quantam Ecclesiae cladem omni tempore attulerint. - Iamvero sectarum, quotquot antea fuere institutis catholicis intensae, in ea revixere spiritus, quae *secta Massonica* nominatur, quaeque virium et opum valida, acerrimam bello facem praeferens, quidquid usquam sacri est, aggreditur. Eam quidem, quod probe nostis, saeculi unius dimidiatique spatio, romanorum Pontificum decessorum Nostrorum non semel, sed saepius sententia proscripsit: eamdem Nosmetipsi, ut oportebat, damnavimus, monitis vehementer populis christianis, ut eius insidias summa providentia caverent, conatusque nefarios fortiter, ut asseclas Iesu Christi decet, refutarent. Quin etiam, ne obreperet ignavia et sopor, consulto studuimus sectae perniciosissimae aperire mysteria, et quibus artibus in excidium catholicae rei niteretur, velut intento digito demonstravimus. - Nihilominus, si fateri volumus id quod res est, plurimos italorum parum cautos parumque providos inconsiderata quaedam securitas facit, ideo magnitudinem periculi aut omnino non vident, aut non ex veritate metiuntur. Atqui fides avita, parta nominibus per Iesum Christum salus, et quod consequens est, ipsa christianae humanitatis benefacta in discrimine vertuntur. Siquidem nihil timens, nemini cedens, maiora quotidie audet secta Massonum : totas civitates velut contagio invasit, omnibusque reipublicae institutis se implicare altius in dies nititur, coniurata, quod passim solet, catholicam religionem, principium et fontem bonorum maximorum, italico generi eripere. - Hinc adhibitae ad oppugnandam fidem divinam infinitae artes ; hinc spreta, oppressa legibus legitima Ecclesiae libertas. Receptum et doctrina et re, non vim non rationem in Ecclesia perfectae socie-

tatis inesse: antistare rempublicam, sacraeque potestati principatum civilem antecedere. Ex qua doctrina perniciosa et falsa, Sedis Apostolicae iudicio saepe damnata, cum mala multa consequuntur, tum hoc maxime, ut inferant se gubernatores rei civilis, quo minime fas est, nec vereantur ad se traducere quod Ecclesiae detraxerint. - Videtis in beneficiis ecclesiasticis illud quale sit, quod ius percipiendi fructus sibi arrogant dare, demere, ad arbitrium. Nec alterum minus insidiosum, quod Clerum inferioris ordinis permulcere pollicitando cogitant. Quae res quorsum pertineat, facile est dispicere, maxime quia ipsi huius consilii auctores non satis curant occultare quid velint. Volunt nimirum administros sacrorum in partes suas blande compellere, permistosque semel rebus novis ab obsequio legitimae potestatis divellere. Quamquam haud satis hac in re videntur Clericorum nostratium cognosse virtutem : qui sane tot iam annos, tam multis modis exerciti, exempla abstinentiae et fidei edidere non obscura, ut omnino confidendum sit, in eadem religione officii, qualiacumque tempora inciderint, Deo adiutore, constanter permansuros.

At vero ex his, quae perbreviter attigimus facile apparet quid possit secta Massonum itemque quid expetat ut extremum. Quod autem auget malum, quodque cogitare sine magna animi sollicitudine non possumus, nimis multi etiam ex nostratibus numerantur, quos nomen sectae operamve dare, suarum spes utilitatem et misera ambitio subigit. - Quae cum ita sint, episcopalem caritatem vestram, urgente propositum conscientia officii, appellamus, Venerabiles Fratres, in primisque petimus ut eorum, quos modo diximus, sit vobis proposita salus : in iis ab errore certissimoque interitu revocandis assidue et constanter vestra certet industria. Extricare posse, qui se Massonum impedivit in plagas, res profecto est et multi negotii et exitu anceps, si sectae ingenium spectetur : nullius tamen desperanda sanatio, quia caritatis apostolicae mira vis est, Deo nimirum opitulante, cuius in potestate arbitrioque ipsae sunt hominum voluntates.

Dein excubandum in omnem occasionem, ut sanari ii quoque possint, qui timiditate in hoc genere peccant: qui videlicet non suopte ingenio pravo, sed mollitiâ animi atque inopia consilii ad favendum coeptis Massonicis delabuntur. Admodum gravis est illa Felicis III decessoris Nostri in hanc rem sententia : *Error, cui non resistitur, approbatur ; et veritas quae non de-*

fensatur, opprimitur. . . . Non caret scrupulo societatis ocenltae, qui evidenti facinori desint obviare. Fractos horum spiritus attollere necesse est, traducendis cogitationibus ad exempla maiorum, ad custodem officii et dignitatis, fortitudinem, ut pigeat omnino ac pudeat facere quicquam aut fecisse non viriliter. Est enim vita nostra omnis cuidam dimicationi proposita, in qua maxime de salute decernitur, nihilque homini christiano turpius, quam claudicare in officio propter ignaviam.

Pariter omnibus modis fulciendi, qui per imprudentiam ruunt : de iis intelligimus, nec exiguo numero, qui simulatione capti variisque illecebris deliniti, illigari se societate Massonica sinunt, inscii quid agant. De his magna spes esse debet, Venerabiles Fratres, aliquando Deo aspirante posse errorem deponere et vera cernere, maxime si vos, quod vehementer rogamus, studueritis fictam sectae speciem detrahere, et occulta consiliorum retegere. Quamquam haec ne occulta quidem nunc videri possunt; posteaquam ipsimet conscii multis modis prodidere. His ipsis postremis mensibus audita iterum per Italiam vox est consilia Massonum usque ad ostentationem vulgo enunciantis. Repudiari funditus religionem Deo auctore constitutam, atque omnia cum privata tum publica meris *naturalismi* principiis administrari volunt: idque instaurationem societatis civilis impie simul ac stulte appellant. Quo igitur praecipitatura civitas, si populus christianus non induxerit animum vigilare, laborare, saluti consulere ?

Sed in tanta rerum malarum audacia, nec satis est cavere sectae teterrimae insidias : illud quoque necessarium, capessere pugnam : idque sumptis a fide divina armis iis ipsis, quae olim contra *ethnicismum* valuerunt. Quapropter vestrum est, Venerabiles Fratres, accendere suasione, hortatu, exemplo animos : et in Clero populoque nostro studium religionis salutisque fovere operosum, constans, impavidum, cuiusmodi apud catholicos ex gentibus ceteris in similibus caussis haud raro videmus enitescere. Ardorem animi pristinum in fide avila tuenda, vulgo aiunt apud italas gentes deferbuisse. Nec fortasse falso : propterea quod si animorum habitus utrimque spectetur, plus quidem videntur adhibere contentionis qui inferunt religioni bellum, quam qui propulsant. At vero salutem cupientibus nihil medium inter laboriosum certamen aut interitum. Itaque in sacerdotibus et languidis excitanda, vobis adnitentibus, virtus est: in strenuis, tuenda:

pariterque omni dissidiorum extincto semine, efficiendum ut ductu auspiciisque vestris una omnes mente eademque disciplina in certamen animose descendant.

Gravitate rei, prohibendique periculi necessitate perspecta, ipsum Italiae populum compellare litteris decrevimus. - Eas litteras una cum his ad vos, Venerabiles Fratres, curavimus perferendas : eritque diligentiae vestrae quam latissime propagare in vulgus, itemque opportuna explanatione, ubi opus esse videatur, populo interpretari. Qua ratione, ita adsit propitius Deus, spes est futurum, ut excitentur animi prementium contemplationem malorum, et ad remedia, quae indicavimus, sese sine cunctatione convertant.

Divinorum munerum auspicem, et benevolentiae Nostrae testem, vobis, Venerabiles Fratres, populisque fidei vestrae concreditis Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die VIII. Decembris An. MDCCCLXXXXII, Pontificatus Nostri decimoquinto.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

PATAVINA

PRAEEMINENTIARUM ET FUNERUM

***Die* 12** *Decembris 1891.*

Sess. 25 cap. 12 De ref.

COMPENDIUM FACTI. Episcopus Patavinus retulit: S. C. Congregationi vicarios foraneos Dioecesis suae ex immemorabili consuetudine ius possidere praecedentiae in choro et extra in functionibus sacris, quae intra limites proprii cuiusque vicariatus foranei fiunt cum parochorum interventione. Ex decreto Antistitis Dondi anno 1817 onus impositum fuisse vicario foraneo exequias peragendi, missam canendi cuique parocho defuncto cum iure percipiendi iura funeris. Anno 1823 adiicitur quod si vicarius praepeditus fuerit, ius devolvitur parocho seniori quatenus desit pro-vicarius foraneus. Iura ista usque adhuc intacta permanserunt; sed nunc parochus Dioecesis censet, duo praedicta iura haud esse propria Vicarii foranei; ita ut praecedentia spectet parocho Ecclesiae matricis et ius funerandi oeconomo spirituali, si nominatus fuerit, aut parocho seniori in possessione paroeciae. Vicarii foranei rogarunt Ordinarium; ut iura haec servarentur ex gratia, quatenus ex iure manuteneri nequirent.

Disceptatio Synoptica.

QUAE VICARIIS FORANEIS ADVERSANTUR. Favore sententiae parochi animadversum fuit cum De Luca *Misceli, disc. 1. n. 22.* vicarios foraneos habere tantum accidentalem, precariam vel provisionalem iurisdictionem, ideoque ipsis praelaturae nomen minime congruere. Unde Ferraris *verb. Vicarius for.* scribit: « Vicarius generalis est in dignitate constitutus, secus vero vicarius foraneus, nisi dignitas aliunde ipsi competat. *Glossa loc. cit. Gleni. Etsi principalis* et

Doctores comuniter ». Et alibi: « Vicarius foraneus, ratione sui vicariatus, nullam habet praecedentiam in choro, ses^ sionibus et processionibus et aliis actibus et functionibus ecclesiasticis super parochos, canonicos et presbyteros, ipso antiquiores et digniores, sed debet ipse vicarius stare, sedere et incedere in loco suae receptionis et dignitatis ac si non esset vicarius foraneus, tam cum cotta, quam sine illa, non obstante quacumque ordinatione Episcopi in contrarium, praeterquam in congregationibus quae de mandato Episcopi singulis mensibus fiunt, in quibus tamquam Episcopi delegatus debet praecedere omnibus, non tamen in processionibus, missa et aliis quae fiunt ante congregationem. » Hanc vero sententiam eruit ex pluribus S. C. Rituum decisionibus, quas inter recolere sufficiat Brundusina *7 Nov. 1600,* Oritana et Catanen. *eiusdem diei et anni,* Marsicen, Spoletana et Bononien. *diei 11 Aprilis 1601* etc.

Nec aliquid in themate Vicariis foraneis prodesset inolita in Patavina dioecesi consuetudo; siquidem praefatus auctor adnotat *loc. cit.* eamdem SS. Rituum Congregationem declaravisse in Syracusana *diei 8 Iunii 1630,* praecedentiam super reliquos de clero vicariae non posse vicarios foraneos sibi vindicare, « non obstante contraria consuetudine ». Parochus vero loci Montegalda dum alias his attexit auctoritates, refert in alio responso Congregationis SS. Rituum *die 16 Iunii 1663,* quoad haec, consuetudinem « etiam immemorabilem fuisse nihili factam. Et re quidem vera, attenta facilitate qua huiusmodi observantia ob vicarii foranei delegatam auctoritatem in parvis oppidis sensim sine Sensu irrepere poterat, non omnino absonum esset invocare *cap. 5 de Regulis iuris:* quod latenter aut per vim, vel alias illicite introductum est, nulla debet stabilitate subsistere. » Unde concludendum videretur observantiam vigentem in Dioecesi patavina esse omnino reprobandam.

Praecedentiam vero in omnibus ecclesiasticis functionibus intra limites vicariae deberi primum parochis ecclesiae matricis, si adsint, ac deinde ceteris iuxta dignitatem vel

antiquitatem suae ecclesiae matricis, si adsint, ac deinde ceteris iuxta dignitatem vel antiquitatem suae ecclesiae ab ipsa rei, de qua agimus natura suaderi, parochus loci Montegalda contendit. Irrationabile enim esset, ut monet De Luea *De Regni. disc. 19 h. 3,* filias matribus praecedere, atque iis honorem debitum auferre. Quamobrem docent auctores in praecedentis parochorum antiquitatem et dignitatem ecclesiae esse attendendam, non vero eorumdem parochorum antianitatem vel personalem dignitatem. Ad rem Ferraris *loc. cit.* « Praecedentia inter ipsosmet parochos seu curatos ecclesiarum parochialium sive sint saeculares datur secundum praerogativam suarum ecclesiarum, ceu tenuit S. RR. C. in Ästen. 21 Martii 1669. » Quibus plane consonat Barbosa in *Summa apost, decis, verbo Parochus quoad praeced. n. 5 aliique.*

Relate ad alterum controversiae punctum praemittendum est ius funerandi esse privative paroeciale: utpote exurgens ex iure parochi sacramenta atque sacramentalia ministrandi ex *can. dictum est 1 quaest. 1.* Cum igitur vicarii foranei auctoritas nullimode parochialis ministerii exercitium includat, ac tantummodo in foro externo versetur, consequens esset in casu decreta Episcopi a iure communi exorbitantia minime sustineri. Quare Monacelli in *App. Formul, pract. legal, part. III, Instr. 4, n. 9* haec de vicariis foraneis habet : ratione officii et quando vocati non fuerint non debent sese ingerere in explendis solemnibus functionibus ecclesiasticis in ecclesiis paroecialibus aut collegiatis... cum id pertineat ad rectores et canonicos earumdem ecclesiarum. In casu igitur quo parochus defunctus sit, iura peragendi sacras functiones ad eum devolvi consequitur, qui ecclesiam viduatam regat. Quod si iam vacantis paroeciae oeconomus fuerit ab Ordinario deputatus, ad illum praefata iura pertinere dicendum est, quippe qui et de iure iurisdictionem ordinariam habet et curam, aliasque functiones parochiales omnes exercet instar parochi, cuius vices gerit et cui subrogatum est in cura et officio. Pronum est enim in iure quod

subrogatis de iure succedit in locum illius, cui subrogatus est in commodis aeque ac incommodis *Cap. un. De off. Vicar.* Rota *Decis. 252, n. 7, par. 5, recent.* Consuetudo vero neque hic cum effectu allegari posset, non modo ob iam allatas rationes, sed etiam quia cum inceperit anno 1817, immemorabilis requisita non habet, quia « dato initio immemorabilis dari non potest. » Pitonius *De controv. patron, alleg. 5. n. 6.*

Tandem quoad petitionem Vicariorum, ut eis ex gratia tribuatur quod iure non competeret, observari posset, remex liberalitate Supremi Principis omnino pendere, qui tamen in gratiis concedendis iura tertii intacta tueri solet, iuxta ea quae habentur in *cap. 17 De regulis iuris in VI,* « Indultum a iure beneficium non est alicui auferendum. »

QUAE VICARIIS FORANEIS FAVENT. Nihilominus favore Vicariorum animadversum fuit, quod licet praecedentia in processionibus aliisque functionibus sa,cris vicariis foraneis communiter denegatur, attamen noa deesse doctores, qui hac in re consuetudinem servandam esse affirment. Has inter Monacelli *Fonniä. legal, praef. part. I, form. 4, v. G* tradit: « Vicarius foraneus, ratione officii non praecedit alios praesbyteros, nisi adsit consuetudo: » quod et pluries repetit, in medium prolata auctoritate Barbosae *Summ, decis, apost collect. 720,* et Nicol, *in flosc. r erb. vicrr>\ capit. n. 82.* Et merito : etenim neminem latet quanta vis insit consuetudini, praesertim immemorabili ut in themate, ad ea quae tradit Rota in Praenestina *23 Martii 1819, p. 3, cor. Martine:* « qui possessione fruitur centenaria, fortius immemorabili, certe quocumque meliori ac potentiori titulo iureque. suffultus est. Vis pactum? Vis privilegium? Cuncta haec et siquid aliud exoptas ex possessione centenaria sunt praesumenda. » Consuetudinem vero in materia praecedentiae plurimi valere et apud S. C. C. ex Papien. *Praecedentiae et iuris deferendi Crucem 14 Augusti 1880* compertum est : - ibi - « Consuetudo in hac materia facit utramque paginam, ceu notat Rota in *recent, part. 18, decis. 781 num. 6,*

et decis. 232 n. 2 coram Olivatio. Pignat. *t. 6, cons. 67, n. 5.* S. C. Concilii in Acheruntina *Praecedentiae 23 Augusti 1879 § Omnis.* Quae observantia licet dispositioni iuris repugnet, attamen dicitur regulam praebere in praecedentis statuendis, licet minus dignum dignioribus praeferat, ceu monet Card. De Luca *Adnot. ad Conc. Trident, disc. 19 num. 2.* S. C. C. in Casalen. *Praecedentiae 25 Maii 1817 § Hoc primum.* » Concludendum igitur est cum praefato Monacelli *loc. cit. part. III, form. 7, num. 18.* « Si in aliqua ecclesia ex consuetudine immemorabili vicarius foraneus, ratione officii alios presbyteros, quamvis antianos praecedit, servanda est, quia in iure honorifico, praecedentiae ablata deformitate, totum facit consuetudo. »

Quoad vero ius exequias peragendi in obitu parochi etiam hic consuetudo decretis episcopalibus innixa vicariis foraneis favens sustineri videtur. Licet enim ius funerandi ad parochos spectet, non exinde fas esset inferri nullam hac in re exceptionem dari posse. Siquidem plura possent allegari exempla, in quibus huiusmodi iuri vel ex peculiari lege vel privilegio fuit derogatum. Satis sit adnotare praxim in urbe vigere, Statuto Cleri Romani firmatam, qua ius exequias parochorum peragendi cleri, camerario tribuitur, quamvis emolumenta funeris ipsi non competant.

Demum, sive quoad hoc quaestionis punctum, sive quoad preces a Vicariis foraneis oblatas, rem conficere videtur Patavinus Praesul scribens : 1. censeo ad eosdem, prae aliis, pertinere ius praecedentiae et exequias ducendi pro parochis defunctis, quia vicarii foranei doctrina et moribus alios antecellunt, et quia non deest canonista qui retinet ad eosdem Vicarios foraneos ius pertinere iuxta funebria persolvendi parochis defunctis. 2. Invocari posset in casu praescriptio adversus Parochum recurrentem, et favore vicariorum foraneorum usucapió seu iuris acquisitio per usum eiusdem per 73 annos absque ulla oppositione. 3. Consuetudinem praeterea adesse, ait Ordinarius, apud plures Vicariatus foraneos, qua fit ut Vicarius et clerus totius Vicariatus gratis

alia die funus, propriis impensis peragere solet cum adsistentia oeconomi spiritualis, aliorumque sacerdotum, qui vocantur. 4. Vicarii foranei, prosequitur Ordinarius, dum expetunt ut sibi sartum tectumque servetur ius funerandi in parochos Vicariatus foranei nuncium mittunt, ut plurimum, omni emolumento favore oeconomi spiritualis, si adsit, aut parochi, possessione senioris, aut viduae Ecclesiae.

Quibus animadversis, Praelatus exorat, ut ius utrumque servetur eisdem Vicariis, nisi ex adductis, tamen ex gratia.

Quibus praeiactis, proposita fuerunt dirimenda

Dubia

I. *An vicariis foraneis in sacris functionibus praecedentia super reliquos de clero vicariae tribuenda sit in casu.*

II. *An iisdem vicariis foraneis ius peragendi exequias defunctorum parochorum, iuxta episcopalia decreta adscribendum sit in casu.*

Et quatenus negative ad utrumque vel ad alterutrum

III. *An et quomodo preces oratorum excipiendae sint in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re cognita sub die 12 Decembris 1891 censuit respondere: *Ad I affirmative. Ad II affirmative iuxta modum, de quo in litteris Episcopi sub n. 4. Ad III Provisum.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Non deesse doctores qui vicariis foraneis praecedentiam tribuunt in sacris functionibus, autumantes servandam esse consuetudinem si adsit; quia consuetudo, praesertim immemorabilis, parit titulum meliorem de hoc mundo; dum vicarius foraneus ratione officii non praecedit alios praesbyteros.

II. Vicarios foraneos in themate privilegio frui praecedendi alios in sacris functionibus et peragendi exequias parochorum defunctorum, nullum tamen consequendo emolumentum.

AQUÉN.

MATRIMONII

Die 30 Maii 1891 et 23 Iulii 1892.

Sess. 24 cap. 1. De Reform.

COMPENDIUM FACTI. Die 2 Maii anni 1867 in Ecclesia B. V. Mariae in coelum Assumptae loci Lambisci Aquensis Dioecesis in Gallus, matrimonium rite contraxerunt Carolus Bayer, transfuga germanus ebeni faber, et Theresia Fortunata Jaubert, puella in 19 annorum aetate constituta. Verum hae nuptiae haud felicem exitum habuerunt. Nam iurgia et contentiones quae ab initio enatae sunt, eo devenerunt ut mulier sex post annos viri vexationes haud amplius perferre valens, a tribunali civili Aquensi corporis bonorumque separationem peteret. Hac obtenta die 6 Augusti anni 1874, vir, Gallia derelicta, Neo-Eboracum se contulit, unde cuidam Massiliae degenti interdum negociorum caussa litteras misit. At cum praeterlapso a profectione biennio nihil amplius de eo quisquam scire posset, uxor ut sibi plene consuleret, gravium et religiosorum quorumdam consiliis, ut ipsa asserit, morem gerens, iterum coram civili curia astitit, divortiique sententiam assecuta est. Imo cum ipsi et consiliorum auctoribus persuasum esset diuturnum Caroli silentium haud aliter explicari posse quam per eius obitum, ad novas sibi propositas nuptias cum quodam M. Richard ineundas animum intendit. Quem in finem cum bona fide, si illam audias, iam de civilis, ut aiunt, matrimonii praeambulis cavisset, proprium parochum adiit ut etiam ecclesiasticum peragere valeret. Parochus vero ministerium suum praestare absolute recusavit, contra proferens ligaminis impedimentum ob non satis probatam viri mortem et idcirco prioris coniugii dissolutionem. Quapropter Fortunata sibi providere cupiens, coram civili magistratu cum praefato M. Richard novas nuptias attentare haud erubuit: quod perfecit die 26 Novembris anni 1886. Postea tamen con-

scientiae stimulis pressa, dioecesanam curiam adiit oblatoque libello instanter petiit ut matrimonium cum Carolo Bayer contractum, ex capite metus nullum declararetur : quem quidem metum nuptiis legitime ineundis obstare se paullo ante novisse affirmavit.

Supplicem libellum dioecesana curia accepit, et, tribunali rite constituto, causam praetensae nullitatis matrimonii ex capite vis et metus ad tramitem Benedictinae *Dei Miseratione* die 14 Februarii anni 1888 agitare incepit, dieque 17 Iulii eiusdem anni absolvit, tulitque sententiam : *Constare de nullitate.* A qua sententia appellavit vinculi defensor ad S. Sedem.

Disceptatio Synoptica.

VOTUM THEOLOGI. Opus non est immorari, ait iste, super principia generalia quibus hic et similes casus regi debent. Metus gravis certe dirimit matrimonium de iure Ecclesiastico, iuxta aliquos etiam de iure naturae : requiritur autem ut sit a causa libera et extrinseca iniuste incussus ad finem contrahendi matrimonium. Deficiente vel una ex his conditionibus , quantumcumque sit gravis metus, non constituit impedimentum. Praeterea, loquendo de gravitate metus, de aliquo absoluto non est cogitandum ; vis enim quae in virum constantem non caderet, metum vere gravem quandoque incuterei mulieri, praesertim iuniori et timidae, ita ut quotiescumque de metu incusso puellis ad extorquendum consensum in matrimonium agatur, plura necessario relinquuntur prudenti arbitrio iudicis, ut attentis indole et circumstantiis tum patientis, tum incutientis metum, iudicium efformet utrum nec ne gravis fuerit in singulis qui sese offerunt casibus.

Patronus actricis ad probandam vim et metum incussum considerat tempus ante matrimonium, celebrationis matrimonii, et matrimonium subsequens, et vix potest res clarius tractari quam ad trutinam revocando ea quae super triplici hoc puncto ab illo dicuntur.

Ante matrimonium : Fortunata sexdecim annos nata, Sorores Praesentationis petivit, ut instantias matris ad matrimonium sollicitantis vitaret, atque vitam Religiosam amplecteret. Super hoc testimonium Sor. Oarentinae differt ab eis quae ab actrice asseruntur. Bene novi Fortunatam dum *alumna* esset. Numquam intellexi velle se Religiosam fieri. Dum adhuc alumna esset, eius mater plures propositiones matrimonii intimabat et urgebat ; propter matrem, quae famosa erat in civitate, consultus visum est illam ad alium locum transferre. Quoad desiderium Religionis, concordat cum his testimonium Sor. S. Eligiae, quae praeterea addit matrem esse mulierem malae famae, voluisse filiam nubere ad propria vitia tegenda. Haec audivit a Fortunata. Ex his id tantum probatur quod mater valde desideraret et urgeret matrimonium filiae suae ; et diluuntur ea quae de vocatione religiosa ab actrice proferuntur. - Testis Rosa Long, matertera Fortunatae e contra affirmat violentiam omnigenam adhibitam a matre, minas, et verbera. Testis Rosa, uxor Autheman audivit a Fortunata se non amasse Bayer et parum contentam esse illo connubio - die matrimonii audiens gressum ad portam domus exclamavit : Ecce venit monstrum ! - Confirmat quod dicitur de ingressu ad magistratum, scilicet repugnantem Fortunatam a matertera impulsam fuisse dicente, tempus non est amplius haesitandi ; quid de te dicetur ?

Iam vero si testimonium Rosae Long excipias, nihil in antigressis invenitur certum et indubium de vi praetensa. Colligitur matrem valde desiderasse matrimonium et sedulo requisivisse coniugem, quem zelo excessivo filiae suae commendat, res in nulla regione insolita. Sane modus talis agendi minime laudandus ; sed omnino insufficiens ad constituendum metum in sensu iurium.

E contra clarum, immo nimis clarum et apertum est testimonium Rosae Long sororis matris Fortunatae - affirmat coactionem - violentiam matris erga filiam, affirmat pariter desiderium ingrediendi religionem, uno verbo omnia seu quae

in argumento advocati continentur, quaeque extra dubium si fuissent, sententiam nullitatis postularent. Sed extra dubium non sunt. Imprimis nec verbum dicitur ex quo inferri licet, testem vidisse ullum actum violentiae. - Est igitur testis ex. auditu tantum quoad principaliora, et merito suspicari potest verba esse Fortunatae, in voce Rosae.

Esto quod matrimonium hoc puellae parum arriserit, quod matri valde illud desiderasset et intempestive ursisset, non statim exurgit impedimentum metus, nisi velimus innumera infirmari connubia. Neque multum me movent minae praetensae, et locutiones, violentia plebeianâ refertae : omnes enim norunt res huiusmodi differre quoad effectum apud personas generis diversi ; non idem in auribus omnium sonare et proinde, minae et verba iniuriosa et opprobriosa quae vim gravem constituerent, forsitan erga puellam civilis conditionis, vix levi metu afficerent personam inferioris status.

Ex adversa parte vero habetur testimonium D. Mornand qui familiam Jaubert optime cognovit et ante et post matrimonium Fortunatae. Testatur ille matrem valde optasse nuptias filiae - plures iuvenes illa proposuisse - in specie vero Carolum Bayer, quod mater pecuniam promiserat ut matrimonium fieret. Testis fuit sollicitationum matris ut nuberet ; deinde dicit « Nunquam sive a filia sive a matre audivi minas aut vim usam fuisse ad illam cogendam deinceps » « Puto promissiones et sollicitationes matris efficaciter inflexisse in matrimonium istud, sed nihilominus existimo quod si noluerit puella, illam coercere non potuerint ». Ita pariter medicus, Gilbert aliique testes. Negativa haec sunt absque dubio ; sed cum testimonia sint vicinorum, qui in eodem, quo familia Jaubert, commorabantur loco, sane non carent pondere, eo vel magis quod testes ab actrice producti non semel de fama huiusmodi loquantur.

Gradum faciendo ad ea quae matrimonium comitantur, ait Consultor, patronus censet rem adeo apertam, ut nemo negare audeat Fortunatam consensum dedisse ex metu ; siquidem, iuxta ipsum, testes probant, *a)* Fortunatam, etiam paucis

diebus ante matrimonium questam fuisse,, se ad nubehdam a matre cogi, *b)* illam die ante celebrationem proximo apud materteram Rosam Long caenantem cum sponso, ab ipso alapo percussam fuisse, eo quod dixisset se invitam nubere, c) die autem matrimonii dum ornatus nuptiales indueret priusquam se conferret ad aedem municipalem et ecclesiam, de sponso adveniente dixisse. Ecce advenit monstrum! *d)* illam absolute renuentem adire magistratum civilem a matre et materiem vi tractam fuisse, *e)* immo in limine domus municipalis e manu patris effugientem a matertera vi pulsam fuisse *f)* cum lacrymis et quasi terga vertentem emisisse consensum coram magistratu, *g)* et tandem coram parocho eadem tristitia et desolatione toto tempore ceremoniae correptam permansisse.

Imprimis probationes sunt insufficientes. Tres testes tantum producuntur qui haec deponunt, nempe Teresa Long, mater actricis, Rosa Long matertera, et Fortunata Bosc. Iam vero Teresa Long iuramentum non emisit, et « testis iniuratus non probat » iuxta axioma, manent ergo tantum duo, quorum una praesumi potest nimis actrici favorabilis et altera parum confert ad elucidationem quaestionis.

Remanet confessio extraiudicialis matris tantum. Ex illa erui possunt omnia quae ab advocato proferuntur. Concors est depositio actricis, quae tamen dubiam fidem tantum meretur. Ergo concludendum videtur quod metus gravis, qualis a patrono Fortunatae describitur, si « tempore matrimonii revera extiterit, non probetur a testibus eo fine productis ».

Pergit demum patronus actricis ad ea quae hoc matrimonium sequuta sunt ; et hoc duplici ex fine ; nempe ut in antegressis dicta de metu, adminiculis et coniecturis confirmet et simul ostendat matrimonium metu contractum non fuisse, cohabitatione spontanea vel consensu convalidatum.

Primo loco citat sententiam communem de necessitate renovationis consensus coram parocho et testibus quotiescumque impedimentum metus est publicum. Verum in casu

pufo hanc doctrinam parum ad rem esse. Non video qua ratione publicum censeri possit impedimentum metus, quod parochum et testes latent non tantum sed etiam amicos et vicinos familiae.

Suam thesim corroborare nititur ex gestis post matrimonium, patronus Fortunatae, sequentibus argumentis, *a)* Fortunata nonnisi post tres dies a matrimonio inito et tunc reluctans congressus mariti admisit. Pro hoc habemus declarationem matris cum confessione actricis tantum : sed admissa rei veritate, quid inde ? Aetas puellae, 19 annorum, et circumstantiae connubii minime spontanei id satis explicant, absque hoc quod theoria sive hypothesis metus gravis invocetur *b)* nullum unquam dilectionis signum, fatente Carolo, qui omnino non comparuit, marito suo dedit. Hoc as»-serunt aliqui testes, insinuant alii, confessa est Fortunata.

Quod dissensiones et iurgia fuerunt initio coniugii extra dubium est, et quod vir durius erga uxorem egisset aeque certum : quia propter saevitias et crudelitatem viri tribunal civile dedit sententiam separationis. Valde probabile est insuper parvum aut nullum inter sponsos unquam fuisse amorem , sed quod incertum remanet, est causa vel origo harum saevitiarum. Testes nonnulli has attribuunt uxori, quae virum saepe conviciabatur, illum exprobrans eius incuriam circa res familiares et pigritiam, quae pigritia a testibus fere omnibus asseritur. Alii loquuntur de indole violenta simul et rudi Caroli, et alii demum dicunt gelosiam fuisse causam.

Ex consideratione omnium ergo quae in actis processus inveniuntur ; cogor a sententia curiae Aquensis dissentire. Meo iudicio series conclusionum quae existentiam impedimenti metus in casu stabiliret, veritatem magis apparentem quam realem habet ; dum facta alligata vix gradum vis attingant, quae metum vere gravem inducit, probationes adductae in pluribus deficiunt a norma quam in causis matrimonialibus gravioribus praetermittere non licet.

Igitur quaesito EE. PP. proposito, utrum constet de nul-

litate matrimonii in casu ? Respondendum esse censeo « Negative » et actrici et tribunali Aquensi relinquendum esse ut processum melius instituant.

VOTUM CANONISTAE

Consultor ut votum concinnar et quaerit praeprimis utrum matrimonium inter Fortunatam et Carolum Bayer tempore quo contractum est, ob metus impedimentum fuerit nullum.

Huic dubio ait, *affirmative* respondendum puto. Etenim ex actis processualibus constat, Fortunatam aut sub metu *absolute* gravi, aut saltem *relative* gravi, matrimonium contraxisse.

Quoad primum, *metus absolute pravis* dicitur, qui talis sit ut in constantem virum cadat. Quare gravitas metus, absolute gravis, non a conditione *subiecti* cui infertur, nec a qualitate *finis*, propter quem incutitur, sed potius ex *natura causae* a qua dimanat, in praxi mensuratur. Siquidem illius mali gravitas, ex quo metus gravis seu cadens in constantem virum inducitur, ait Reinffestuel. *Lib. 1, tom. 40, de iis vi metusve causa fiunt,* attendi debet ex natura mali *in se,* non autem ex non fundata aestimatione patientis aut metuentis. Iam vero, prouti processus enarrat, Teresia, Fortunatae mater, ut hanc induceret ad matrimouium talibus mediis usa est, quae ad metum absolute gravem gignendum apta videntur.

Ex variis testimoniis, Teresiam esse mulierem, in agendo *praecipitem* et *abnormem,* sicut sunt personae, in quibus *filiae* luxuriae dominantur, erui potest. Imo indoles huius feminae ita violenta perhibetur, ut etiam eius vir eam maxime pertimesceret. Insuper nonnulli testes famam esse deponunt, quod Teresia filiam suam Fortunatam cum Carolo Bayer in matrimonio iungere voluit, ad suam pravam vitam cum eodem iuvene coram civibus tegendam.

Cum res ita sint, nil mirum si ad suos pravos fines

assequendos, illa mulier ad ea devenerit, quae per se ad metum absolute gravem inducendum idonea sunt, et qualia censeri debent.

In primis Fortunata Jaubert actrix talia deposuit quae metum gravem innuunt. Ex aliis testibus constat, Fortunatam etiam in actu civilis caeremoniae celebrationis restitisse. Rosa Long, Fortunatae amita ac Teresiae Jaubert soror expresse declarat facta fuisse *verberationes, minas mortis ;* aliaeque personae testimonium ferunt de minis *colli iorsionis* et *strangulationis.*

Iam ut metus *absolute gravis* censendus sit, sicut docet Reinffestuel *L. 1, tit. 40,* duae potissimum requiruntur conditiones. *Prima conditio* est quod malum, de quo timetur, sit *grave in se* et non solum in vana aestimatione metuentis ; uti est metus mortis, metus verberum, amissionis libertatis etc. *Secunda conditio* ad metum gravem requisita est, quod eiusmodi grave malum *certo immineat,* saltem morali certitudine, quae in actibus humanis sufficit. Quae duae conditiones in casu simul habentur, uti ex testimoniis adductis compertum est.

Certissime Fortunatam Jaubert sub metu relative gravi matrimonium cum Carolo Bayer contraxit. Summus Pontifex Honorius III *in cap. Consultationi de sponsal. et matr.* de illato metu cum diligentia inquirendum monet. Etenim *metus gravitas* non semper ex absolutis, sed quam maxime ex relativis criteriis dimetiri debet. Et in capite *Cum locum,* eodem titulo Alexander III *exigit ut quilibet contrahens* matrimonium plena securitate gaudeat, ne per timorem dicat sibi placere quod odit et sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire. *Cum locum,* ipse ait, *non habeat consensus ubi metus et coactio intercedat, necesse est ut ubi assensus cuiusque requiritur, coactionis materia repellatur.* Quamobrem metus causa, ad eius gravitatem cognoscendam, non modo in se, sed magis per comparationem ad eum, in quem metus infertur, consideranda est. Quandoquidem, uti ait Sánchez *De matr. lib. 4, disp. 3, n. 3,* metus qui ab-

solute levis esset, ex circumstantiis gravis neri potest. Quod quidem omnino rationale est. Etenim eatenus metus absolute gravis matrimonii dirimendi vim habet, quatenus per se ad gravem mentis trepidationem inducendam idoneus censetur : haec enim gravis trepidatio mentis valde minuit voluntarium, etsi illud non tollat, cum *coacta voluntas sit semper voluntas.* Unde si in casu particulari, metus *per se levis** eamdem mentis gravem trepidationem pariat, non est ratio cur metus absolute levis, quando eumdem effectum gignat, eamdem vim dirimendi non habeat, cum tota ratio dirimendi ex iuris nostri conceptu ac dispositione fundetur in gravi trepidatione mentis, seu in *diminutione libertatis,* determinate et iniuste causata.

Quapropter ad iudicandum, an matrimonium inter Fortunatam Jaubert et Carolum Bayer, *nullum* fuerit non tam ad *metus causam,* quam *ad eius effectum* attendendum est, nempe ad gravem animi trepidationem ex causa extrinseca, iniusta ad extorquendum consensum incussa, qua Fortunata matrimonium contraxit. Haec omnia simul confluxisse, actus processuales apertissime renuntiant.

His omnibus extantibus, quis dicet, Fortunatam sine gravi animi trepidatione contraxisse matrimonium cum Carolo Bayer ? Quis non videt infortunatam filiam scelestissimae matris insanis imperiis et minis et violentus divexatam ? Potuit ne clarius umquam verificari id quod prohibet ac reprobat Alexander III, in celebratione nuptiarum, nimirum quod pars aliqua dicat sibi placere, quod oderat ? Etenim ex recitatis depositionibus constat : *a)* Quod Fortunata iis temporibus *statum religiosum amplectendi* desiderium ita animo revolvebat, ut a quolibet matrimonio contrahendo aliena omnino esset *b)* Quod eius mater Teresia *omnibus modis, suasionibus, verberibus, variisque saevitiis* et *mortis minis* usa est, ut eam cum Carolo Bayer in matrimonio iungeret. *c)* Quod non modo die, quae nuptias praecessit, sed etiam *eadem nuptiarum die,* imo *dum ad civilem caeremoniam peragendam se conferebat,* tum verbis tum factis se nolle matrimonium

illud contrahere protestata sit, et solum ex timore violentar um, aliisque importunitatibus et vexationibus de victa, materialem suam praesentiam exhibuit, et eius lingua verba consensus vix modulata est.

Ceterum, *quod plurimi faciendum est,* Fortunatae matrimonium sub metu saltem, relative gravi, initum fuisse, *exitus infelix* ipsius matrimonii abundanter confirmavit, cum a primis diebus, imo a *primis matrimonialibus tractatibus* usque ad divortium, *rixae* et *contentiones* inter coniuges ortae sint, *nec* debitum coniugale Fortunata *sponte praestiterit;* imo omnia, ut ab *eo abstineret, tentarit.*

Utrum matrimonium inter Fortunatam et Carolum Bayer sex annorum cohabitatione sit revalidatum. *Negative* respondendum triplici de causa : 1. *quia praesumi non potest,* matrimonium in casu revalidatum fuisse ; 2. quia Fortunata matrimonium *revalidare non poterat ;* 3. quia etiamsi poneretur quod Fortunata revalidare potuisset suum matrimonium, illud tamen *de facto non revalidavit.*

Matrimonium in casu revalidatum praesumi non potest. Metus impedimentum dirimens matrimonium, etiamsi iuxta plures dicendum esset ex iure ecclesiastico constitutum ; ab Ecclesia tamen non relaxatur, profecto cum aequum non sit, iniuriam illatam confirmare atque approbare, idque efficere, ut timorem iniuste inferenti fraus et dolus patrocinetur. Verum, cessante metu, matrimonium revalidatur, si qui metum passus est, consensum adiicere intendat, et sic metum purget. Haec purgato metus in iure praesumitur si *pars, quae metum passa est per longum tempus sponte cohabitaverit :* ita Sánchez *l. 4, disp. 18, n. 3,* Reinffestuel *l. 4, t. 1, n. 336:* vel se *sponte copulam habeat,* quod ut ait Reinff. *l. c.* in foro externo praesumitur, nisi contrarium probetur, arg. cap. *Is qui fidem 30, t. 1, l. 4. Praesumptio tamen cedere debet veritati:* quare, si dum ex una parte non constat de consensus renovatione, ex alia vero parte *constet de coacta copula et habitatione;* prono alveo descendit, matrimonii revalidationem in casu *praesumi non posse.* Quod quidem

in praesenti themate contingit. Prae aliis hac de re plurimi facienda est Fortunatae confessio. Cum enim, ait Sánchez *lib. 1, disp. 45, dissensus in corde lateat,* alia via probari nequit nisi per coniugum confessionem, licet et aliae coniecturae adhiberi valeant. Si autem consensus renovatio non probetur, nil manet nisi ut ex libera copula et cohabitatione praesumi possit. At quia ex actis processualibus constat quod Fortunata neque copulam, neque cohabitationem libere praestavit, consequitur quod, praefata praesumptio locum habere non possit.

Hoc firmatur in actis civilis Tribunalis in causa separationis, quia quoad torum et mensam testes iurati deponunt, perpetuas inter coniuges Bayer fuisse rixas, ita ut saepe saepius Fortunata ex « *talibus violentus laesiones in corpore retulisset* ».

Itaque, si iuxta acta processualia, pacificam cohabitationem ac copulam defuisse manifestissime constat ; si tantummodo ex pacifica cohabitatione et copula, metus purgatur ; si omnes circumstantiae propriae casus nostri nullo modo suadent nec ipsam possibilitatem renovationis consensus, concludendum omnino videtur, quod matrimonium Fortunatae cum Carolo Bayer revalidatum non fuit *sex annorum cohabitatione,* idest toto tempore procedente a celebratione usque ad divortium a toro et mensa.

Neque Fortunata matrimonium revalidare poterat - In iure perspectum quidem est, renovatione consensus, matrimonium revalidari posse ; sed hac in re doctrina eorum tenenda videtur, qui ad hunc effectum exigunt, *ut quae pars metum passa est, matrimonium fuisse nullum, cognoscat* — Mansella *Be Imp. dirim. cap. 1, art. 4,* ReinfFèstuel, *I. 4, t. 18, n. 4,* docet : « Tale impedimentum (metus) tollere, novoque consensu matrimonium ratificare valent idque reipsa facere praesumitur, si conscii impedimenti praecedentis cohabitent ». Et in sequenti paragrapho: « ipsi coniuges non amplius audiuntur, si post acquisitam impedimenti notitiam adhuc carnaliter invicem se cognoscant » Et « ad hoc ut per

copulam vel cohabitationem matrimonium, ratione metus invalidum, ratificetur, requiritur ut *pars metum passa* sciret matrimonium fuisse nullum ». Quod videtur conforme etiam *Instructioni S. Congr. de Propag. Fide quoad, processus matrimoniales.* At qui credat, validum fuisse, ideoque, post consummationem, indissolubile matrimonium, quod reipsa ob metus impedimentum, validum non esset, non modo *non habet opportunitatem,* sed *neque Ubertatem reclamandi. Non quidem opportunitatem,* cum matrimonii solutio, maxime post unionem carnalem, impossibilis credatur ; consequenter nec *libertate?n,* cum ex subiectiva necessitate, idest ex ignorantia, in matrimonialis vitae consuetudine detineatur. Haec pars profecto cognoscit iniuriam sibi illatam : sed sicuti, reclamare nequit, qui iniuriam non cognoscit; ita nec qui, iniuriam cognoscens, illam reputet irreparabilem.

Itaque iuxta communem doctorum sententiam, ad hoc,ut matrimonium, nullum ob impedimentum metus, consensus renovatione revalidari possit, requiritur *ut pars, quae metum passa est, cognoverit matrimonium ob tale impedimentum esse nullum.* Sed in casu nostro ex actis processualibus eruitur, quod Fortunata *nuperrime tantum de matrimonii nullitate cogitavit ;* ergo matrimonium revalidare non poterat.

Fortunata etiamsi matrimonium revalidare potuisset, tamen illud non revalidavit: quia certi iuris est, ubi Trid. decretum « *Tametsi* » publicatum fuit, vel in locis ubi diu uti publicatum observatur, quod si forte aliquod matrimonium, ob impedimentum dirimens *publicum* sit nullum, revalidari non possit, *quin consensus coram parocho et testibus renovetur.* Quod etiam de impedimento metus dicendum est. Fagnanus cap. *De illis, de despons. imp.;* Barbosa *De off. et potest Epis. all. 32 n. 149 ;* Benedictus XIV, *Instr. 87, n. 6;* Reinff. *app. de disp), ab imp. § 13, n. 610.* Impedimentum autem dicitur *publicum dupliciter :* vel *quia a pluribus cognoscitur uti res notoria ;* vel quia *a paucis, sed talis conditionis, ut de secreto se 'vando mmime praesumi possit.* Ita

et Emus D'Annibale in Comment, ad Const. *Ap. sedis* ad cap. III. « Quare impedimentum dici potest *publicam* dupliciter; nempe *iuridice tantum;* aut *iuridice et de facto».* Utrumque in casu nostro invenitur, quia si personarum conditio inspiciatur, quae de metu gravi deposuerunt, inveniuntur plures *infimi generis,* et *ex sexu debili ;* qui nimis ad loquacitatem pronus est ; et quia notorietas constat ex earum attestationibus.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Anno 1867, mensis Maii die 2 Fortunata Jaubert, in aetate annorum undeviginti constituta, nupsit, servata sacrosancti Concilii Tridentini forma, Carolo Bayer, profugo Borussiae militi, quocum per sex annos maritalem vitam duxit.

Sed labente anno 1874, causata mariti saevitias, divortium cum eo fecit, auctorante laico magistratu ; a quo subinde ipsum civile matrimonii vinculum cassari, et die 26 Novembris 1886 cuidam Iulio Richaud se mancipari obtinuit.

Tandem anno 1887 ecclesiasticum adiit tribunal, matrimonium *vis. et metus* vitio infectum proclamavit : ac die 17 Iulii 1888 sententiam suis votis consonam assecuta est. Quam tamen sententiam lectissimus consultor theologus iure optimo merito parvipendi.

Non ego inficias eam matrimonium, quod in disputationem venit, Teresiae Long, Fortunatae matri potius, quam ipsimet Fortunatae, cordi fuisse. Hoc enim impune admittere possum. Ast *metus cadens in constantem virum,* Fortunatae illatus minime est, sin minus per ea, quae prostant in actis, haud probatur, ceu colligitur ex testium depositionibus.

Principio, non mihi obiicias minas, quibus Teresia conata est Fortunatam ad matrimonium, sive cum Carolo Bayer, sive cum aliis nescio quot adolescentulis ineundum, adducere. Propalam enim est Fortunatam eam esse quae impavide aspernabatur terrores verborum.

Huc accedit quod Fortunatae praesto erat pater. Qui in

hominem ineptum ex adverso traducitur eadem prorsus levitate qua hebes et mente capta habita est Teresia, quae a testibus omni exceptione maioribus nedum rationis compos, verum etiam apprime callida renuntiatur.

Rosa Long actricis matertera deponit quod mater vim faciebat filiae ut matrimonium iniret, et percutiebat eam ; ita ut misera puella suppliciis omnigenis subiecta fuerit. Sed rationem attestationis suae, seu *causam,* ut aiunt, *scientiae* minime profert : et proinde nihil probat, ceu tradit Leuren. *for. eccles, lib. 2* q. 640, n. 1.* Quid enim ponderis habere potest Rosae testatio, si ea, quae narrat, ab ipsamet Fortunata tempore suspecto accepit ? prout etiam monialis a s. Eligio, quae et ipsa factum urbani militis enarrat, sed recte adiicit : « *C'est Fortunée qui me Va dit ».*

Nec maiorem vim sibi na icisceretur Rosae narratio, si *de credulità f e* aut *de auditu alieno* loquatur. De regula enim generali testes huiusmodi minime admittuntur in negotiis in quibus, prouti in praesenti, requiruntur indubiae probationes, quemadmodum docet Leuren, *loc. cit. q. 612 num. 1 et seq, « cum communi ; siquidem tales testes non fundantur super ipso facto, sed super dicto tertii, et sic non testantur de sua prout requiritur, sed de aliena scientia ».*

Fortunata autem coactas nuptias asserere haud audet non solum post piam eae malum exitum habuerant, at etiam coram iudice, etsi tota in eo sit ut studium a matre in connubium impensum dicendo amplificet, passim tamen ea commemorat quae decantatum metum excludunt.

Breviter a declaratione me expediam quae Teresiae Long, actricis matri ascribitur. Ea enim declaratio edita est *die 25 Iunii 1888 :* id est postquam parochus Montgard, actricis patronus, qui declarationem scripsit, acta processus susque deque volutaverat. Quapropter nihil non timendum est ; quin patroni dignitas sacerdotalis in themate suffragetur.

Concludam : in probatis haud est, matrimonium, de quo agimus, vitio metus in constantem virum cadentis laborare. Nec in praesenti iudicio dirimi licet an fuerit morte alteru-

trius coniugis solutum, quia processus tabulae hac de re alte silent. Quod si hanc provinciam controversia ingrediatur, actorum moderatio et decisio causae non ad S. C. C. pertinet, sed ad S. Officii Congregationem, quippe quae idoneis praesidiis praestat ac leges habet huiusmodi inquisitionibus accommodatas.

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sententia curiae ecclesiastica apiensis confirmanda vel infirmanda sit in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 30 Maii 1891, censuit respondere: *Dilata et compleatur processus iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii.*

Ad normam huius instructionis iterum auditi fuerunt testes, prima vice citati, atque iterum propositum fuit diluendum supra relatum dubium ; cui S. C. C. sub die 23 Iulii 1892*censuit respondere: *Sententiam esse confirmandam.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Quando agitur de metu incusso puellis ad extorquendum consensum in matrimonium, plura esse relinquenda prudenti arbitrio iudicis ; ut in singulis casibus iudicium efformet, utrum metus gravis dici queat, attenta indole et adiunctis patientis et inferentis metum.

II. Ad infirmandum matrimonium sufficere metum relative gravem ; cuius gravitas non solum a criteriis absolutis, sed pluries a criteriis relativis pensitanda venit.

III. Ex iure exigi, ut quilibet matrimonium contrahens plena gaudeat securitate, ne per timorem dicat sibi placere quod odit.

IV. In casu particulari metum per se levem fieri posse relative gravem, si producat gravem mentis trepidationem, quae valde minuit voluntarium.

V. In themate dici posse videtur, matrimonium nullum fuisse, non tam ex metus causa, quam ex metus effectu ; qui fuit gravis animi trepidatio, incussa a causa extrinseca et iniusta, ad extorquendum consensum.

NOLANA

ANNUAE PRAESTATIONIS

Die 9 Aprilis 1892.

Sess. 25 cap. 2 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Vergente ad exitum mense Maio praeteriti anni, Episcopus Nolanus, quorumdam dubiorum solutionem expostulans, haec inter cetera S. C. exponebat : Capitulum cathedrale Nolae ab *immemorabili* solitum fuisse offerre Antistiti viginti ducatos sub termino cuiuslibet anni; quorum 14 pro Episcopo, 6 pro domesticis eius. Ex regestis Capituli patet consuetudinem hanc, ortam anno 1678 pervenisse ad annum 1889, paucis exceptis annis. Capitulum anno 1890 perempsit hanc praestationem. Episcopus vero quaerit utrum post habere possit novam hanc praxim *tuta conscientia* vel ad solutionem Capitulum cogere.

Huic Episcopi percontationi rescriptum fuit, ut Capitulo congruum praefigeret terminum, intra quem aut praestationem solveret, aut argumenta coram S. C. C. deduceret, quibus ius suum ad eam denegandam inniti putaret. Tum Capitulum in conventu diei 14 Iulii in suscepto consilio perseverandum duxit, ac, aliqua interiecta mora, rationes protulit quibus motus ad deliberationem devenerat. Hae autem, ut inferius patebit, ex spontaneae praestationis natura, nec non ex imminutione capitularium redituum petebantur. Addebant insuper canonici se praestationis abolitionem decrevisse, quo tempore Nolana Ecclesia pastore suo viduata erat, eo quia ostendere volebant sese haud odio vel malo animo aut malignitate in Ordinarium agere; sed hoc fecisse, ut consulerent propriae egestati.

Episcopus vero mentem suam allatis a capitulo rationibus haud favorabilem pandidit, et conatus est destruere argumenta, quibus inniti voluit Capitulum.

Disceptatio Symoptica.

DEFENSIO CAPITULI. Capituli sententia est, quod in themate praestatio huiusmodi ab immemorabili persoluta dici nequeat. Nam etsi quis dicere valeat, consuetudinem exordire ab anno 1678, quia alia desunt regesta quibus notari potuisset, respondetur, dari etiam posse quod haec regesta non continerent hanc consuetudinem; atque in dubio, cum de re odiosa agatur, sibi favendum Capitulum putat. Iamvero certum est, dato initio, amplius dari non posse immemorabilem, sed tantum centenariam, ad ea quae habet Pitonius *De Controv. Patr. Alleg. 5 n. 6.*

Verum hic neque centenariam Praesuli suffragari autumant canonici , eo quia de praestatione spontanea agitur ex qua proinde nullimode obligatio posset exurgere. Et re quidem vera plane prostat in utroque iure axioma quod in facultativis non datur praescriptio. Vesembacius *in Danel, lib.. 4.1 tit. 3 n. 10.* Bartolus *in I.* Cum *notissimi Cod. De Praescript. 30 annor.* Abbas *in Cap. Quoniam § ult. Ut lit. cont.* et S. C. in Neapolitana seu Aversana *Iuris confortagli diei 8 Februarii 1716 dub. 1 et 2* apud Zamboni *collect, in verbo Sodalitium* § 7 *num. 20.* Porro id in primis erui contendit Capitulum ex verbis *in f erta* seu *offerta*, quibus constanter in libris capitularibus praestatio adnotata reperitur; quae vox indicat oblationem sponte et gratis exhibitam, non ex iustitiae onere.

Hinc non licet indolem immutare huius oblationis, quae omnino facultativa est; et dari aut denegari libere potest.

Haec insuper confirmari putant canonici ex quantitate praestationis, de qua controvertitur; quae haud semper una eademque fuit, sed admodum varia. Oblata enim pecuniae summa quae nuper in ducatis 20 numerari solebat, alias gradatim ad ducata 34 et amplius auctam fuisse, aliquando vero vix 14 attigisse, ex iisdem libris capitularibus constare edicunt. Accedit etiam oblationem huiusmodi numquam inter reditus mensae episcopalis in administrationis libris adnota-

tam reperiri, quod certe non evenisset, iuxta Capitulum, si de coacta praestatione ageretur. Oblationem vero, contra ea quae retulit Antistes, non a canonicis simul apud Episcopum convenientibus, sed a camerario persolvi consuevisse ipse administator mensae episcopalis profitetur.

Ulterius quoad tempus quod fluxit ab anno 1803 ad annum 1823 in quo canonici ab annua oblatione praestanda abstinuerunt, animadvertit Capitulum, verbum *rilasciata* quatuor tantum vicibus fuisse in libro adnotatum; in reliquis vero haec scripta inveniri: haud ponitur in exitu huius anni oblatio Episcopi, Vicarii etc. atque ibi xenia ceteris dari solita deficere. Abolitionis autem causam assignat vel Regis decreta *21 Februarii 1740* et *26 Iulii 1779 art. 20 nn. 2, 3,* in quibus vetitum Episcopis fuisse asseritur exigere a capitularibus xenia aut alias praestationes tempore Nativitatis Domini, vel *art. IX De Avaritia pag. 79* Synodi quae postrema fuit Dioecesis nolanae, ubi Episcopus Tarrusio decernebat: « coactas praestationes, quae in obsequium Sedis Episcopalis fieri solebant in Natali et Paschate Resurrectionis D. N. I. Ch. sicut a principio huius nostri praesulatus abolitas declaramus, ita in praesentiarum confirmamus. » Neque obstare autumant quod paulo post synodum, iterum praestatio soluta est. Namque id factum fuisse opinantur, vel quia capitulum habuit oblationem doni instar, omnino spontanei et ideo legi dioecesanae non subiectum, aut quia capitulum et Episcopus certarunt in violatione legis.

Verum potius tenendum, Episcopum synodi legislatorem res ad iuris communis tramites reducere voluisse. Idcirco memorant huiusmodi oblationes, quae novum onus beneficiis imponerent, nedum generatim reprobari *lib. 3 tit. 12. Decretalium,* sed expresse a Pignatelli *tom. 9 Consult. 144.* Ursaya *Inst. lib. 2 tit. 2 n. 46.* ubi afferri dicunt decretum quoddam S. C. EE. et RR. « quod Episcopus non debeat nec possit recipere dona seu munera a suo clero. » Ceterum notum est, Benedictum XIII in Concilio Romano *Cap. 4.*

tit. 8 constituisse : « quod si forte aliquid sub alio vel uxorum munerum vel xeniarum nomine offeratur, decernimus ut ab Episcopis tamquam qui non praemium, sed honorem postulant, munera et xenia recusentur huiusmodi. » Unde concludi posse videretur, vel huiusmodi praestatio coacta est, et quatenus talis tum a lege generali cum a particulari Synodi Nolanae aperte improbatur; vel ex libera Capituli voluntate pendet, et tunc canonici ad solutionem cogi nequeunt.

Demum nonnulla alia haud silentio praetereunda censet Capitulum : nam oblatio nedum subiecta fuit vicissitudinibus, sed episcopali sede vacante nemini collata fuit. Si fuisset obligatio rependi debuisset administrationi dioecesanae , vel successori Antistiti, et his temporibus Oeconomo civili. Praeterea cum eadem praestatio a parochis dioecesis quoque exhiberi solita fuerit, utraque videretur eiusdem fuisse naturae. Ast, si Capitulum audiamus, Antistes contentus fuit ut iurarent esse donum, minime vero praestationem Mensae episcopali factam, et licet fere dimidia parochorum pars, oblationem haud amplius illi rependat eos ad solutionem numquam adegit. Atque haec omnia eo magis perpendenda vult quia praebendae capituli parvissimae sunt.

DEFENSIO EPISCOPI. Nihilominus ex altera parte haud inficiandum esset haberi in themate consuetudinem immemorabilem; cum ex eo quod libri capitulares ante an. 1678 deficiant nullimode inferri queat ante hoc tempus praestationem haud fuisse persolutam. Quin imo, cum iuxta Card. De Luca *De Regal, disc. 47 n. 4, et disc. 144. n, 9. et De Regid, disc. 2. n. 18.* etc. praecipuum requisitum immemorabilis sit, ut non constet de eius initio contrario, allatum argumentum optime retorqueretur. Praeterea tamen tralatitium in iure est, ex Rota in *Romana Oblationem 25 Ianuarii 1725* § 5. S. C. in Avenionen. *Cappellaniae 16 Septembris 1780,* non modo observantiam immemorabilem, sed etiam centenariam inducere cuiuscumque melioris et potentioris tituli praesumptionem, videlicet pacti, privi-

legii et ipsius apostolici beneplaciti. Et « praeter haec, siquid aliud exoptas, ex possessione centenaria sunt praesumenda », ut ait Rota in *Praenestina 23 Martii 1819 p: 3 cor. Martines.*

Nec opportune forsan hic invocari posset iuris principium, quod in facultativis non datur praescriptio; siquidem cum ex superius expositis praesumptio favere Episcopo videatur, spontanea praestationis natura a Capitulo concludenter evinci debuisset. Hanc vero praesumptionem roborant regia decreta annorum 1740 et 1779, quibus, ut canonici retulerunt, xenia ab Episcopis recipi vetitum fuit. Etenim ne dicamus legem bis promulgatam statim effectu caruisse, tenendum esset praestationem hanc, quam Episcopus exigere et Capitulum exhibere non obstante prohibitionem perseveravit, inter facultativas minime accenseri, sed potius ex alio titulo obligationem inducente fuisse derivatam. Post haec autem inutile foret de nomine, quod oblationem spontaneam praeseferret, disputationem instituere : nam, teste De Luca *De er ed. disc. 91 nn. 4 et 6 et disc. 104 n. 6* rei substantiam prae cortice et figura verborum est attendenda. Ceterum sive relate ad hoc, sive quoad alias exceptiones, quae ex libris capitularibus oggeruntur, animadvertendum esset agi de privatis scripturis, quae si probant contra scribentem, regulariter in eius favorem allegari nequeunt, praesertim concurrentibus contrariis adminiculis, ut habet praefatus Card. De Luca *De iud. disc. 30 nn. 12, 18 etc.*

Ulterius, dato etiam quod huiusmodi praestatio ex liberalitate ortum habuerit, et titulo oblationis seu xeniae persolvi consueverit, haud tamen legitime inde argui posset fas esse Capitulo ab immemorabili observantia resilire. Praxis enim docet quandoque oblationes etiam obligationis naturam induere, idque forsan deduceretur ex Pitonio, *Discept. 51. n. 8.* cum de xeniis, quae iuxta morem a Cardinalibus promotis cubiculariis Papae dari solent, loquitur. Verum huiusmodi oblationes, dummodo non fiant tempore visitationis,

haud iure vetitas esse, non obscure innuit Benedictus XIV *De Syn. dioec. lib. 5 cap. 6. nn. 4. 5.*

Tandem reliqua a Capitulo obiecta ita Episcopus diluere nititur : apud Capitulum existere non posse acceptilationem huius oblationis, neque in libris administratoris episcopalis relatam fuisse, quia capitulum ipsum deponebat in manibus Episcopi hanc oblationem dum ultima anni die urbanitatis gratia eumdem inviseret. Quod si, paucis annis post Synodum, oblatio haec exhibita fuit, nempe ab anno 1819 ad annum 1889, dicendum est, eamdem habitam non fuisse ceu coactam praestationem , et ideo non comprehendi in prohibitione synodali. Animadvertit etiam hanc oblationem datam non fuisse vacante sede dioecesana, quia oblatio respiciebat Episcopum eiusque domesticos. Quoad praebendas pauperes adduxit Episcopus paupertatem suae mensae episcopalis. Quoad oblationes parochorum, ait Episcopus, satis fuit pro nunc exigere iuramentum, quum deficerent gravia documenta quae adsunt in praesenti quaestione; attamen paratus eram rogare sententiam S. C. C. etiam super hoc, quando esset resoluta praesens quaestio cum capitulo.

Hisce utrinque animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An a Capitalo Cathedralis nolanae annua praestatio Episcopo solvenda sit in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Congr. re visa sub die 9 Aprilis 1892, censuit respondere : *Negative.*

OLUSINA et PIENTINA

IURIS NOMINANDI DEPUTATOS SEMINARII

Die 23 Iulii 1892.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Clusinus et Pientinus Episcopus in relatione ad S. C. C. transmissa sub die 22 Ianuarii decurrentis anni super statu utriusque ecclesiae sibi concreditae, sequentia in capite *IX. de Postulatis* exposuit: « Synodus Tridentina constituit pro recta administratione bonorum Seminarii, formandum esse Consilium quatuor virorum de Clero Cathedralis, partim ex electione Episcopi, partim ex electione Capituli : antecessores mei quatuor deputatos per semet nominare consueverunt, duos scilicet ex Capitulo cathedralis Pientinae, et duos ex Capitulo ecclesiae Clusinae.

« Quaero, an mihi liceat sequi hanc praxim. »

Requisitus vero idem Episcopus ut doceret, a quo tempore enunciata praxis inoleverit, et quibusnam de causis praesumatur inducta, haec ad rem ulterius retulit : praxim eligendi in deputatos Seminarii Pientini duos Canonicos huius Cathedralis et duos ex Cathedrali Clusina coevam esse Seminario, cuius origo iam saecularis est.

Praxim hanc vigere etiam nunc, quia Seminarium erectum fuit pro duabus Dioecesibus; hinc rationabile visum est, Canonicos quoque clusinae Dioecesis partem habere in administratione huius instituti, quia utraque Dioecesis sentit onus expensarum, quibus consulit per redditus Conventorum suppressorum in utraque Dioecesi. Proinde nunc difficile esset Tridentinae obsequi prescriptioni; nam si deputati eligendi essent tantum inter capitulares pientinos, adiungi nequirent, ob deficientiam duo de clero civitatis, neque parochorum collegium, extra civitatem defectui consulere posset.

Disceptatio Synoptica

Porro manifesta lex est a Tridentinis Patribus statuta pro deputatis seminariorum in *cap. 18 sess. 23 De reform.* -ibi- «Et quia ad collegii fabricam instituendam, et ad mercedem praeceptoribus et ministris solvendam, et ad alen-

dam iuventutem, et ad alios sumptus certi reditus erunt necessarii... iidem Episcopi cum consilio duorum de capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso capitulo eligatur, itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad clerum pertineat... » Ex qua lege plane datur intelligi, ius illud quod capitulo et clero tribuitur ad suos deputatos eligendos non aliter sartum tectumque esse, quam illud quo Episcopus in suis pariter eligendis deputatis perfruitur. Et si finis legis intimius inspiciatur, non tantum honor, sed et onus etiam huiusmodi ius existimari deberet singulis electoribus indictum ad rectam Seminarii administrationem ordinatum, et ita vel a clero vel a capitulo inde, pendens, ut nec si vellet sese ab illo alteruter posset exsolvere, nisi ad electionem quoties casus contigerit de veniendo.

Non levis proinde exurgit difficultas contra praxim ab Episcopo superius allatam. Haec siquidem non solum invecta esset contra Tridentini decreta, quae quamcumque contrariam consuetudinem respuunt et irritant, Constit. S. M. Pii IV *In Principis Apostolorum,* sed insuper irrationabilis videtur, ex eo quod inconveniens apparet, ut Episcopus omnes eligat deputatos, quos ipse deinde in administratione Seminarii consulere tenetur.

Attamen rogati sunt Emi Iudices peculiaria casus adiuncta perpendere, quae ferunt, ut unicum habeatur seminarium pro utraque Dioecesi, quamvis ex Tridentina lege *singulae cathedrales* etiam unitae aeque principaliter suum habere debeant seminarium ; utque Pientinae civitatis, ubi nunc est praefatum seminarium, deficiat clerus, dum et altera cathedralis ecclesia in seminarii administratione interesse ceteroquin habeat. Quomodo haec cum Tridentino, decreto *cap. 18 sess. 23.* componi valeant, vel permitti aut tolerari remissum fuit statuere Emis Patribus.

Quibus animadversis, quaesitum est quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re visa sub die 23 Iulii 1892 censuit respondere: *Attentis peculiaribus circumstantiis, iisque perdurantibus, duo deputati eligantur ab Episcopo et duo alii a respectivis capitulis Clusino et Pientino.*

EX 3. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

COLONIEN.

POSTULATUM CIRCA NOVITIOS AUT PROFESSOS VOTORUM SIMPLICIUM.

Die 19 Augusti 1892.

COMPENDIUM FACTI. Archiepiscopus Colonien, et alii Borussiae Episcopi in civitate Fuldensi ad S. Bonifacii cineres de more congregati, de iis deliberaturi, quae ad cuiusque Dioecesis bonum conducere possunt, S. C. Episc, et Regul. exposuerunt difficultates et incommoda, quae ipsi experiuntur ex facto religiosorum, qui postquam ad ordines sacros evecti sunt, vita religiosa rite dimissa, ad patrios lares redeunt, et, ut clero suae quisque Dioeceseos pleno iure adnumerentur, praetendunt.

Incommoda, de quibus Episcopi queruntur, in eo consistunt, quod religiosi illi ex Instituto egressi et in suam Dioecesim reversi, saepe oneri sunt propriis Episcopis, ex eo quod hi, dum ex una parte eos in suum clerum admittere tenentur, ex altera iisdem uti non possunt, quia saepe saepius idonei non sunt sive ad sacrum ministerium exercendum, sive ad docendum in Gymnasiis, utpote qui plerumque destituti sunt conditionibus ac titulis a lege civili requisitis, et aliunde media non habent honestae substentationis sibi procurandae.

Media occurrendi huiusmodi incommodis haud deesse Oratores autumant, eademque in tribus articulis distincta proponunt, qui sic sonant.

1. Ut tam Religionibus, quam ceteris Institutis religiosis lege interdicatur, ne alumnos suos ad sacros ordines evehere faciant, priusquam sive professionem, sive vota simplicia quidem sed perpetua emiserint, sive alio modo Religioni vel Instituto perpetuo aggregati fuerint.

2. Ut tam Religiones proprie dictae, quam Instituta religiosa quaecumque omnium alumnorum, qui post ingressum in Religionem vel Institutum ad sacros Ordines promoti et postea egressi sunt, sustentationem praestare teneantur, usque dum Episcopus aliquis eosdem Dioecesi suae incardinaverit.

3. Ut ii quoque, qui vota simplicia quidem, sed perpetua emittunt, aeque ac professi votorum solemnium a iurisdictione Episcoporum perpetuo subtrahantur.

Disceptatio Synoptica.

Consultor, cui *pro voto* res commissa fuit, antequam disceptationem super singulis articulis instituat, observat incommoda, de quibus Episcopi loquuntur Ordines regulares haud respicere , in quibus vota solemnia emittuntur. Huiusmodi enim Ordinibus , primum a S. Pio V, deinde a fel. mem. Pii IX , tertio tandem a SSmo Domino Nostro Leone XIII provisum fuisse asserit.

Ac praeprimis a S. Pio V consultum fuisse ait, per constitutionem *Romanus Pontifex,* qua cavetur « ne cuiuscumque Ordinis religiosi clerici sive saeculares more religiosorum viventes in communi, non professi, ad sacros Ordines promoveantur, nisi observata forma decreti Tridentini, sess. 21, cap. 2, de Reform., hoc est nisi habuerint ordinationis titulum *a titulo paupertatis,* quam nondum professi sunt, vel *a titulo mensae communis,* ad quam nondum ius perpetuum habent diversum ».

Consultum fuisse, secundo loco, ait, a fel. rec. Pii IX. primum anno 1857 per decretum *Neminem, latet,* et deinde anno 1858, tum cum proposito dubio: An professi votorum simplicium, ante emissam professionem, ad sacros ordines promoveri possent? authenticis declarationibus, art. VII, respondit : huiusmodi professos ad sacros ordines promoveri non posse. Ex quo responso, erui inquit, quod ius a S. Pio V stabilitum pro Novitiis Ordinum regularium nondum professis, extensum fuit sub Pio IX ad Professos votorum simplicium eorumdem Ordinum.

Quod si post datas huiusmodi dispositiones Pius IX, gravibus incommodis viam aperiendo, per indultas dispensationes concessit, ut iustis urgentibus causis, praecipue conscriptione militari, Professi votorum simplicium ad ordines maiores ante emissam solemnem professionem promoverentur : Consultor animadvertit huiusmodi incommodis nuperrime obicem parasse SS- Dominum Nostrum Leonem XIII constituendo, ut, loco dispensationum, quae a fel. mem. Pii IX concedi solebant, simpliciter Professi, iustis concurrentibus rationibus, nondum expleto tyrocinii triennio professionem solemnem anticipare valerent.

Ex mox citatis dispositionibus cum luce meridiana pateat incommoda, de quibus Episcopi quaestus movent, quoad Ordines religiosos, in quibus emittuntur vota solemnia, seposita Societate Iesu, disparuisse; Consultor censet quoad hos nova legislatione opus haud esse.

Hisce generatim annotatis ac perpensis, Consultor gradum facit ad singulos articulos examini subiiciendos ab Episcopis pro ipsorum approbatione propositos. Et incipiens a primo articulo, superius relato, Consultor putat hunc approbari posse, dummodo post verba : *ad sacros ordines evehere faciant,* addatur incisum : *titulo paupertatis, seu mensae communis.* Hoc addito inciso, iuxta Consultoris sententiam, articulus bene habet; sed subdit ex animadversionibus generalibus superius relatis manifestum fieri, satis provisum esse iure iam constituto, ideoque opus non esse, ut ad novam legem recursus fiat.

E contra non admittit, imo penitus repellit, utpote intrinsece malum et perniciosissimum remedium in articulo secundo relatum, iuxta quod Ordines regulares obligati essent alimenta praestare Religiosis post susceptos ordines sacros a Religione egressis, usque dum Episcopus aliquis eosdem Dioecesi suae incardinaverit. Quandoquidem animadvertit, quod hi Religiosi de victu securi, neque Episcopum quaererent, cui subiicerentur, neque Dioecesim cui utile praestarent servitium, imo laboriosum officium quodcumque oblatum respuerent, dulce otium prae ferentes molestis curis, vigiliis et fa-

tigationibus, atque mallent suo indulgere genio, quam alicuius Episcopi obedientiae subiici. Idque cum gravissimo ipsorum Religiosorum detrimento et s. matris Ecclesiae dedecore.

Loco itaque praedicti articuli secundi, Consultor existimat malis et incommodis, de quibus loquuntur Episcopi, efficace remedium porrigi posse, extendendo Institutis religiosis votorum simplicium easdem normas et dispositiones, quae pro Ordinibus regularibus votorum solemnium sancitae sunt. Hinc quoad dispensandos a votis, proponit, quod non concedatur dispensatio a votis in Instituto emissis, Religiosis qui ad ordines sacros *titulo mensae communis* promoti fuerunt, nisi prius Episcopi testimonium exhibuerint, qui velit, cum requisitis conditionibus, eos in suum clerum recipere, vel aliquod documentum detulerint, ex quo appareat, titulum patrimonialem ad honestam sustentationem sibi constituisse. Quod si aliquando contingat, ut concedi debeat dispensatio, quin alterutra adsit conditio, suggerit ut dispensato interdicatur exercitium sacrorum ordinum, donec alterutrum honestae sustentationis medium sibi comparaverit.

Quo vero ad admittendos , si isti utroque sustentationis medio destituti sunt, et nihilominus dimissio est decernenda,. Consultor putat S. Congregationem iure examinis contradictorii uti debere ac iudicare, num Instituto imponenda sit pensio, vel non. Si primum, pro sua iustitia et aequitate, pensionis quantitatem et durationem determinet. Si secundum , dimissionis decreto adiungat suspensionem ab exercitio sacrorum ordinum, saltem donec ab aliquo Episcopo in suum clerum receptus fuerit, vel titulum patrimonialem sibi constituerit. Nisi culpa, ob quam dimissus fuit, sit adeo gravis, ut suspensionem perpetuam exigat.

Tandem relate ad tertium articulum, ut ii quoque qui vota simplicia quidem, sed perpetua emittunt, aeque ac professi votorum solemnium a iurisdictione Episcoporum perpetuo subtrahantur; Consultor praefatum articulum probabilem credit hoc sensu intellectumut, quemadmodum saecularizati vel expulsi ex Ordinibus regularibus non imponuntur Episcopis

originis, ita nec ad ipsos remittantur et imponantur cum dispensatione egressi, vel quacumque ex causa ab Institutis votorum simplicium dimissi.

Nihilominus haud putat hunc articulum fore necessarium, si superius ab eo animadversa adoptentur. Satis enim tum provisum esset, nec egressi vel dimissi oneri essent Episcopis vel dedecori statui ecclesiastico. At quomodocumque res resolvi velit, existimat fore excipienda Instituta mere dioecesana; ex eo quod sacerdotes in iis orlinati, non minus quam Sacerdotes cleri saecularis ad Episcopum pertinent.

Ultimo tandem loco animadvertit, media, de quibus in praecedentibus articulis sermo est, non esse extendenda Patribus Societatis Iesu, ex eo quod hi specialia habent privilegia, vi quorum socios in ea ad sacros ordines promotos dimittere possunt, quin alimenta iisdem praestare teneantur, etiamsi aliunde honestae substentationis media non habeant, uti probant La Croix et P. Zaccaria tr. *de Sacram. Ordinis* ad n. 2196 etc.

Animadversionibus a Consultore expositis, per summa capita delibatis, proposita fuerunt enodanda sequentia

Dubia

I. *An tam Religionibus, quam ceteris Institutis religiosis lege inter dicatur, ne alumnos suos ad sacros Ordines evehere faciant, priusquam sive professionem, sive vota simplicia quidem, sed perpetua emiserint, sive alio modo Religioni vel Instituto perpetuo aggregati fuerint?*

II. *An tam Religiones proprie dictae, quam Instituta religiosa quaecumque omnium alumnorum, qui post ingressum in Religionem vel Institutum ad sacros ordines promoti et postea egressi sunt, sustentationem, usquedum Episcopus aliquis eosdem Dioecesi suae incardinaverit, praestare teneantur?*

III. *An ii quoque, qui vota simplicia quidem, sed perpetua emittunt, aeque ac Professi votorum solemnium a iurisdictione Episcoporum subtrahantur.*

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, re discussa, in plenariis comitiis diei 19 augusti 1892 respondere censuit: *Iuxta propositionem E*~?i *Cardinalis Sepiacci, cum animadversionibus Emi Praefecti.*

Verumtamen rei necessitati S. Congr. Ep. et Reg. consuluit sequens edendo

DECRETUM

Auctis admodum ex singulari Dei beneficio votorum simplicium Institutis, uti multa inde bona oriuntur, ita aliqua parit incommoda facilis alumnorum huiusmodi societatum egressus et consequens ex iure constituto, regressus in dioecesim originis. Haec autem graviora efficit temporalium bonorum inopia, qua nunc Ecclesia premitur, unde Episcopi saepe providere nequeunt ut illi vitam honeste traducant. Haec, aliaque id genus, etiam de alumnis Ordinum votorum solemnium, perpendentes nonnulli Sacri locorum Antistites, pro Ecclesiastici ordinis decore et fidelium aedificatione, ab Apostolica Sede enixis precibus postularunt, remedium aliquod adhiberi. Cum ergo totum negotium SSmus D. N. Leo PP. XIII detulisset Sacrae huic Congregationi Episcoporum et Regularium Negotiis et Consultationibus praepositae, Emi Patres in Conventu Plenario habito in Vaticanis aedibus die 29 mens. Augusti anni 1892, praevio maturo examine ac discussione, perpensaque universa rei ratione, opportunas edere censuerunt dispositiones per generale decretum ubique locorum perpetuis futuris temporibus servandas. Quas cum SS. D. N. in Audientia d. 23 Sept. huius anni 1892 infrascripto Secretario benigne impertita probare et confirmare dignatus fuerit, ea quae sequuntur per praesens decretum apostolica auctoritate statuuntur et decernuntur.

I. Firmis remanentibus Constitutione S. Pii V diei 14 Oct. anni 1568, incipient. *Romanus Pontifex*, et declaratione sa. me. Pii PP. IX edita die 12 mens. Iunii anni 1858, quibus Superioribus Ordinum Regularium prohibetur, ne litteras dimissoriales concedant Novitiis aut professis votorum simplicium triennalium, ad hoc ut titulo Paupertatis ad SS. Ordines promoveri valeant, eaedem dispositiones extenduntur etiam ad Instituta votorum simplicium, ita ut horum Institutorum Superiores non possint

in posterum litteras dimissoriales concedere pro SS. Ordinibus, vel quomodocumque ad sacros Ordines alumnos promovere titulo Mensae communis, vel Missionis, nisi illis tantum alumnis, qui vota quidem simplicia, sed perpetua iam emiserint, et proprio Instituto stabiliter aggregati fuerint; vel qui saltem per triennium permanserint in votis simplicibus temporaneis quoad ea Instituta quae ultra triennium perpetuam differunt professionem. Revocatis ad hunc effectum omnibus indultis ac privilegiis iam obtentis a S. Sede, necnon dispositionibus contrariis in respectivis Constitutionibus contentis, etsi tales Constitutiones fuerint a S. Sede Apostolica approbatae.

II. Hinc notum sit oportet de generali regula haud in posterum dispensatum iri, ut ad Maiores Ordines alumnus Congregationis votorum solemnium promoveatur, quin prius solemnem professionem emiserit, vel per integrum triennium in votis simplicibus perseveraverit, si alumnus Instituto votorum simplicium sit addictus. — Quod si interdum causa legitima occurrat, cur quispiam Sacros Ordines suscipiat, triennio nondum expleto, peti poterit ab Apostolica Sede dispensatio, ut Clericus vota solemnia nuncupare possit, quamvis non expleverit triennium; quoad instituta vero votorum simplicium, ut vota simplicia perpetua emittere possit, quamvis non expleto tempore a respectivi Instituti Constitutionibus praescripto pro professione votorum simplicium perpetuorum.

III. Dispositiones contentae in decreto S. C. Concilii iussu sa. me. Urbani VIII edito die 21 Septembris 1624 incipien. *Sacra Congregatio*, ac in decreto eiusdem S. C. iussu sa. me. Innocentii XII edito die 24 mens. Iulii anni 1694, incipien. *Instantibus*, ac in aliis decretis generalibus, quibus methodus ordinatur a Superioribus Ordinum Regularium servanda in expellendis propriis alumnis, nedum in suo robore manent, sed servandae imponuntur etiam Superioribus Institutorum votorum simplicium, quoties agatur de aliquo alumno vota simplicia quidem sed perpetua professo, vel votis simplicibus temporaneis adstricta ac in sacris insuper Ordinibus constituto dimittendo: ita ut horum neminem et ipsi dimittere valeant, ut nunc dictum est nisi ob culpam gravem, externam, et publicam, et nisi culpabilis sit etiam incorregibilis. Ut autem quis incorregibilis revera habeatur, Superiores praemittere debent, distinctis temporibus, trinam admonitionem et correctionem ; qua nihil proficiente,

Superiores debent processum contra delinquentem instruere, processus resultantia accusato contestan, eidem tempus congruum concedere, quo suas defensiones sive per se, sive per alium eiusdem Instituti religiosum, exhibere valeat; quod si accusatus ipse proprias defensiones non praesentaverit, Superior, seu Tribunal, defensorem, ut supra, alumnum respectivi Instituti ex officio constituere debebit. Post haec superior cum suo Concilio sententiam expulsionis aut dimissionis pronuntiare poterit, quae tamen nullum effectum habebit si condemnatus a sententia prolata rite ad S. C. EE. et RR. appellaverit, donec per eamdem S. C definitivum iudicium prolatum non fuerit. — Quoties autem gravibus ex causis procedendi methodus supradicta servari nequeat, tunc recursus haberi debeat ad hanc S. C. ad effectum obtinendi dispensationem a solemnitatibus praescriptis, et facultatem procedendi summario modo iuxta praxim vigentem apud hanc S. C.

IV. Alumni votorum solemnium, vel simplicium perpetuorum, vel temporalium in Sacris Ordinibus constituti, qui expulsi vel dimissi fuerint, perpetuo suspensi maneant, donec a S. Sede alio modo eis consulatur; ac praeterea Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint.

V. Qui in Sacris Ordinibus constituti et votis simplicibus obstricti sive perpetuis,., sive temporalibus, sponte dimissionem ab Apostolica Sede petierint et obtinuerint, vel aliter ex Apostolico privilegio a votis simplicibus vel perpetuis vel temporaneis dispensati fuerint, ex claustro non exeant, donec Episcopum benevolum receptorem invenerint, et de ecclesiastico patrimonio sibi providerint, secus suspensi maneant ab exercitio susceptorum Ordinum. Quod porrigitur quoque ad alumnos votorum simplicium temporalium, qui quovis professionis vinculo iam forent soluti, ob elapsum tempus quo vota ab ipsis fuerunt nuncupata.

VI. Professi tum votorum solemnium., tum simplicium ab Ordinariis locorum ad Sacros Ordines non admittantur, nisi, praeter alia a iure statuta, testimoniales litteras exhibeant, quod saltem per annum sacrae theologiae operam dederint, si agatur de subdiaconatu, ad minus per biennium, si de diaconatu, et quoad presbyteratum, saltem per triennium, praemisso tamen regulari aliorum studiorum curriculo.

Haec de expresso Sanctitatis Suae mandato praefata Sacra Congregatio constituit atque decernit, contrariis quibuscumque, etiam speciali et individua mentione dignis, minime obstantibus.

Datum Romae, ex Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, die 4 novembris 1892,

I. CARD. VERGA *Praef.*

f Ios. M. ARCH. CAESARIEN. *Secretarius.*

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

DUBLINENSIS. De Invocationis SSmi. Nominis Iesu pro assequenda Plen. Indulg. in mortis articulo.

Gulielmus Archiepiscopus Dublinensis et Hiberniae Primas, sequentis dubii declarationem enixe petit:

Nuperrime exarsit inter nostrates controversia de re, quae cum Sacerdotum, qui moribundi auxilium ferunt maxime intersit, haud levem excitat animorum perturbationem. Agitur de Benedictione in Articulo mortis cum Indulgentia Plenaria, concessa a S. M. Benedicto XIV in Const. d. d. 5 Apr. 1747, quae incipit « *Pia Mater* ». et quaeritur utrum in locis Missionum ad lucrandam huiusmodi indulgentiam requiratur tamquam conditio essentialis ut infirmus, quamdiu suae mentis est compos, invocet nomen Iesu ore, si potuerit, sin minus corde.

Quidam autumant huiusmodi invocationem oralem sive mentalem pro diverso moribundi statu esse conditionem essentialem ad assequendam praefatam Indulgentiam; et huic aiunt suffragari sententiae responsionem datam a S. C. Indulgentiarum die 20 Sept. 1775 (Prinziv. n. 357, ad 7.)

Qui vero negant laudatam invocationem esse in locis Missionum conditionem sine qua non ad consequendam praefatam indulgentiam, notant facultatem eam largiendi concessam 'fuisse sacrorum Antistitibus in locis Missionum existentibus, seu quocumque tempore extituris a S. M. Clemente XIV. die 5 Apr. 1772. Secretarius S. C- de Prop. Fide tunc temporis existens refert tenorem huiusmodi concessionis, et ipsa concessionis verba pro-

stant in pagella facultatis pro Episcopis in locis Missionum constitutis a S. G. de Prop. Fide in praesentiarum data.

Iamvero hisce Pontificis verbis ante oculos positis, fautores sententiae negantis advertunt: 1. Pontificem nihil exigere nisi ut « servetur formula praescripta a s. m. Benedicto XIV in Constitutione d. d. Aprilis 1747, quae incipit « *Pia Mater.* » At vero in huiusmodi formula nullibi invenitur praescripta invocatio Nominis Iesu: docent 2.; responsionem S. C Indulg. ius quidem edere pro illis orbis partibus, ubi Episcopi accipiunt facultatem impertiendi hanc Benedictionem cum Indulgentia Plenaria per Brevia, in quibus praescribitur invocatio nominis Iesu: existimant vero fautores praedicti laudatam responsionem nihil efficere pro locis Missionum, ubi facultas impertiendi memoratam Benedictionem cum Indulgentia Plenaria exécuta, non vi Brevium in quibus praescribitur invocatio Nominis Iesu, quae Brevia Episcopis in locis Missionum constitutis minime dantur, sed vi concessionis Clementis XIV: quae de tali invocatione omnino silet.

Ita quidem hinc atque illinc acriter disceptatur, et sacerdotes, qui curam gerunt animarum ancipites haerent cum de ratione agendi hactenus servata, tum de certa agendi norma in posterum servanda.

Hisce expositis vel paulo fusius quo status quaestionis plenissime innotescat dubium, cuius declaratio a S. Sedis oraculo enixe effiagitatur, ita concipi potest:

Ut Christifideles in locis Missionum degentes et in ultimo vitae discrimine constituti, valeant accipere Benedictionem in articulo mortis et consequi Indulgentiam Plenariam, vi eiusdem lucrandam ex Concessione Benedicti XIV, in Constitutione *Pia Mater* d. d- 5 Apr. 1747, requiriturne tamquam conditio sine qua non ad lucrandam praedictam Indulgentiam, ut aegrotus in locis Missionum constitutus quamdiu suae mentis est compos, invocet Nomen Iesu - ore si potuerit, sin minus corde.

S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, re mature perpensa, praefato dubio respondendum censuit.

Affirmative; idest invocatio, saltem mentalis, ssmi Nominis Iesu est *conditio sine qua non* pro universis Christifidelibus, qui in mortis articulo constituti, plenariam Indulgentiam assequi volunt, vi huius Benedictionis, iuxta id quod decrevit haec S. C. in una Vindana sub die 23 Septembris 1775.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 22 Septembris 1892.

FR. ALOISIUS CARD. SEPIACCI *Praef.*

L. * S.

f ALEX. ARCHIEP. NICOP. *Secretarius.*

ORDINIS MIN. S. FRANCISCI ASS. Dubia varia de Stationibus Viae Crucis.

P. Raphael ab Aureliaco, Procurator Generalis Ord. Min. S. P. Francisci ad pedes S. V. humiliter provolutus sequentia dubia circa stationes Viae Crucis solvenda proponit :

1. An Superiores Conventuum, Hospitiorum etc. Ord. Min., ut Guardiani, Praesidentes, Praefecti Missionum etc. delegare possint ad erigendas stationes Viae Crucis Religiosos Sacerdotes eiusdem quidem Ordinis, *non tamen sibi subditos?*

2. Cum ex decisione S. C. Indulg. « Benedictione tabularum et crudum facta a Sacerdote legitime delegato alter quicumque tabulas collocare possit privatim sine caeremoniis *et etiam alio tempore* » (Decr. Auth. n. 311) quaeritur : An sit necessarium ut Sacerdos legitime deputatus, facta *in loco ubi Stationes erigendae* sunt benedictione tabularum et crudum, ibi permaneat quoadusque eaedem stationes non fuerint affixae, ita ut nequeat ante huiusmodi aftlxionem in domum suam reverti ?

3. An *Indultum Viae Crucis* cesset, si persona quae pro suo privato Oratorio illud obtinuit, alio transferat habitationis sedem, vel Oratorium in eadem domo mutet, ita ut ad idem privilegium habendum requiratur novum concessionis Rescriptum ? Et quatenus negative :

4. An ad lucrandas indulgentias necessario requiratur *nova Viae Crucis erectio,* praesertim si Oratorii et Viae Crucis mutatio fiat prope vetus Oratorium, ex g. si construatur *in ceila, priori Oratorio contigua, sed omnino separata,* vel in alia *eiusdem domus* contignatione, quam tamen eadem persona pro sua habitatione habet ? Et quatenus affirmative :

5. An Sacerdos legitime deputatus, ad erectionem in priori Oratorio iam factam, etiam secundam et tertiam erectionem (pro casu quod sit necessaria) peragere possit in praedictis mutationibus seu translationibus, *absque nova deputatione seu facultate ?*

6. In constituendis Stationibus Viae Crucis in Oratorio domestico, sive hoc sit cum privilegio celebrandi Missam, sive non,

requiritur ne *in scriptis* et id *ad validitatem* consensus a) Ordinarii, b) Parochi?

7. Si consensus tum Ordinarii tum Parochi in scriptis vel saltem oretenus affirmetur necessarius in superiori dubio, requiritur ne novus eorumdem (et etiam domini *in scriptis)* consensus in casu mutationis Oratorii et Stationum Viae Crucis de domo in domum vel de ceila in cellam eiusdem domus?

8. In Indulto quo erigitur Via Crucis in Oratorio domestico exprimi solet : « Indulgentias acquiri posse ab Oratore eiusque consanguineis, affinibus et familiaribus cohabitantibus » quae--ritur utrum defuncto oratore indultario, ceteri supra compre hensi adhuc lucrari possint Indulgentias ?

9. Pro erectione Viae Crucis in locis exemptis a iurisdictione Ordinarii, ut in Ecclesiis, Oratoriis, locis internis Conventuum, non tamen Ord. Minor., sed aliorum Ordinum exemptorum, requiritur consensus ipsius Ordinarii et etiam Parochi?

10. An valida dicenda sit Viae Crucis erectio, si Parochus vel Superior Ecclesiae, monasterii, hospitalis, loci, ubi erectio facta est, consensum quidem *ante* erectionem praestiterint, non tamen *in scriptis,* nisi *post* erectionem ?

11. Contingit aliquando, ut non satis certo constet quinam sit Superior qui consensum praestare debet pro Viae Crucis erectione in aliqua ecclesia, monasterio, conservatorio, hospitali etc. Non semper enim et ubique habetur Capellanus ab Ordinario nominatus, sed modo unus, modo alter Sacerdos a Parocho vel a Superiore alicuius Conventus mittitur ad aliquem ex praedictis locis, ut ibi, praecipue pro inhabitantibus, puta, pro sororibus, pro infirmis etc. Missam celebret, aliaque ecclesiastica munia peragat. Unde quaeritur: Utrum in huiusmodi casibus sufficiat ut solus Parochus consensum praestet pro erectione Viae Crucis, vel requiritur etiam consensus in scriptis Superioris seu Superiorissae localis Fratrum sive Sororum?

S. Congregatio Indulgentiarum et SS. Reliquiarum propositis dubiis respondit:

Ad I. *Negative ;* id est non posse delegare nisi *sibi subditos*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative;* dummodo locus in quo peracta est erectio Viae Crucis, neque in precibus, neque in rescripto determinetur.

Ad IV. *Affirmative; seu* necessariam esse novam erectio-

nem, uti constat ex pluribus responsionibus huius S. Congregationis et praesertim ex resp. d. d. 30 Ian. 1839 in una Lingonensi.

Ad V. *Negative;* id est vi prioris tantum delegationis non potest novam erectionem peragere.

Ad VI. *Affirmative* quoad consensum Ordinarii ; *negative* quoad consensum Parochi.

Ad VII. *Affirmative.*

Ad VIII. *Negative.*

Ad IX. *Negative.*

Ad X. *Negative.*

Ad XI. Si agatur de erigenda Via Crucis in Ecclesia vel publico Oratorio, praeter consensum Superioris vel Superiorissae Ecclesiae, Monasterii, Conservatorii, Hospitalis, requiritur etiam consensus Parochi, minime si agatur de Via Crucis erigenda in sacello privato, seu decenti loco infra septa Monasterii, quod a iurisdictione Parochi est omnino exemptum.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 26 Septembris 1892.

FR. ALOISIUS CARD. SEPIACCI *Praef.*

L. * S.

f ALEX. ARCHIEP. NICOPOLIT. *Secretarius.*

SOCIETATIS IESU. De scapularium impositione, et de speciali Indulto quoad onus inscribendi fideles in catalogo confraternitatis nonnullarum Confraternitatum.

Hodiernus Procurator Generalis Soc. Iesu sequentia dubia circa Scapularia S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae exposuit.

1. Plures Sacerdotes qui benedicendi imponendique scapularia facultate gaudent, ea uni tantum humero et non circa collum fidelium imponunt. Hic modus imponendi speciatim cum mulieribus et monialibus, quibus ob capitis tegumentum difficulter circa collum scapularia imponi possunt, adhibetur. Et fieri omnino nequit ut mulieres et moniales, praesertim cum magna populi multitudo in Ecclesiis adest, capitis tegumentum deponant.

2. Patres S. I. Neerlandiae die 20 Nov. 1862 a s. m.Pio IX mediante S. C. de Prop. Fide, et Patres eiusdem Soc. Belgii die 26 Sept. 1877 a S. C. Indulg. privilegium obtinuere benedicendi et imponendi quinque Scapularia SS. Trinitatis, B. V. a Monte Carmelo, 7 Dolorum B V., Immaculatae Conceptionis B. V. et Pretiosissimi Sanguinis, fidelesque utriusque sexus in praefatas confraternitates recipiendi cum communicatione privi-

legiorum et indulgentiarum iisdem Confraternitatibus a S. Sede concessarum, absque eo quod praedictae Confraternitates erectae sint in ecclesiis, ubi versari contigerit, aut *nomina receptorum catalogo inscribantur,* aut scapularia, quae ex altari vel suggestu benedici solent, manu benedicentis fidelium collo, sed ipsorummet manibus imponantur. Iamvero uno decreto d. d. 27 Aprilis 1887 expresse ac nominatim prohibetur, ne ii quibus « indultum quocumque nomine vel forma ab Apostolica Sede est concessum » Scapulare B. V. a Monte Carmelo simul cum aliis benedicendi et imponendi, elapso decennio a die 27 Aprilis 1887 computando dictum scapulare commixtim cum aliis benedicant ac imponant; altero eiusdem diei decreto Indultum Gregorianum, seu exemptio ab onere nomina fidelium catalogo Confraternitatis B. V. a M. Carmelo inscribendi revocatur.

Quibusdam autem ex eo quod eodem die supradicta decreta a S. C. emanarunt, exortum est dubium utrum adhuc perduret Indultum Gregorianum favore Patrum Soc. Iesu. Sunt e contra qui affirmant perdurare, eo quod decretum revocans Indultum Gregorianum indulta specialia circa exemptionem ab onere inscribendi nomina in catalogo a S. Sede quocumque nomine vel forma concessa non attingit.

Quare in his omnibus ut secure procedi possit, sequentia dubia solvenda proponit:

I. Utrum uni tantum humero et non circa collum Scapularis impositio valida sit necne.

II. Utrum decretum revocans Indultum Gregorianum supradictos Patres Soc. Iesu aeque obliget ac primum, quod benedictionem simultaneam Scapularis Carmelitani revocat?

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, re mature perpensa, auditoque unius ex Consultoribus voto, relatis dubiis rescripsit.

Ad I. *Affirmative.*

Ad IL *Negative^* admonentur tamen Patres Soc. Iesu ut nomina receptorum in Albo alicuius Sodalitatis vicinioris sive Monasterii Religiosorum respective inscribere non omittant, ne in eorum obitu suffragiis priventur, iuxta responsionem in una Versaliensi d. d. 17 Sept. 1845.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 26 Septembris 1892.

FR. ALOISIUS CARD. SEPIACCI *Praef.*

L. * S.

f ALEXANDER ARCHIEP. NICOP. *Secretarius.*

EPISTOLA Sanctissimi D. N. Leonis XIII ad R. P. D. Vicarium Capitularem Bononien. de Archiepiscopo mittendo pro Archidioecesi illa.

Insignis ecclesia et nobilis civitas bononiensis hoc etiam a Nobis singularis providentiae caritatisque habeat testimonium, in eo quem ipsi Archiepiscopum nuper e sacro Senatu delegimus, mature pro potestate renuntiabimus. Virum et muneribus gestis et ingenii animique laudibus eximium patimur equidem a latere Nostro disiungi, ut Petronii sedem, in qua multi ad hoc tempus praestiterunt sanctimonia, doctrina, benemerendi studio commemorabiles, dignus heres obtineat. Cui consilio, quod aspirante Deo suscepimus, omnium istic ordinum consensionem mirifice respondisse allatum est; idque litterae confirmaverunt gratiae et laetitiae testes, quae Nobis a primario canonicorum Collegio, te antecedente, Venerabilis Frater, et a Clero urbano sunt per hos dies omnium nomine redditae. — Fides autem et pietas erga Apostolicam auctoritatem eisdem ex litteris enitentes, spem Nobis faciunt certissimam, fore ut quem missuri sumus Pastorem concordi omnes voluntate excipiant, summa et observantia colant et obtemperatione prosequantur. Magno ille quidem adveniet animo et parato sese totum gregi tam amplo dedere, ut veris omnium utilitatibus consulat, optima quaeque provehat instituta : quae tamen nequaquam poterit cum fructuum ubertate perficere, nisi, quod rectum sanctumque est, consilia et opera accesserint omnium collata. Atque omnes, clerus in primis, cuius doctrina et religionis ardor iure laudantur, sane quam erunt alacres pro sua quisque parte collaturi : tuque perges, Venerabilis Frater, spectatam virtutem et prudentiam tuam Pastori novo probare, de tuisque optime ut facis mereri. — Spes et expectatio Nostra ut cumulate eveniant, auspicem advocare placet sanctam Dei Genitricem, in qua Bononienses praesidium et decus maximum splendida ab avis pietate feliciter statuerunt. Nunc votis pro incolumitate Nostra exhibitis, vota ex animo reddentes, Apostolicam tibi benedictionem omnique clero et universo per Dioecesim populo largam a Deo impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die x Decembris an. MDCCCXCII, pontificatus Nostri quintodecimo.

LEO PP. XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

LIBURNEN.

MATRIMONII

Dia 23 Ianuarii 1892.

Sess. 21 cap. 1 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Post diuturnum quatuordecim annorum lapsum ab initis nuptiis, Maria Del Nero, liburnensis preces supremo Principi porrigebat, ut sibi dispensatio concederetur a matrimonio, quod in aetate 18 annorum cum Aceste Puccinelli, die 4 Octobris 1874, in ecclesia S. Catharinae contraxerat, quodque inconsummatum mansisse contendebat.

Verum iampridem Maria conquesta fuerat, virum maritalia obsequia praestare renuisse, et hanc ob causam post annum circiter a suscepta cohabitatione ad maternos lares reversa, a laicis iudicibus vinculi dissolutionem petierat. Sed cum ad illam Acestes venisset, ibique sponsi per mensem eodem cubitu iterum usi fuissent, mulier postquam matri declarasset rem uxoriam tandem fuisse peractam, coniugis domum remeavit. Tunc individua consuetudo instaurata visa est usque ad annum 1882; quo tempore Maria sive quia matrimonium adhuc iuxta ipsam consummatum non fuerat, sive quia viri fortuna in praeceps quotidie devolvebatur, rursus, Aceste derelicto, se ad matrem recepit, ac deinde etiam separationis decretum a civili tribunali obtinuit.

Episcopus Liburnensis, cui de mandato Apostolicae Sedis S. Congregatio indixerat, ut processum tam super inconsummatione matrimonii, quam super causis dispensationis, ceu de more conficeret, die 16 Iunii 1890 iudicem delegatum defensorem matrimonii, actuarium et apparitorem rite designavit. Mox ad tramites Benedictinae Constitutionis et In-

structionis S. C. C. ecclesiasticum tribunal primum coniugum testimonia eorumque septimae manus, ac dein medicorum et obstetricum, qui a iudice selecti Mariae corpus exploraverant, depositiones excepit.

Disceptatio Synoptica.

MATRIMONIUM INCONSUMMATUM VIDETUR. Patronus qui matrimonii inconsummationem ostendere sategit, adnotat in themate omnia ea argumenta et adminicula concurrere, quae iuxta communem canonistarum doctrinam et receptam iurisprudentiam, in huiusmodi causis ad moralem certitudinem de non secuta consummatione gignendam requiruntur. Et primo quod iuratam coniugum confessionem attinet, memorat, mulierem eadem quae in libello Summo Pontifici oblato et in iudicio civili asseruerat, sub iurisiurandi religione coram ecclesiastico tribunali declaravisse : nunquam matrimonii consummationem accidisse. Quod si post primam separationem ad obtinendum matris consensum pro reconciliatione, eidem dixit, Acestem matrimonium consummasse, fatetur se tunc ut matris obstantis resistentiam vinceret, mendacium dixisse: autumando quod matrimonium consummatum fuisset. Cui mulieris confessioni plenam fidem adhibendam esse omnes testes, nemine excepto, affirmasse recolit.

Acestes vero qui, ut orator adnotat, in adversam fortunam prolapsus inhiaret reconciliationem cum Maria, cui adhuc aliquot opes supersunt, sub iuramenti vinculo ita deponere haud dubitavit: primis diebus abstinui a consummatione matrimonii; tempore insequenti conatus sum hoc implere officium, sed dubito de successu quum in actu vires deficerent, indolis meae imbecillitate. At relate ad Mariae declarationem super secuta matrimonii consummatione, iudici percontanti respondisse refert : tunc pro certo Mariam mentitami esse. Quae omnia utpote a viro ipso contra se prolata in maximo pretio habenda esse censet.

Confessionem autem utriusque coniugis, unisona voce testium ex utraque parte inductorum, pienissimo robore con-

firmari animadvertit, pluribus ex processualibus actis deductis.

Septimae manui mulieris, testes a viro inductos plene consonare animadvertit orator. Sane hi non modo unanimiter fidem Acestis aifirmationibus haud denegant, sed et factum inconsummationis concorditer admittere videntur. Ut ea praeteream quae retulerunt quoad haec Sophia Puccinelli, sponsi amita, eiusque patruus Orestes et Olinthus Ferrini, iudici percontanti quomodo testes matrimonii inconsummationem cognovissent, respondebat Ioannes Vigoni : scivi ex communi voce, inconsummationem hanc tribui virium defectui mariti.

Omnibus tandem depositionibus fastigium imponere censet patronus Augustus Gasparri, amicum rei conventi et ab eo inductum, qui sub iuramenti fide testatur : rescivisse, post aliquot ab inito matrimonio dies, hanc inconsummationem, a Sacerdote Battaglia, cui, uti parenti, rem patefecerat maritus Acestes.

Verum pergit orator, si qua adhuc dubitationis alea superesse posset, hanc evanescere dicendum est si prae oculis habeantur depositiones et relationes obstetricum et peritorum medicorum, qui ad iudicialem Mariae corporis inspectionem processerunt. Observat autem in themate corporalem inspectionem ita sollicite et ad regulam fuisse peractam, ut nulla ex praescriptionibus fuerit omissa quae a sacris canonibus in huiusmodi casibus mandantur.

Obstetrices autem coram iudice unisona voce Mariam integram proclamasse enarrat.

Has vero obstetricum conclusiones a peritis medicis mirifice confirmari patronus edicit.

Quibus iudicialibus utriusque medici depositionibus plenam confirmationem accedere memorat ex iis quae iidem in relationibus, scripto seorsim panditis, retulerant. Quare concludit patronus ita extra dubitationis aleam matrimonii inconsummationem fuisse positam, ut nil aliud ad rei evidentiam desiderari possit.

Gradum deinde faciens orator ad dispensationis causas enucleandas, primam infert ex pertinaci viri proposito matrimonium non consummandi, seu potius ex praesumpta eius impotentia. Praeterea cum testes omnes iuxta patronum, uno ore de Acestis impotentia deponant, ea quae per plures annos contigerunt nullam omnino spem fovere videntur, ut vir tandem aliquando matrimoniale debitum reddat. Iamvero « quando impotentia adstruitur pro motivo et causa gratiosae dispensationis, non illam exigit certam et concludentem probationem. Sed satis est, quod dicta impotentia sit adeo probabilis, ut Summus Pontifex illam veram existimare possit et ad gratiam moveri. > Conscius *lib. 3, cap. 2* n. 386.* Concinit Pignatelli *Consult. 148, n. 14, tom. 4.* Card. De Luca *disc. 7, n. 7 De matrim-.*

Alteram dispensationis causam in insuperabili Mariae erga coniugem aversione collocat patronus, quam abunde probatam ex testium depositionibus autumat.

Postrema denique causa petitur ex incontinentiae periculo, in quo mulier, viridem adhuc aetatem agens, miserrime versatur. Spiritualis enim utilitas petentis dispensationem plurimi semper habita est ad gratiam concedendam, ceu testatur Perez *De matrim, disput. 20, sect. 7, num. 11,* et docent passim S. Rota et innumerae Sacrae huius Congregationis resolutiones.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS VINCULI. EX adverso sacramentalis vinculi adsertor referens preces, quibus Maria dispensationem super matrimonio rato a Supremo Principe efflagitabat, ea verba expendenda censet, existimans maritum impotentem ad matrimonium consummandum. Omissa investigatione an bona vel mala fide haec Maria occentet, id a veritate alienum proclamat. Recolit enim, Acestem iudici percontari enarrasse, semel inspectioni medici me subieci, iudicatusque fui aptus matrimonii consummationi. Quod et ipsa Maria fassa est in iudicio, matrimonii inconsummationem affirmans minime ex defectu externae constitutionis

mariti, sed ex defectu voluntatis innixae pusillanimitati eius,, seu stultitiae.

Veri nec similis defensori videtur, quem Maria obiicit defectus voluntatis. Acestes enim sine ambagibus iudici interroganti de suo matrimonio respondit : mutuum amorem praeivisse nuptiis liberamque voluntatem. Id confirmatur omnino a muliere ipsa, et ab Episcopo liburnensi, qui hoc didicerat ab eisdem sponsis.

Ex hisce igitur non solum coniectari licere, monet defensor, Acestem per tam diuturnum temporis spatium a coniugali genio minime abstinuisse sed exurgere etiam consummati matrimonii praesumptionem iuris et de iure; praesertim quia sine controversia est, ipsammet Mariam ad coitum aptam existere, ad ea quae leguntur in Neapolitana *matrimonii. 2 Augusti 1845, § Quin.*

Ulterius, pergit, Liburnensem Episcopum referre : pauco post tempore, ab inito matrimonio, Mariam dereliquisse domum mariti, quia consummari matrimonium nequiverat; et paulo post accitam fuisse sponsam apud paternam domum mariti quam petiit, dicendo omnia probe expleta fuisse, ibique mansit quinque aut sex annos. Quae confessio actricem iugulare videtur. His vero accedere: Mariam die 19 Novembris 1875 in ius rapuisse virum, quia matrimonium nondum consummaverat et vinculi dissolutionem a laica potestate efflagitasse. Postea vero die nempe 15 Maii subsequentis anni eamdem Mariam una cum Aceste iudicem adiisse eique renuntiasse, sese eandem repetere habitationem, mutato consilio; quae cohabitatio reddidit utrisque pacem et tranquillitatem veram.

Nec ipsi mulieri fidem habendam esse, autumat, asserenti ita se gessisse, sive ob amorem, quo virum prosequebatur, sive ob alias causas, et idcirco cum matri asseveravit matrimonium fuisse consummatum, mendacium dixisse. Quaerit enim defensor quamnam ob causam eadem Maria, quae ab undeviginti mensibus desiderio matrimonii consummandi aestuabat idque iudici denuntiaverat, nisi quatuor

post coniugalem cohabitationem restauratam, menses, vota tandiu dilata explevisse, eidem iudici pro certo affirmavit quod ista cohabitatio reddiderit tranquillitatem quae perseverabit sub melioribus auspiciis ? Praeterea si ei qui mentitur fides haberi non debet, profecto nec fides Mariae adiici posse videretur, dum se mentitam esse edicit, cum vulgatissimum sit adagium « semel mendax, semper mendax. > Ceterum septuagenarius Orestes Puocinelli, Acestis patruus iureiurando coram iudice affirmat : sese scivisse, paucos post dies, quod matrimonium consummatum fuit.

Hisce quae matrimonium consummatum esse suadent praemissis, argumenta quibus actio adversa innititur breviter perpendit. Et primo quoad coniugum confessiones, recolit virum in iudicio sine ulla affirmatione dubitanter locutum fuisse. Inquit enim : conatus sum matrimonium consummare, sed dubito de bono exitu. Attamen extra iudicium idem Acestes Olintho Ferini, eandem rem sciscitanti respondit, dubium esse an impleverit proprium onus : fidem denegat matrimonii vindex, non modo quia haec confessio cum praenarratis mirabiliter pugnat, sed etiam quia Maria acheronta movet ut matrimoniale vinculum dissolvat. Unde, ceu monet Sánchez in suo opere *De matrim, lib. 2, disput. 45, n. -33:* « Confessio ea cum sit in confitentis favorem nihil probat. > Eo vel magis quod Maria non iam statim in ipsa novitate, non iam post mensem aut duos apud Episcopum conquesta sit et Acestem maritalibus officiis ineptum seu reluctantem proclamaverit, sed per octo annos siluerit. Quocirca contra ipsam omnia iura clamant, ceu in *cap. 1, Be frigid, et maleficiatis* cavetur.

Postremo iterum commemorat Mariam tempore non suspecto matri professam esse Puccinelli consummavisse matrimonium; ac deinde post quatuor menses cohabitationem cum Aceste restaurasse, atque utrumque coniugem coram laico magistratu asseruisse: cohabitationem hanc utrique restituisse primam tranquillitatem, quae protrahetur sub melioribus auspiciis. Quibus positis, apertissimam iuris dispositio-

nem prohibere existimat, quominus audiatur Maria, dum in iudicio asserit matrimonii inconsummationem; in medium allata *lege 173 cod. De non mini. p eam.:* < Nimis indignum esse iudicamus, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere >.

Quoad septimae manus testimonium brevius se expedit. Compertum namque dicit *ex experientia testes huiusmodi, quippe qui ab interesse habentibus seligantur et praeoccupatur, semper iurare in verba inducentis, uti evenisse memorat in Bononien. *Matrimonii diei 11 Maii 1890 et 30 Maii 189U* nec non in Parisien. *Matrimonii diei 20 Decembris 1890,* in quibus duas legiones testium nobilitate ac religione praestantium, utrinque inductos merito EE. PP. parvipendens nt.

Pariter nihil faciendum esse, putat defensor, specimen per obstetrices in Mariae corpore peractum ; tum quia peractae inspectionis relationem scriptam, prouti mandatum est, obstetrices non ediderunt, tum quia obstetrices genitalia explorare contentae fuerunt. Iamvero ex receptissima archiatrorum sententia praeter genitalia ceteras quoque corporis partes in exploranda muliere prae oculis habendas esse probare nititur, auctoritate Zacchiae *Quaest, medie. lib. 3 tit. '2, q. 7, num. 3 et seqq. lib. 4, Ht. 2, q. 3, n. 13.* Insuper experimenta huiusmodi quamtumvis accurata numquam omnimodam certitudinem parere posse tradit Sánchez *De matrim, lib. T, disput. 108**j** n. 8;* - ibi - « Nam saepe oculi et manus obstetricum falluntur: eo vel maxime quod feminae multis fraudibus utantur, quibus virgines apparent. > Unde factum esse dicit, ut salutaris artis proceres iudicium de integra vel corrupta mulieris virginitate, non obstantibus quibuscumque minus fallacibus in huiusmodi negotiis argumentis, proferre recusent, ut in Mechlinien. *Matrimonii* nuper elapsi mensis medicus Dorff declarare haud dubitabat : « il est toujours impossible à *V*homme de constater par un examen qu' une femme n' est plus vierge. >

Ast dato et non concesso matrimonium in themate inconsummatum mansisse, nihilominus, iuxta vinculi adsertorem, causae ad dispensationem concedendam exularent. Acestes enim et Maria, nullo cogente, sibi ad invicem desponsati sunt ex animo: pacifice per complures annos in eadem domo manserunt eodemque in lecto ambo cubarunt: unum tantummodo peccatum Maria ascribit Acesti: scilicet, operi maritali eum non incubuisse. At Acestes facti poenitens, uxori satisfacere iam paratus est, cum iuratus spondeat: ego paratus essem novae unioni et ad experiendum an effectu laudabiliori, ut puto, implere valerem meum coniugale onus. Nec aversio Mariae erga Acestem causam ad dispensationem suppeditaret, utpote quae derivans ex inconsummatione matrimonii evanesceret cum ea quae vir spondei facto comprobarentur. Cum autem nullimode certum sit virum in posterum se ineptum ad maritalia obsequia praebiturum, non posset certa, rationalis et iusta dispensationis causa in facto constitui quod a futuro et incerto pendet eventu.

Quibus praemissis suppositum fuit diluendum

Dubium

An consulendum sit SSfoo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re disceptata sub die 23 Ianuarii 1892 censuit respondere: *Affirmative.*

CALVEN.

ONERIS SUSCIPIENDI CURAM ANIMARUM

Die 5 Martii 1892.

Sess. 24 cap. 81 De reformat.

COMPENDIUM FACTI. Labente mense Augusti 1890, Episcopus calvensis et theanensis S. C. C. significabat : adesse in Dioecesi Theanen, circa octoginta paroecias urbanas et rurales; parvum vero esse presbyterorum numerum et istorum alios esse senes modicaeque valetudinis ; et proinde plures paroeciae nedum provideri possunt curatis in titulo, sed neque vicariis ad tempus. In Dioecesi Calven, duos existere presbyteros, quos, etsi non optimos, Episcopus posset duobus praeficere paroeciis. Ipsi tamen acciti renuunt, et propria commoda derelinquere nolunt. His expositis, petebat Episcopus, utrum cogere posset calvenses presbyteros, adhibitis censuris, ad onus paroeciarum subeundum sive ut vicarios temporaneos aut parochos perpetuos, in hac Dioecesi theanensi.

Quaesivit etiam idem Episcopus, utrum cogere valeat ad idem munus paroeciale Religiosos sacerdotes, qui hisce in rerum adiunctis apud propriam morantur familiam parumque vel nihil dispositi sunt ad iussa Episcopi auscultanda.

His, die 18 eiusdem mensis, rescriptum fuit : *Detur responsum ut in P armen, diei 17 Ianuarii 1886 ad secundum Dubium. Quoad vero viros religiosos, quatenus extra claustra vivant de suorum superiorum temporanea licentia, rem agat cum iisdem superioribus.* In citata autem Parmensi, dubium secundum his verbis ab Episcopo propositum : « Utrum sub eodem praecepto obedientiae et iisdem intentatis censuris, possit Episcopus sacerdotes otiosos et sanitate suffultos, compellere ad suscipiendam ecclesiarum curam, saltem donec illis fas sit providere pastores : » dimissum ita fuerat : *Affirmative, gravi urgente necessitate, et ad tempus.*

Post haec, nempe die 23 Martii 1891, vacantibus in theanensi Dioecesi paroeciis S. Petri terrae Conchae, et S. Iacobi loci vulgo Le vaglie, Episcopus ut spirituali populi bono consuleret in oeconomos praefatarum ecclesiarum deputabat sacerdotes calvensis Dioecesis Iosephum De Bernardo, domo Camiliano, et Mathiam Chiocchi terrae Sparanisii, eisque sub poena suspensionis, ipso facto incurrendae, ut delatum munus susciperent mandabat. Utrique tamen huiusmodi praeceptum nimis grave visum est, hinc sacerdos De Bernardo primum apud archiepiscopalem curiam Capuanam appellationem interposuit et postea; hmo. Metropolita recursum excipere detrectante, die 21 Aprilis 1891 apud S. C. C. ad quam iam paucis diebus ante et sacerdos Chiocchi provocaverat. Audito Episcopo, qui statim ob debitam S. C. reverentiam duobus presbyteris sacra peragere denuo concesserat, rem Supremo Principi deferendam esse putatum fuit.. Atque ex audientia SSmi. diei 8 Iunii praeterlapsi anni prodiit responsum: *Oratores De Bernardo et Chiocchi interim pareant Episcopo, idque notificetur eidem Episcopo.*

Duo presbyteri de his certiores effecti sunt se paratos interim ad iussa exequenda, saltem verbis, extabuerunt, quibusdam tamen additis conditionibus, patefactis per litteras ad Praesulem datis. Significabat itaque sacerdos De Bernardo : pro rerum mearum adiunctis derelinquere meam nequeo domum , nisi Amplitudo Tua prius consulat his quae iter, decentem sustentationem mei et domestici mei, et omnia necessaria pro Ecclesia, mihi credenda ; sub conditione tamen ut aer non adversetur meae valetudini debili. Neque dissimili ter sacerdos Chiocchi, obedientiam pollicitus. Quae postrema, ea verba respiciunt quibus Episcopus in fine litterarum deputationis duobus oeconomis emolumenta assignaverat, < cum congrua portione fructuum tibi tradenda a suboeconomo regio ex reditibus dictae paroeciae. »

Utrumque acceptum responsum Praesul illico S. C. C. transmisit, ac insimul petiit quid sibi agendum esset. Eidem rescriptum fuit sub *die 18 augusti: eidem Episcopo, qui*

prudenter instet, ut ad obedientiam inducat sacerdotes De Bernardo et Chiocchi, et quatenus résistant, eisdem praeficiat congruum terminum ad deducenda iura sua coram S. C. etc. Tunc praefati sacerdotes ut inobedientiae labem a se amoverent plura scripserunt Episcopo, quin tamen demandatum munus susciperent.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO EPISCOPI. AC in primis commemorandum videtur, Episcopos, quos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, habere intentionem fundatam in iure quoad potestatis suae exercitium in propria Dioecesi, ideoque posse ea decernere quae ad rectum animarum regimen et bonum opportuna duxerint. In exequendis autem eorum mandatis quam maxime decet, ut presbyteri ceteris subditis exemplo praeeant, qui idcirco si inviti fuerint et reluctantes possunt ad obedientiam cogi, ut tradit S. O. in Asculana *11 Iulii 1767 § 4.* Benedictus XIV *De Syn. dioec. lib. 13 cap. 1 n. 3.* Huiusmodi vero obligatio clare exurgere videtur ex solemni obedientiae promissione Ordinario a sacerdotibus facta in actu S. Ordinationis, quae pro nuda inanique formula haud habenda est, iuxta eumdem Benedictum XIV, ut notatur in folio Reatinae *Residentiae 26 Januarii 1833.* § *Quod vero.*

Praesertim vero quoad obligationem obtemperandi Episcopo, si vera urgente necessitate animarum curam suscipere iusserit, observari posset , illam ex ipso sacerdotali officio non vero ex simplici motivo charitatis, exurgere. Certum est enim, ut monet S. Alphonsus *Theo[1]. Moral. Hb. 6 tract. 4 cap. 2 n. 625,* sacerdotes fuisse a Deo constitutos ut saluti animarum incumbant, ac proinde hoc esse proprium eorum munus, ut saltem in gravi populorum necessitate, fidelibus in eo, quo ad propriam salutem indigent auxilium praebeant. Nec dici posset eos, qui curam animarum in huiusmodi casibus suscipere detrectant satis obligationem suam explere, si alio modo animabus subveniant, nempe instruendo, corrigendo, orando etc.; namque, ut exem-

pio eiusdem S. Doctoris utar, si proximus indiget cibo, in cibo debes ei subvenire non in vestibus. Quibus proinde et S. C. C. adhaesisse in citata Parmen. superius animadversum fuit. In themate vero testatur Episcopus gravem necessitatem adesse ex qua Christi Domini fideles magnum capiunt detrimentum, et consequentiae graviores fiunt, et medela difficilior.

Frustra insuper obiici videretur a sacerdotibus De Bernardo et Chiocchi, se Calvensi Dioecesi adscriptos esse, et idcirco cogi non posse ad Theanensem petendam. Etenim praeterquamquod hic altioris ordinis rationes vim suam exererent, forsan sustineri posset, illos Antistiti obedientiam spopondisse quatenus Calvensis simul et Theanensis ecclesiae Praesuli. Porro perpendendum est agi in casu de duabus Dioecesibus non accidentaliter, sed perpetuo unitis, quae, ut advertit Card. De Luca *De Praeem. disc. 7 n. 6 et 16* quoad Episcopum pro unica habentur, ita ut quandoque beneficia utriusque possit simul unire et unicam synodum celebrare. - ibi - < Tum etiam quod cum posita quoque unione aeque principaliter ac omnimoda distinctione ecclesiarum et dioecesum inter eas, adhuc tamen quoad Episcopum ambo haberi pro unica videantur, idcirco, non incongruit, ut beneficia unius Dioecesis illis alterius ex aliqua probabili causa uniantur, ut in specie habetur plene deductum *d. Marianen, et Aceten, coram Roias decis. 373 et 423 et in eadem coram Corrado et Bichio decis. 108 et 221 p. II rec. etc. ».*

Atque paulo post : « non ex inde tamen inferri potest, quod Episcopo volente unam tantum synodum pro utraque convocare et celebrare, ut licitum reddatur subditis non obedire etc. > Quod si haec quae maiora apparent, iusta concurrente causa, potest Episcopus; eidem facultas cogendi presbyteros gravi ex necessitate ex una ad aliam unitam dioecesim ad tempus migrandi, haud neganda videretur.

Verum post rescriptum diei 8 Iunii 1891 forsan proposita difficultas omnino evanesceret, cum Supremi Principis auctoritas, quae Dioecesum limitibus minime continetur, hac in re interposita fuerit.

Tandem reliquas obiectiones utriusque sacerdotis quoad valetudinem ad nihilum redigit Episcopus.

Quoad vero defectum redituum ad honestam sustentationem, pauca animadverti possunt, cum Episcopus haec tantum retulerit: oeconomos curatos obtinere nunc ab administratione civili , quod olim obtinebant a propriis Dioecesibus. His autem adiicienda essent et emolumenta incerta, quae in partem congruae imputanda esse tenuit S. Rotae Auditorium in Vincentina *Congruae 23 Ianuarii 1754, § Sin coram Bussio,* et in Asculana *Restaurationis Ecclesiae et domus parochialis 22 Iunii 1789 § 4 coram Paracciano.* Ceterum observat Episcopus, quatenus admittatur uti maxima quod Ordinarius rependat oeconomis curatis id quod duo presbyteri in themate exigunt, fieret ut paroceciae viduae parocho titulari offirmari deberent si Episcopus nequeat aut nolit rependere iuxta oeconomorum petitiones.

Quibus breviter delibatis , Emi patres rogati sunt resolvere

Dubium

An sacerdotes Chiocchi et De Bernardo cogendi sint ad curam animarum suscipiendam in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re cognita sub die 5 Martii 1892, censuit respondere : *Executioni mandetur rescriptum pontificium diei 8 Iunii 1891.*

EX INDE COLLIGES. Duobus presbyteris in themate obediendum esse interim mandatis Episcopi.

LIBTJRNEN.

DISTRIBUTIONUM CAPITULARIUM

Die 21 Maii 1892.

Sess. 22 cap. 8. De ref.

COMPENDIUM FACTI. Die 18 Iulii anni 1750 per acta Antonii Coccolini, de mandato R. P. D. Archiepiscopi Pisani

cui tunc temporis Liburnensis Ecclesia suberat, conventio Liburni inita fuit inter Capitulum Collegiatae, postea ad Cathedralitatis honorem evectae, ex una parte, et nobilem Confraternitatem SSmi Sacramenti et S. Iuliae, PP. excalceatos SS. Trinitatis et gestores Piae Domus ex altera. Vi huius conventionis perpetuam in se Capitulum obligationem suscipiebat interessendi cum vicariis parochis, capellanis et clericis publicae Iprocessioni a sodalibus Confraternitatis feria III infra octavam Corporis Christi, in civitatis regione vulgo « *Quartiere di Venezia Nuova* », solemni pompa in ecclesiis fratrum SS. Trinitatis et Piae, quam vocant, Domus alternis annis peragendae; immo et sacram functionem per aliquem ex coetu canonicali celebrandi.

In huius vero oneris compensationem Confraternitas, aere partim proprio (pezze 150), partim a PP. Trinitariis accepto (pezze 100), in ipso conventionis contextu solvebat Capitulo * pezze 250, idest ital. libellas 1208,50, quae haberentur ceu fundus et dos huius piae operae; quarum reditus adhiberentur pro annua distributione favore cleri interessentis dictae processioni . . . . . capitulum vero quocumque tempore nequibit sese dispensare ab hac processione ».

Deinceps, iuxta stipulatam conventionem insequentibus annis, absque interruptione ducta fuit processio usque ad annum 1786; quo cum ea interdicta fuisset, summa pro distributionibus statuta, ex dispositione Pisani Antistitis, in celebrationem missarum erogata fuit. Praeterea anno 1789, Capitulum eo quod invitatum non fuerat, et anno 1830, pluviae causa, processionem peregit in ecclesia Cathedrali. Deinde ab anno 1849 usque ad annum 1853, publicis processionibus temporum nequitia prohibitis, processio quoque, de qua est sermo, nullo modo a Capitulo celebrata est ; et annui reditus ad conventionis tramites interessent! clero distribuendi, de mandato Ordinarii Liburnensis, aerario capitulari addicti fuerunt.

Interim tamen, PP. excalceatis SS. Trinitatis ab ecclesia S. Ferdinandi ob subversivas leges eiectis, eiusdem tem-

pli rectoris e clero saeculari cura ac zelo, absque ullo Capituli interventu, processio fer. III infra octavam Corporis Christi intra ipsius S. Ferdinandi ecclesiae ambitum duci coepit. Et ita se res habuerunt usque ad annum 1854, quo restitutis PP. Trinitariis, Capitulum, instante P. Ioachimo a Corde Mariae ecclesiae S. Ferdinandi regimini praeposito, die 19 Iunii tradere constituit usque ad novum ordinem libellas 64, fructus libellarum 1208,50, ut processio fieret intra parietes Ecclesiae S. Ferdinandi, animadvertendo id facere sponte sua absque tamen ulla obligatione.

Verum, deterioribus factis ob temporum calamitatem oeconomicis Capituli conditionibus, praedicta capitularis deliberatio per aliam diei 7 Iunii 1890 revocata est, qua Capitulum decrevit: adhibere velle ab anno 1890 hos reditus favore Cathedralis. Et revera dimidia pars eorumdem redituum pro distributionibus iis qui interessent processioni in ecclesia Cathedrali die Dominica intra octavam Corporis Christi assignabatur; reliqua vero pro solemni SSmi Sacramenti expositione, quae eadem die a societate perpetuae adorationis pariter in Cathedrali peragitur.

Contra hahc postremam Capituli deliberationem protestatus est die 25 Augusti eiusdem anni P. Ioachimum a Corde Mariae, S. Ferdinandi parochus; eique in consiliari conventu habito die 22 Februarii anni insequentis etiam Confraternitas SSmi Sacramenti et S. Iuliae adstipulata est. Cumque nihilominus Capitulum in eadem propria deliberatione persisterei, res ad Ordinarium delata est, qui postquam utrinque allegata perpendisset, die 16 Martii 1891 sententiam prorsus Capitulo contrariam tulit.

Ab huiusmodi sententia se gravatum persentiens Capitulum ad Supremum S. C. C. iudicium, intra tempus utile provocavit, quin tamen, ut notat Episcopus, indigitaret motiva quibus inniteretur actum appellationis. Interim eodem suadente Ordinario, preces Supremo Principi tum a Confraternitate SS. Sacramenti et S. Iuliae, cum a parocho S. Ferdinandi porrigebantur ad hoc, ut statueretur quomodo, per-

durante causa sacras supplicationes impediente, erogandi essent reditus praefatae summae « di pezze 250. »

Disceptatio synoptica

DEFENSIO CAPITULI. Patronus qui Capituli liburnensis iura protuetur in manuscripta allegatione exhibita, praemittit ex ipsa facti enarratione facile deprehendi totius controversiae caput et fundamentum esse conventionem initam die 18 Iulii 1758 Capitulum inter et Confraternitatem SS. Sacramenti et S. Iuliae, adeoque in primis nullam in toto hoc negotio fratribus SS. Trinitatis actionem competere. Pars enim, subdit, quam praedicti fratres in hac conventione habuerunt haec tantum fuit; nempe, ut cum per eam modus determinatus fuerit processionis solemniter ducendae per publicas vias regionis liburnensis vulgo « *Quartiere di Venezia nuova,* », ita ut eadem peragi deberet alternis vicibus, tum in ecclesia S. Ferdinandi, tum in templo Piae Domus, fratres Trinitarii pro se suisque successoribus quemadmodum et qui praefatae Piae Domus partes gerebant obligationem susceperunt concedendi usum propriae ecclesiae et sacrarii pro sacris solemniis in ea circumstantia rite exequendis. Unde patere ait, non actionem, sed obligationem iisdem fratribus fuisse quaesitam. Quod vero attinet summam « di 100 pezze », quam ex fidelium oblationibus redactam fratres SS. Trinitatis numeraverunt, ut solemni processioni inserviret, observat, eam non Capitulo sed Confraternitati ab ipsis traditam esse. Hinc concludit, si actio aliqua dictis fratribus per hoc quaesita esset, haec eis contra Confraternitatem SS. Sacramenti et S. Iuliae, non vero contra Capitulum competeret, cum vulgatum sit adagium, quod res inter alios acta, alteri nec prodesse, nec nocere debeat.

Itaque cum totum hoc negotium gestum unice sit inter capitulum et Confraternitatem, animadvertendum esse in casu, censet orator, quaenam fuerint obligationes ab utraque parte in conventione susceptae. Recolit autem, Confraternitatem sese obligasse ad processionem solemniori, ut convenit, splen-

dore ac pompa ducendam, nec non ad faciendum satis expensis pro erigendis duobus altaribus in respectivis ecclesiis pro expositione Venerabilis ; quorum reditus erogaretur interessentibus processioni. Ex altera vero parte, memorat, Capitulum praedictam summam ad determinatum illum effectum acceptasse ac obligationem in se suscepisse interveniendi una cum viceparocbis, capellanis et clericis ad praedictam solemnem processionem, sacrique peragendi. Quapropter ex iis colligi autumat : primo dictam summam ex expressa contrahentium voluntate ad hoc taxative, unice et exclusive destinatam fuisse, ut scilicet fructus inde provenientes pro distributionibus favore Canonicorum aliorumque processioni interessendum impendi deberet. Secundo, verum contractum bilateralem, « do ut facias, » initum fuisse inter Capitulum et Confraternitatem, vi cuius Confraternitatis sodales Capitulo dederunt summam « di 250 pezze » ob hanc expressam et determinatam causam, ut Capitulum interesset processioni quae per publicas vias « del Quartiere di Venezia nuova » alternis vicibus in respectivis ecclesiis S. Ferdinandi et Piae Domus peragi debebat; Capitulum vero acceptavit summam et relativam obligationem suscepit.

Iamvero pergit orator, innominati contractus « do ut facias » haec propria natura est, ut accipiens debeat facere id quod dictum est ; secus id quod datum est ab eo repeti potest. Verum si accipiens non faciat id propter quod datum est, non quidem sua culpa, sed quia a causa extrinseca et necessaria impediatur quominus facere possit, adversus eum repetitio non datur ; cum enim impossibilis evadit susceptae obligationis praestatio, debitorem liberari manifesti iuris est. Recolit apertam in hoc argumento esse *leg. 10 Cod. De Condici, ob caus. dat. (4, 6):* « Pecuniam a te datam, licet causa, pro qua data est, non culpa accipientis, sed fortuito casu secuta non est, minime repeti posse certum est. » Porro in facto esse observat, quod cum Capitulum alias obligationem susceptam semper et libenter adimpleverit, pluribus abhinc annis eamdem adimplere non po-

"tuerit nec possit adhuc ob interdictas novorum temporum nequitia publicas et solemnes supplicationes. Qua de re in ea nunc conditione versari Capitulum adnotat, ut quominus faciat id propter quod a Con fraternitate praedictam summam accepit, impediatur a causa extrinseca necessaria et independenti a propria voluntate. Repeti ergo ab eo non posse tuetur, quod eidem a SS. Sacramenti et S. Iuliae sodalibus datum fuit, ac proinde iure ipsum in rem suam convertere posse fructus quos percipit ex praedicta summa distributionibus assignata, usque dum iterum publica processio peragi queat.

Nec interim opinatur, ulla ratione Capitulum adstringi posse ad interveniendum processioni quae intra ambitum ecclesiae S. Ferdinandi ducitur. Hoc enim esset, iuxta patronum, idem ac immutare obligationis obiectum ; ideoque novam, imponere obligationem, ad quam suscipiendam nemo invitus cogi potest. Neque pariter putat invocari posse deliberationem diei 19 Iunii 1854, qua Capitulum concedebat ut fructus qui quotannis redigerentur ex summa pro distributionibus destinata, inservirent pro sacris solemniis quae feria tertia infra octavam SS. Corporis Christi in ecclesia S. Ferdinandi peraguntur. In primis enim certum esse monet ex hac deliberatione nullum fratribus SS. Trinitatis quaesitum fuisse ius ; namque non illis, sed Confraternitati SS. Sacramenti et S. Iuliae Capitulum recensitos fructus ad praedictum effectum concessit. Praeterea animadvertit, manifestum esse, praedictam deliberationem non esse nisi actum merae liberalitatis ex parte Capituli, quod ita omnino libere et nullo iure cogente de re sua disponebat. Quinimo, subdit, ut ex recitatis verbis eruitur actus hic merae liberalitatis ex parte Capituli non fuit absolutus, nec inconditionatus, sed valiturus « fino a nuovo ordine ». Quam clausulam non ita accipiendam esse contendit, veluti adversarii interpretari videntur, ita ut significet, usque dum publicae processiones iterum peragi possint, sed usque ad novam Capituli de re sua libere disponentis deliberationem. Unde autumat fuisse

actum merae liberalitatis, cuius ad nutum revocandi facultatem sibi expresse reservavit Capitulum.

Hac igitur libertate fretos canonicos liburnenses ad aliam capitularem deliberationem diei 7 Iunii 1890 devenisse memorat patronus, atque exinde praedictum liberalitatis actum revocatum extitisse. Ulterius monet recentem deliberationem, si res iuxta iuris principia diiudicari velit, nullius alieni iuris laesivam esse, cum in ea capienda iure suo legitime usum fuerit Capitulum. Multoque minus dici posse contendit eamdem nullius roboris et effectus esse propter non interpositam Ordinarii auctoritatem, veluti in appellata sententia declaratum est. Siquidem hanc superioris auctoritatis interpositionem nullimode necessariam putat, inspecta in primis ipsa natura actus de quo agebatur. Sane in themate haud agi affirmat de pio legato prout sententia tenuit, sed de vero contractu bilaterali et oneroso, nec proinde quod de primo in iure constitutum est, aequa lance ad alium transferri posse. Toto enim coelo, subdit, differunt inter se actus mortis causa, quale est pium legatum, et actus inter vivos, quale est in casu negotium inter Capitulum et sodales SS. Sacramenti et S. Iuliae gestum. Unde cum ex iis quae superius de huiusce negotii indole et natura disseruit, hoc in propatulo positum esse videatur, quod perdurante causa publicas processiones impediente, canonici a suscepta obligatione liberentur quin aliquid ab illis repeti possit, consequens etiam esset fructus summae pro distributionibus assignatae, ipsa exigente iustitia, interim Capitulo cedere, ipsumque de illis tanquam de re sua pro lubitu disponere valere. Praeterea nec interpositionem episcopalis auctoritatis necessariam apparere monet, inspecta natura Capituli agentis. Quamvis enim, ait, in iure Capitulum pupillo aequiparetur proindeque in genere in actibus capitularibus superioris auctoritatis interventus requiratur, attamen in themate necessaria non erat eo quod sine ullo iurium alienorum detrimento inde melior Capituli conditio evadebat.

DEFENSIO PATRUM SSMAE. TRINITATIS. Verum ex altera parte negari posset nullam hac in re actionem patribus SS. Trinitatis erga Capitulum competere. Licet enim praecipue negotium inter Capitulum et Confraternitatem gestum fuerit, nihilominus et religiosi S. Ferdinandi et gestores Piae Domus aliquam partem in conventione habuerunt. Insuper cum praedicti patres fere dimidium summae pro distributionibus erogandae suppeditaverint ad hoc, ut ex eorum ecclesia feria tertia inter octavam SS. Corporis Christi solemniori pompa, publica duceretur supplicatio, haud aequitati consonum videretur, eos praefata exceptione a iudicii limine arcere parochumque vetare, ne eorum quae pro augmento cultus SS. Sacramenti in sua paroecia statuta fuere, quo fieri potest modo adimplementum urgeat. Ceterum cum, uti constat ex actis S. C. transmissis, in praesenti causa sodales SS. Sacramenti et S. Iuliae plene Trinitariis adstipulentur, praefata exceptio incassum allegari videretur.

Quod vero attinet conventionem initam anno 1750, animadverti posset illi haud omnino congruere quod Capituli patronus praesertim ex civili iure recolebat. Ex ipsis enim verbis quae ibi prostant « fondo e dote di tale Opera Pia, » nec non ex fine eorum qui pecuniam suppeditarunt, satis aperte colligi videretur agi revera in themate de dispositione ad pias causas, quae aliquomodo pii legati naturam induit. Neque obstat quod dispositio formam stipulationis praeseferat ; namque, ut scite observat Lucidi *De Visit. sacr. Um. tom. II, cap. 7 art. 2, n. 30:* « quamvis omnes piae dispositiones ex maxima parte per ultimam voluntatem peragi soleant, nihilominus non raro fit, ut et per quemlibet alium actum inter vivos peragantur. » Verum, his positis, cum ob temporum adiuncta vel aliis de causis voluntas disponenti s executioni mandari nequeat, potius quam ea quae ius caesareum de innominatis contractibus statuunt, intrare viderentur iuris canonici sanctiones, iuxta quas, teste Schmalzgrueber *lib. III tit. 26 n. 208* legata pia ita implenda sunt, ut quam minime recedatur a voluntate testatoris, cum

voluntas fundatoris sive in testamento, sive alio actu inter vivos expressa, in quolibet pio opere exequendo, ceu suprema lex habenda sit. Ad rem Card. De Luca, *annot. ad Conc. Trid. disc. 21. n. 3:* « posita impossibilitate adimplendi quod disponens voluit, suppletio vel subrogatio potius quam commutatio dicenda videtur ne alias dispositio caducata remaneat, ex ea congrua ratione quoo[1] pia dispositio principaliter directa dicitur in Deum propriamque animam. Unum vero vel alterum opus dicitur accidentaliter destinatum, ut ubi impleri potest servetur defuncti voluntas, ubi vero non, id sequatur in eo in quo sequi potest. » Atque superius monuerat, quod ubi voluntas impleri nequeat, effectum sortiri debeat in alio opere , atque in ista unius vel alterius operis electione vel destinatione Episcopi arbitrium consistere.

Hisce animadversis, en quomodo PP. Trinitarii et Confraternitas arguunt. Contractus fundationis diei 18 Iulii 1750 actum bilateralem constituit ex utraque parte onerosum, qui proinde rescindi nequit nisi ex utriusque partis consensu, debito modo expresso. Iamvero huic contractui ob temporum calamitatem, utraque parte consentiente, et Ordinario Liburnensi pro Capitulo, quod pupillo in iure comparatur, auctoritatem interponente, suffecta fuit per deliberationem capitularem anni 1854 alia conventio, qua Capitulum statuit tradere dispositioni Archisodalitii,... et pro ipsa, suis vicem agentibus— cunctos reditus pro praedicta distributione— ut per dictam assignationem... fiat... analoga functio in parte interiori dictae Ecclesiae S. Ferdinandi.

Flaec proinde conventio eamdem omnino naturam induisse videretur ac contractus primitivus, ita ut Capitulum absque alterius partis consensu et absque necessaria Ordinarii interpositione recedere ab ea non possit. Aliis verbis, ut adnotabat in suae sententiae rationibus Liburnensis Antistes, concessio dicti reditus, quam capitulum fecit favore functionis in S. Ferdinandi Ecclesia naturam induit verae et propriae renuntiationis, interventione Ordinarii authenticatae..

Anno 1854 Capitulum legitima possessione fruebatur, et frui prosequi poterat, volebat tunc cedere ; sed postea anno 1890 de ea nequibat disponere aliter quam constituerat cum interventione Ordinarii, statuendo, ut reditus in propriam capsam redirent. Quapropter ex hoc etiam concludendum esset, resolutionem Capituli diei 7 Iunii 1890 minime sustineri.

Hinc etiam patere autumant fratres SS. Trinitatis et sodales S. iuliae, quod clausula illa Capituli in deliberatione anni 1854 apposita etsi pro certo habeat nullam sibi inesse obligationem aliter intelligi non possit quam : quod usque ad illam diem capitulum suos legitime facere illos reditus, videlicet sese haud obligari ad renunciationem usque ad novum ordinem, intelligi debent usque ad novum ordinem, et verba non quidem ex parte Capituli, sed ex parte Ordinarii. Et ita sane antea semper actum fuisse memorant. Etenim nonnisi de mandato Archiepiscopi Pisani summa de qua controvertitur, anno 1786 erogata fuit in celebrationem missarum, nonnisi de mandato Episcopi Liburnensis versa fuit in aerarium capitulare anno 1849; et demum nonnisi auctoritate ipsius Liburnensis Antistitis anno 1854 destinata fuit pro functione intra ecclesiae S. Ferdinandi ambitum peragenda.

Id autem magis magisque ex eo confirmari censent, eo quia praefata summa « di 250 pezze » anno 1750 Capitulo concredita, ut superius observandum duxi, naturam praesefert pii legati seu dispositionis ad scopum cultus. Iamvero expresse Tridentinum *sess. 23 De reform, cap. 8* statuit ut omnia quae ad Dei cultum instituta sunt ipsi, scilicet Episcopi, ex officio suo cognoscant et exequantur. Nihil igitur, concludunt, poterat Capitulum anno 1890 ex se decernere vel immutare.

Ceterum aequitati et canonicis sanctionibus prorsus consentaneum apparet, quod ubi quis obligationis alicuius obiectum ob superveniens impedimentum ex integro praestare non valeat, illud saltem praestare teneatur ea ratione qua

rerum et temporum adiuncta sinant. Idque manifeste fateri visum fuit etiam Capitulum in deliberatione anni 1854, quando statuit cedere Archiconfraternitati fructus ee. ut processio fieret. Hinc prohibitis processionibus per publicas vias, idem Capitulum teneri videretur ad eam intra ecclesiam peragendam, alioquin distributiones, quae ad hoc assignatae fuerunt amittere debeat. Quae etiam exemplo supplicationum Rogationum aliorumque, praeterea comprobantur. Ceterum et praesumptio voluntatis fundatorum haud incongrue invocaretur, qui si iniquas leges praevidere potuissent, id expresse cavendum in inita conventione enuntiassent.

Nec obiiciat fortasse Capitulum se obligationis suae adimplemento, modo quo temporum calamitas sinit, satis consuluisse in deliberatione anni 1890, qua statuit summam redituum esse dividendam, ita ut dimidium cedat canonicis interessentibus processioni, et alterum dimidium cederet pro solemni expositione, quam sodales Adorationis perpetuae faciunt in cathedrali, praedicta dominica.

Scopus enim huius piae fundationis non fuit tantum, ceu Capitulum ait, ut capitulum benificaretur et honoraretur SSmum Sacramentum, sed etiam aedificatio spiritualis fidelium, ceu notatur in contractu anni 1750. Iamvero processionem intra ambitum ecclesiae S. Ferdinandi prae illa quae in Cathedrali peragitur, huic scopo melius respondere haud esset ambigendum. Cum autem processio in ecclesia Cathedrali die Dominica infra octavam Corporis Christi aeque a Capitulo ducenda fuisset, minime apparet etiam quomodo per deliberationem anni 1890 cultui SS. Sacramenti consultum fuerit.

Quibus animadversis, proposita fuerunt diluenda sequentia

Dubia

I. *An sententia Episcopi Liburnensis diei 16 Martii 1891 confirmanda sit in casu.*

II. *An et quomodo, perdurante causa, publicas procès-*

¿*iones impediente, eroganda sit summa pro distributionibus assignata in casu.*

RESOLUTIO. Sacra O. Concilii re discussa sub die 21 Maii 1892, censuit respondere : *Episcopo qui curet rem componere donec perdurent praesentes circumstantiae.*

PARISIEN.

MATRIMONII.

Die ***27*** *Augusti* ***1892.***

Sess. 24 Cap. 9 De reform, matrim.

COMPENDIUM FACTI. Anno 1889, die septima novembris, coram parocho loci vulgo Courbevoie dioecesis Parisien., Stephanus Céron medicus Lutetiae Parisiorum degens atque Martha Armandina Bonnecaze, ex patre, eodem dicto loco medicam itidem artem exercente, annos viginti quatuor nata, legitimo matrimonio iungebatur. A bimestri circiter sponsus ante nuptias sponsam eiusque genitores, quibus hucusque ignotus erat, semel aut bis per hebdomadam invisebat, atque inter talium salutationum tempora iuvenem se exhibere videbatur civilem, circumspectum atque bene moratum. Ast cum aere alieno erat oppressus, ipse, praeter sat pinguem promissam sponsae dotem, nihil aliud appetebat ad normam eorum qui, ut ait Chrysostomus, « hoc solum in sponsalibus inquirunt, scilicet quantum mulier abundet divitiis et cetera omnia posteriore loco habent. » Imo vero, in censu eorum etiam idem erat habendus, quibus, teste D. Bonaventura coniugium « potius est prostibulum privatum sive secretum quam matrimonium. »

Martha e converso puella apprehendebatur modestia atque christiana pietate ornata, quae ob id matrimonii desiderio tenebatur ut maternitatis gaudia sibi conciliaret.

Vir itaque a nuptiarum limine nullo se cum uxore amore coniunctum exhibere, verecundiam ei obiurçare, verbis eam

male accipere, de obscoenis et turpissimis cum ipsa continuo disserere atque, posthabito naturali coniugali opere, inhonestos actus in miserrimam et inexpertam puellam exercere incoepit, quae exinde etiam in corpore gravia detrimenta mox passa est.

Haec cum Marthae genitores sciverint oculisque perspecta habuerint, legitimis anxietatibus pressi de salvanda atque liberanda filia efficaciter cogitarunt, et sexagesimo quinto aut sexto die post nuptias, pater eamdem de domo mariti ad propriam secum deduxit, necnon die 23 sequentis februarii divortii sententiam a iudice civili impetravit. Puella autem de huiusmodi sententiae inefficacitate, quoad coniugale vinculum, bene conscia paulo post, sub data scilicet 24 martii eiusdem anni ad Pontificem maximum, ut cum ipsa de inconsummato matrimonio dispensare dignetur, supplices litteras direxit.

Disceptatio Synoptica

VOTUM CANONISTAE. Imprimis hic ait, Benedictinas praescriptiones, vigilante in id praeclarissimo matrimonialis vinculi defensore, quoad substantialia rite servatas animadverto. In actis adsunt tabulae processuales ex parte viri, eo quia etiam ter iudicialiter citatus, ut in iudicium conveniat, contumaciter perstitit, nec testes designavit, qui contra actricis relata et allegata deponere valerent. In hoc nihil inveniri quod causae officit, neminem latet. Non enim uxor tenetur pro marito, LL. 2 et 3, C. *nec uxor.* — Viro itaque contumace, Parisien, vinculi defensor optimo consilio ductus ex propinquis eiusdem testes duos et quidem civilis conditionis ex officio citatos esse voluit, qui comparuerunt atque sub sacramento de veritate deposuerunt. — Demum quoad corporis puellae inspectionem in casu a quatuor medicis non vero ab obstetricibus facta est, quod sane cum non sit ad litteram iuris, iuri tamen contrarium non censetur, cum hoc nedum medicos excludat, eorum ope interdum utendum esse

decernit, Cap. Ex litteris 3 *De frigidis et male f.,* atque obstetrices ipsas a medicis edocendas esse in Instruct, a S. C. C. die 22 aug. 1840 editis praescribatur.

Sed iam viscera causae ingrediamur eo sane fine, ut de duobus his investigemus, scilicet: 1. Utrum ad sacrorum canonum normam sat certo de praesenti matrimonii inconsummatione constet. — 2. Utrum sufficientes prostent rationes et quae S. S. consiliandum esse pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato suadeant.

Nunquam cum ipsa virum copulam perfectam, matrimonium consummantem habuisse, imo nec unquam ad eam ipsum coniugaliter accessisse, licet per sexaginta et ultra noctes eodem toro usi sint, oratrix iurata atque de iuramenti gravitate bene edocta, expressis verbis coram iudice ecclesiastico declaravit.

Interrogata de inconsummationis causis respondit se vehemens desiderium saepius marito manifestasse ut materfamilias fiat. Vir autem filios procreare sub paupertatis praetextu recusabat, vel etiam tale interdum responsum dabat, ex quo coniicere est ipsum fuisse impotentem : « Mon mari pour me refuser ce que je désirais disait : Il y a des hommes qui n'ont pas d'enfants. C'est cette parole qui m'a fait penser après coup que mon mari était peut-être impuissant. » — Interim vir nefandis cum uxore luxuriis indulgebat vel indulgere expostulabat. Huiusmodi autem abominandi actus minime concubitus innaturales cum virilium admotione fuere, sed tactus impudici incessanter repetiti, oscula obscoena etc. Ita etiam ut ex frequentioribus venereis factibus et excitationibus a coniugis manu admissis, plagas sat graves in genitalibus mulier innocens accepit.

Porro quae sic per summa capita coram iudicibus puella deposuit, eadem prius, et quidem tempore non suspecto, per singula parentibus flens narraverat, ceu pater ipse deposuit, ipsaque mater.

In oratricis declarationibus apertissimum utique habemus testimonium de matrimonii non secuta consummatione, de-

que eius inconsummationis causa quae probabiliter impotentia viri, vel certe in foeda malitia eiusdem reponenda est. Verum licet magni faciendum sit uxoris testimonium, maxime cum, prout in casu, statim in novitate rei reclamavit Cap. *Accepisti* 1 De frigid, et malefic, attamen ut a septimae manus testimonio confirmetur, ius sapienter decrevit Ibid. Cap. *Litterae vestrae* 7.

Itaque oratricis pater medicus, sub sacramento deposuit, se credere absolutam fidem filiam eius mereri eamque in virginitate sua integram permansisse : idem confirmavit iurata mater. Bernardina Ferrier oratricis consobrina de eiusdem veracitate testata est. Quoad inconsummationis causam dixit se persuasum habere hanc esse viri impotentiam et eo quia ipse impotentem se sciebat, propterea uxori ab initio declaravit nunquam eam fore matrem familiam. Eadem alia iurata testis, Anna Krompholtz oratricis matertera de* sinceritate eiusdem atque de inconsummationis causa dixit, quam fuisse viri impotentiam pro certo habet. Idem deposuit Maria Patras scholae elementaris loci Courbe voie diretri x ; Armandus Bonnecaze, actricis frater in re medica laureatus, sororis veracitatem absolutam esse declaravit. Demum tres alii medici Parisienses, doctoris Bonnecaze amici, qui celebrationi matrimonii oratricis interfuere, coram iudicibus sub iuramento deposuerunt plenam fidem se adhibere actrici affirmanti consummationem nunquam secutam esse.

Iam vero contra uxoris de matrimonii inconsummatione affirmationem, atque unanimem septimae manus de eiusdem honestate, veracitate et pietate christiana testificationem, contradictoria militat mariti extraiudicialis declaratio. « Je ne puis par respect pour la vérité, ita ad Parisien. Curiae promotorem fiscalem scripsit, acquiescer à l'hypotèse de la non consommation du mariage entre Marthe Armandine Bonnecaze et moi. Entre nous deux l'union charnelle a été consommé. » Tum - nonne quia conscientiam animi aegre comprimere conabatur? - haec addeba t : « *A supposer u i è nie que les choses se fussent passées autrement:,* pensez-vous

que cet argument serait convenable à invoquer pour une femme vraiment chrétienne et bien née, surtout après deux mois seulement de cohabitation coniugale ?» - Incertam atque praeoccupatam mentem verba haec aperte manifestant, cum utique vix intelligere sit quare pro uxore christiana et civili, maxime post solum cohabitationis bimensem, indecens sit argumentum inconsummationis invocare, ut contractum matrimonium a Pontifice dissolvatur. Neque vero talem fuisse viri mentem, sed ipsum dum alterum hoc incisum scribebat, de impotentia propria cogitasse valde suspicor. Quidquid id sit, contra unius coniugis iratum testimonium alterius contumacis extraiudicialem affirmationem nihil probare certum est. « Testi enim non creditur nisi iurato » Cap. *Nuper nobis de test. cog.* atque : « *Testium iuratorum tantum valet testimonium* » Cap. Praeterea eod. tit. - Verum testis omnino non deest iuratus qui consummationem afflrmaverit. Henricus enim Panes de Courteille mariti consobrinus annos triginta quatuor natus ex officio citatus sub sacramento sic testatus est : « Sur ma demande il (maritus) m'affirma très catégoriquement que le mariage avait été consommée. . . . J'ai la plus entière confiance dans la loyauté de mon cousin Céron et par conséquent je crois à sa parole quand il me dit *qu'il a fait tout ce qui[1] a pu pour consommer son mariage.* » Quid roboris habeat huiusmodi testimonium Emi Patres facile iudicabunt, maxime cum haec transcripserim ab eodem teste dicta : « Je puis ajouter que le docteur (scilicet oratricis maritus) a eu à connaissence une dizaine de maitresses, h. e. concubinae, que j'ai connues, et verisimiliter omnes et singulas non cognovit, et que jamais on n'a fait allusion à l'impuissance du docteur Céron. » Ex hocce amici atque consanguinei testimonio luce clarius sponte fluit, doctorem Céron ante matrimonium moribus perditissimum fuisse iuvenem ac proinde nulla fide dignum. Alterum quod praecipue testis intendit, nempe eumdem non fuisse impotentem minime sequitur ex eo, quod cum tot concubinas habuerit de impotentia ipse unquam nihil audierit ; imo concubinarum huiusmodi

absque ulla prole successio argumentum potius est, eumdem vere ad generationem fuisse imparem.

Sed et testis alter a iudicibus auditus est ex officio in favorem mariti citatus, utpote ibidem consobrinus eiusdem, qui iam in matrimonii celebratione at testatus fuit. Hic aomen habet Iulium Blanchart, annos quinquaginta sex natus. Interrogatus circa matrimonii de quo agimus consummationem, respondit se noluisse in rem tam intimam inquirere. Interrogatus de honestate et veracitate consobrini dixit : « Je n'ai pas de raison de suspecter plus la parole de Céron ou de Me. Céron née Bonnecaze. » Interrogatus de inconsummationis causa simpliciter respondit : « Je l'ignore absolument », nil de inconsummatione ipsa affirmare ausus, nec consobrini laudare honestatem.

Standum itaque esse puto oratricis declarationibus iudicialiter a septima manu, et extraiudicialiter etiam a loci vulgo Courbevoie parocho confirmatis, scilicet matrimonium ipsius non fuisse consummatum et quidem ea probabili de causa, quia vir impotentia laborabat antecedenti, ex efFraenata venere a iuvene, imo et ab infantia, contracta.

Ad ea iam deveniamus quae circa inspectionem corporis in Actibus docemur. Haec utique maximi momenti universim esse atque magis magisque in themate attendenda cuius a tabulis processualibus confessio viri exulat, omnes fatentur. Attamen tanti ponderis habenda non est talis probatio, ut nisi perspicua virginitas exinde elucescat, dubia eadem omni ex capite censeatur. Sane physicum incorruptionis signaculum, natura ipsa duce, apud puellas omnes et singulas aequaliter perfectum minime invenitur. In his hymenea pellicula virginale ostium ita claudit, ut, quin frangatur, vir omnis illud ingredi nequeat, et tunc incorruptum sigillum virginitatis inconcussum est argumentum. In istis pellicula eadem naturaliter ita se habet ut accedente viro maxime si minus mentulatus apprehenditur, facile cedat, ipso regrediente, ad statum priorem redeat ; et tunc sigilli incorruptio in nullam partem est probatio. Demum quod servatis naturae

legibus coniugalis copula corrumpit, hoc et depravata manus corrumpere valet ; quare neque in clan stri violatione consummati matrimonii testimonium subest. Ita utique tum a veteribus qui de re physiologica et medica scripsere docemur, Zacchiam quaest, medico-leg. L. IV, Tit. II) tum a modernioribus, Manuel de medicine legale par Briand et Chande pag. 90.

Hisce praeiactis, quid de virginalis claustri statu apud oratricem medici, qui sedulo facta inspectione sub iuramento deposuerint audiamus. A duobus successive medicis paulo post coniugum separationem, id oratricis patre requirente, haec inspecta fuit, qui deinceps iurati coram iudice retulerunt, oratricem esse virginem. Uterque autem peritus, minime praehabito balneo, oratricem inspexerat, eo sane quia hoc nonnisi ad detegendam fraudem necessarium ducitur, quam pro honestate illius nemo in casu suspicabatur. At cum iure merito Benedictina Constitutio balneum requirat, sapienter a iudicibus, decisum fuit oratricem rursus rite, servatis servandis, ab aliis duobus peritis medicis esse inspiciendam. Et ita in Parisien, hospitio sororum Augustinianarum factum est praesente una ex istis quae de hac re iuratas testata est.

Primus medicus peracta relatione, ita conclusit :

1. In hymene nullum ruptionis apprehenditur vestigium.

2. Attenta naturali hymenis configuratione affirmari nequit, puellam a viro nunquam fuisse penetratam atque matrimonium non fuisse consummatum.

3. Attamen in inspectis organis nihil est quod den"orationem denotet.

Postquam oretenus coram iudice declaratione ista iuramento confirmaverit, testis interrogatus utrum quid depositioni addendum ei superesset, respondit : « Après avoir entendu lecture de la déposition du père de la demanderesse et de celle du docteur Piquet, je crois devoir admettre que l'état de laxité des organes de M.me Bonnecaze pourrait s'expliquer, par les pratiques anormales exercées sur elle par son mari. »

Alter autem peritus medicus rite facta in eodem hospitio, insequenti die, mulieris inspectione, sub sacramento dixit omnino intactam se invenisse hymenem.

Quatuor itaque peritis medicis unanimiter iudicantibus atque iudicium sub sacramento confirmantibus, apud puellam oratricem a marito etiam iudicis civilis sententia separatam, virginitatis signacula integra et incorrupta inventa sunt. Iam vero istud est quod primario in specie per inspectionem corporis attenditur. Quoad alterum utrum scilicet signacula eadem seu hymenea membrana taliter sint configurata ut sine laceratione eiusdem copula haberi absolute possit necne, hoc communiter incertum quid est, tum ab intrinseca maiori vel minoris hymenis laxitate, tum maxime a virilis membri crassitudine dependens. Unde passim, prout in casu, contingit, peritos hac de re plus minusve dubitando iudicare vel etiam non plane consentire. Dubitatio autem huiusmodi vel dissensio cum ex ipsa natura oriatur, si forsitan causam multum non iuvat, eidem officere nequit.

Concludere circa primum supraenunciatum quaesitum iam sic liceat. - Testimonium habemus iuratum puellae ingenuae atque optimae honestatis famae matrimonium a se legitime contractum, mariti utique culpa, nunquam fuisse consummatum. Septima manus uno ore veracitatem atque fidem eiusdem laudat atque dictum matrimonium tanquam vere inconsummatum se habere declarat. Corporis inspectio nihil prodit quod tali testimonio contradicat, imo virginitatis attributa et signacula integra et incorrupta demonstrat et exhibet. Quid amplius, eo maxime quia in hoc genere causarum non severiores probationes sed moraliter convincientes requiruntur, iure exigamus ut supra tali matrimonio, utpote rato et non consummato, Pontifex dispensare benigne possit et valeat, ego non video.

Quoad causas dispensationis vix esse videtur cur in inquirendis huiusmodi causis inhaeream, cum ex ipsis discordiarum inter coniuges narrationibus sat superque, ni fallor, fluit tales hic praesto esse omni exceptione maiores quae

separationem non optabilem tantum sed et necessariam reddunt. Sane si unquam conveniens sit, Pontificem matrimonium solvere ratum et non consummatum, magis ubi haec in consiliandam dissolutionem concurrunt nimirum:

1. Periculum fidei pro uxore ex parte mariti increduli et impii. - 2. Contemptum sacramenti, ex parte eiusdem, qui etiam reclamante coniuge, nefaria venere uti minime vero filios procreare velit. - 3. Viri perversio talis quae spem nullam animorum reconciliationis relinquat. - Quod tria haec in casu prostent certum est.

VOTUM THEOLOGI. Consultor censet hoc matrimonium non fuisse consummatum; animadvertendum tamen hic loqui de vero proprieque dicto consummationis defectu ; sive quia vir impotentia detinetur, sive quia licet potens, nec *materialiter,* nec *formaliter* consummavit. Clarius, nedum defuit elementi effusio in debito vase, quae *formalem* consummationem insinuât, utpote ad generationem requisita, sed neque penetratio vasis, a qua consummatio *materialis* arguitur. Paucis nulla adfuit consummatio.

Constat, ex praecedentibus matrimonium. Quamvis enim in eo ineundo nihil demonstraverit Marius, quod pessimo fine se moveri ostenderet, aliter nunc et testium revelatione iurata colligitur. Armandina matrimonium considerare solebat, ut a Deo institutum ad prolem habendam sancteque educandam, ut decet mulierem probam a piis parentibus educatam. Hinc non una vice, sed pluries, desiderium hoc honestissimum prolem habendi manifestavisse scimus. Non negat testis Henricus Panet, Marii Céron patruelis.

Ita ne cum uxore sua sentiebat maritus? Notandum hic est, Medicum Céron, de religione, de moralitate, honestateque non recte sentire. Haec quae a bene moratis veneratione habentur, ipse contemnit. Virtus, honestas, iuxta ipsum vana nomina sunt. Ex his iam quisque arguere potest eiusdem animi sensus de matrimonii sanctitate eiusque officiis, et moraliter certum est, munia quae ex matrimonio oriuntur considerasse ut quid omnino indifferens, quae executioni

mandanda sunt aut omittenda, prout utilitas edocet. Nisi quis velit ita se gessisse, et indifferentiam iactasse, quia non poterat illa munia implere. Nec immerito ita opinaretur, cum ex actis appareat, eumdem pertimescere impotentiae accusationem, et omni modo adniti, ut se potentem esse demonstret.

Neque notatos animi sensus ioco manifestare solebat. Peiora sunt quae sequuntur, eaque referenda puto, quippe quae clare evidenterque ostendunt cur matrimonium inierit, quae de eo vera deliramenta protulerit, cum nullam pertimesceret manifestationem in sui perniciem. Ipse enim confidenti colloquio animum suum aperuit cum familia sibi amicitiae foedere de victa antequam matrimonium contraheret. Aiebat enim: *La femme était un meublé, qu elle valait, ce quelle rapportait: quii n'y avait que cela à considérer dans le mariage,..* — subiungit testis... *il ne desirait pas se marier pour avoir des enfants, mais pour avoir de Vargent.* Ad quid haec omnia? profecto vel quia propriam impossibilitatem consummandi -non ignorabat, aut quia vir pessimi consilii, ad matrimonii bona non onera animum convertebar

Et inito matrimonio, quae eius mens praevia? quae intentio praecedens? Dote potiri ac perfrui, et matrimonium non consummare. Haec mens veraque eius intentio. Revera inito coniugio, illud consummandi nulla erat in eo voluntas ; et uxori prolem desideranti, respondit his verbis, vitioso homine dignis : *n étions pas aussi riches pour nous donner le luxe d'un enfant, et que pour lui il ne voulait pas.*

Hinc ad uxorem accedebat, non eo fine ut matrimonium compleret. Nam actio illa quam natura insinuât, hodie ab hominibus abhorreri aiebat. *L' accomplissement du devoir coniugai était chose vulgaire... Aujourd'hui les hommes recherchent d'autres plaisirs plus rafinés.* Ita refert Armandina ad Summum Pontificem. Haec, consummationem nec materialem intervenisse, non probant, at notanda erant, quia ipsam dubiam esse insinuant.

Iam meliora validiorque argumenta propono, quae nul-

Iam consummationem adfuisse confirmant. Negat cum iuramento Armandina, consummatum fuisse coniugium, affirmat maritus nullo interposito iuramento, eo quia semel iterumque citatus adire renuit. Quisnam horum fidem meretur ? Armandina ne an Marius ? Regulariter duce Sánchez fides habenda marito, quia caput est uxoris ; non autem quando argumenta non desunt, quae ipsum mendacem ostendunt. Ipse ut antea vidimus, vir est non bene moratus. Pessime de matrimonio sentit, ut constat ex verbis quae ab ipso prolata sunt. Ad matrimonium ineundum, una utilitate compulsimi fuisse, ipsius verba abunde suadent. Quid mirum si nunc fidenter affirmo ad asserendam coniugii consummationem una utilitate compelli ? Ipse unus est qui consummatum fuisse affirmat, et quidem non una vice sed pluries. In Epistola ad doctorem Picquet acriter conqueritur, eo quod medicus hic non infimi nominis virginitatem Armandinae, suffragio suo adfirmaverit. Ipse non una vice, sed pluries consummatum fuisse affirmat. Sed si consummare potuit, et voluit, curnam propriam causam defendere recusavit? Ut bene advertit testis Bureau, *mon opinion personelle, est que s'il était vraiment puissant, il aurait ne pas se laisser condamner.* Si res ita se habet, quis adeo stolidus est, ut credere paratus sit, unice quia ipse fatetur? Profecto qui nihil se credere impudenter affirmat, mendacium mendacio addere certo non pertimescit nobisque ius concedit, ita contra eum arguere. Una utilitate movebaris ad matrimonium, una nunc utilitate illud consummatum, fuisse affirmas.

Audiendus est testis omni exceptione maior scilicet P. Fagit Vic. Gen. in Epistola ad Card. Praefectum. *Haec fuisse videtur mens eius* (D. Ceron), *ut nempe sibi pro eo quod abstineret ab actione contrarili, remitteretur summa pecuniae, quam uxori domum paternam repetenti restituere debuisset, quamque debitis solvendis expender at. Timens vero ne impotentiae accusaretur, voluit... se potentem asserere -consummationem matrimonii affirmans.*

Haec quidem ultra suspicionem non procederent, nisi

testis quidam, nempe nobilis Favet de Courtelle ex officio citatus fide iuramenti addita, deposuerit se probe scire, et testificari quod in praesenti causa matrimoniali, huiusmodi consensus intervenerit mediantibus procuratoribus, iuxta quem VIR PETITAE DISPENSATIONI EX INCONSUMMATIONE NON OBSTARET *his tamen conditionibus: a) quod non intentaretur nullitas ob impotentiam viri, sed tantum peteretur* dispensatio ex inconsummatione, alioquin nullitati sese opponeret: *b)* quod sibi committeretur pars dotis, quam restituere deberet. Quam depositionem et fide iuramenti et *subscriptione firmavit, ea tamen conditione ut secreto omnino remaneret, ne graves inde oriantur inimicitiae...*

Cuius auctoritatis sit testis hic singularis, quamque fiduciam mereatur indigitat ipse Reverendissimus Vicarius his verbis : *Non est suspectus ille testis viri consanguineus. Cui proinde favere voluisset, nisi obstitisset veritas.* Haec ille. Ex quibus argumentari licet D. Ceron uno eodemque momento esse animo comparatum, consummationem, et inconsummationem fateri, dummodo non impotens iudicaretur, et quod forte maxime avet, pars dotis ipsi ultro concedatur. Porro qui affirmat et negat, opponitur et concedit, prout utilitas dictat, nemo, nisi mentem amisit, fidem mereri affirmabit. Unde consummatio matrimonii a Ceronio toties iactata, purum putumque mendacium est.

Dum vero medicus Ceron nullam fidem mereri affirmo, non ita dicendum esse puto de actrice in causa. Plenam mereri fidem omnes, uno ore, et unanimi voce testantur. Eius honestatem laudibus prosequuntur. Armandinam morum integritate esse conspicuam affirmare non dubitant. Ne suspicantur quidem ab eius ore mendacium posse prodire. Eam laudibus efferunt non solum parentes sed etiam extranei. Ipsi Ceronii fautores interrogati an Armandinae sit fides habenda? an verax? non affirmant, sed negare non audent. Eam non perfecte se cognoscere reponunt. Accedit ad haec promptitudo sese exhibendi cuilibet experimento, quoties tribunal ecclesiasticum iudicet necessarium esse, ut eius virgi-

nitas comprobetur. Quae promptitudo deficit in marito, qui altum servat in sua causa silentium, eique sat est affirmare consummationem fuisse peractam. Haec opposita agendi ratio, probat bonam fidem in Armandina, malam in medico Ceron. Porro ipsa nullam intervenisse consummationem non una vice, sed pluries cum iuramento affirmat.

Arrnandinae assertio non solum ut vera retinenda est, quia a mendacio aliena censetur, sed etiam quia medici ipsam virginem adhuc esse testantur.

Unus est D. Ferrant certe non intimae notae, qui matrimoniales actus defuisse non audet asserere. Et attenta structura, et laxitate hymenis haeret anceps, an consummationem vel inconsummationem affirmare debeat, vel negare. Nihilominus ipse quoque hymenem intactum esse testatur *(Certif. Conci.* i.) Repetit hymenem esse intactum in depositione iuramenti firmata. Ex his quid in facti specie sit decernendum, facili negotio colligitur. Periti de facto conveniunt hymenem esse intactum. Porro ait Gasparri in recentissimo tractatu Canonico N. 1065, *principium est matrimonium habendum esse ratum tantum, si hymen qui vaginam claudii, est intactus, id enim indicat semen in vaginam immissum non fuisse______Proinde iure meritoque iurisprudentia S. C. C. retinet matrimonium hymene integro non esse consummatum nisi ex medicorum consilio et attestatione aliud constet.*

Duae hic difficultates occurrunt, altera ex parte viri : altera ex parte mulieris. Ex parte viri, quia nulla inspectio facta est. Ex parte mulieris, in qua laxitas quaedam hymenis invenitur, quae consummationem matrimonii insinuare videtur. Nam, ut ait Cosci lib. 1. C. XVI. N. 54, *dispensationem a matrimonio rato obtinere non poterit, si obstetrices* eius genitalia relaxata reperiant.*

Iamvero prima difficultas, certitudinem moralem inconsummationis ex animo meo nullo modo evellit. Inspectio viri, impossibilis omnino evasit, eo ipso quo semel iterumque citatus noluit obedire. Porro viri pervicacia in damnum mu-

lieris verti non debet. Eo magis quia Àrmandinae inspectio sufficientissimum exhibet argumentum, ut matrimonium ratum mansisse dicamus. Quoad alteram difficultatem, prima fronte haerebam anceps, et laxitatem illam, dubiam saltem matrimonii consummationem, mihi insinuasse candide fateor. At re melius expensa, non ita censendum puto. Iam ipsi periti, hymen intactum esse nullamque praeseferre lacerationem, cicatricem, umbram rupturae (déchirure) unanimiter confitentur. Qua integritate admissa, consequens est Armandinam virginitatis nota gaudere, eo magis, quia ex illa laxitate non arguitur violatio. Utor hic verbis Zachiae, quae rei nostrae apprime conveniunt. In suis consultationibus et responsionibus, refert duas obstetrices a laxitate viarum, virginitatem dixisse amissam. Quibus ita respondet. *Inane porro omnino alterum indicium indicavimus ex laxitate viarum ipsius uteri... cum, necque ex earum angustia argui possit virgmts integritas, neque ex laxitate defioratio quia..., reperies ex ipsis virginibus, in quibus nulla suspicio deflorationis imaginari potest, nonnullas tam patentes, ac laxas vias habere, imo etiam tam humectas, ut ne scortum quidem... tam patentes aut laxas habeat... Contra vero nonnullae... utero tam angusto d ot ant ur, ut etiamsi millies in dies exagitentur, tamen ne vestigium quidem compressionis servare solent.* Ita *{Cons. 41).* Unde exilia laxitate virginitatem amissam fuisse, et matrimonium consummatum falso deduceretur. His rite perpensis, affirmandum censeo, matrimonium Armandinam inter et Marium mansisse tantummodo ratum.

Si res ita se habet, videndum nunc est, an Sanctissimo supplicandum pro dispensatione, quam Armandina implorat. Quando matrimonium ratum esse censetur, et aut unius aut utriusque non est evidens certaque impotentia, convenit ut ad vitam communem iterum instaurandam dulciter compellantur. Hoc non omisit Curia Parisiensis, ut Vicarius Generalis in Epistola ad Card. huius ordinis Praefectum confitetur. *Mulieri quidem obiecimus cohabitationem fuisse brevio-*

rem, quam ut vitio vertere possit viro suo inconsummationem matrimonii, et *praesertim, istam tribuere ipsius impotentiae: illa necnon eius parentes respondent, impossibilem esse vitam cum liomine irreligioso, obscoeno, venerisque-morbis infecto.* Hanc conciliationis impossibilitatem, omnes testes etiam partis adversae confirmant. Ipse Ceron non certo repugnat, matrimonii dissolution! nullo modo opponitur, dummodo utilitati suae consulere possit, scilicet impotens non declaretur, et ad dotem restituendam non adigatur. Hinc velle utrumque unire, idem esset ac ipsa non levia incommoda renovare, quae hodie Armandina iuste deplorat.

Quod si, ut D. Picquet testatur, maritus eo usque processit ut Armandinam armata manu minaretur, si quidpiam . le eorum individua vitae consuetudine revelaret, et quae secreta desiderabat aliis confideret, ipsius Armandinae mulieris esse, cum tali viro vitam communem instaurare nemo contendet. Quid enim sperare potest ab homine, qui nec virtuti, nec honestati, nec religioni, se credere profitetur? Et e contra quid est quod non debeat formidare ab homine, qui uxorem dote expendit, et iuxta mensuram pecuniae quam marito defert, contemnit, existimat?

Addendum hic est divortium in foro civili iam fuisse iuridice declaratum, et ratum habuisse tribunal, quidquid contra maritum testificata est Armandina. Unde quae conciliatio inter utrumque, si divortium civiliter declaratum atque sancitum, mulieri favet aversanti consortium, et viro non displicet. Impossibilis itaque conciliatio.

Si haec ratio sat esset ad dispensationem obtinendam, concluderem illico supplicandum esse Sanctissimo. Occurrit tamen et alia causa. Armandina dispensationem postulat a matrimonio rato, quod probat abunde, aut nolle, aut non posse castimoniam servare. Cur enim Pontificis indulgentiam implorat, nisi quia non solum non abhorret a novo coniugio, sed data opportunitate illud libenter iniret? De medico Ceron omnino reticeo. Si irr digiosus est, male moratus, ad eum quod attinet, idem est ac uxorem habere aut non habere.

Econtra, supplicando pro dispensatione, saluti Armandina consulitur, quae alteri et meliori viro in uxorem tradita, meliorem, quam ob suam virtutem honestatemque meretur, fortunam inveniet.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFÌCTO. Medico Stephano Céron, cui die 7 Novembris 1889 laete nupserat Armandina Bonnecaze, annos 24 nata, valedixit labente meise Ianuario 1890, posteaquam 66 dies thalami communione cum ipso usa fuerat.

Armandina causata est inconsummationem matrimonii: sed Henricus Pavet, testis ex *officio* inductus inconsummationem inficitur.

Concinit alter testis *ex officio* adhibitus, Victor Blancard, qui refert : audivisse ab ipso sponso Ceron quod matrimonium consummatum fuit. Doleo quod parisiensis iudex non alios quoque testes et praesertim Armandinae famulam, ad examen acciverit.

Fortasse iudex parisiensis supervacaneum duxit alios testes .ex officio audire ob factum eloqueatissimum, quod ipsemet iudex, in uteris ad Emum S. C. C. Praefectum die 12 Iunii 1891 datis, refert, atque documentum inserit, a R. P. D. S. C. Secretario in die generalium comitiorum legendum. Quae enim quaeso fides adiici potest Armandinae testibusque ab ea inductis, cum in probatis sit eam solemniter, ministerio iurisconsultorum, pacta pecunia, condonata viro conspicuae dotis restitutione, obtinuisse ut iste a iudicio abesset? Ingenuus mehercule est parochus Benac, qui, ut Armandina a sumptibus litis apud S. G. C. eximatur scribit quod istius parentes sese depoliaverint de multa suae substantiae parte, favore praedilectae filiae.

Hisce praehabitis, paucis me expediam a medentium in medium allatis testimoniis. Porro quatuor periti corpus Armandinae recognoverunt ; duo, iubente Armandinae patre, duo vere iudicis iussu. Primi duo sunt extraiudiciales, et ideo etc. Quo vero ad medicorum iudicialium testimonia, déme anfractus verborum, deme studium ab eis impensum ne

actrici displicerent, et luce meridiana clarius enitet medicos Ferrand et Bucquoy de physica Armandinae virginitate non magis spondere quam archiater Lapponi et obstetrix Masi spondeant de virginitate Mariae Bailat.

Factis a medico cognitore Ferrand relatis semel admissis, nemo sanus virginalem Armandinae integritatem affirmare potest. Nec quispiam ea facta in dubium revocare audet, quia peritus Ferrand de rebus testatur quas ob oculos et ad manus habuit, neque Armandinae nocere animo intendit. Hinc contigit, ut alter medicus iudicialis Iulius Bucquoy, qui Armandinae suffragari pertentat, facta ab Angelo Ferrand renuntiata haud deneget, sed dimidiatim ipse referat.

Hisce animadversis, propositum fuit enodandum sequens

Dubium

An sit cons uhm! am Ss filo pro disper sation<> a matri ¡nonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. S. C. C. re disceptata, sub die 27 Augusti 1892 censuit respondere: *Affirmative.*

EX S. CONGREG. EPISC. ET REG.

ROMANA

SOLUTIONIS MUTUI AC FRUCTUUM

COMPENDIUM FACTI. P. Ioannes ex religiosa Familia N. syngrapha privata iam inde ab anno 1871 a Petro summam libellarum 50,000, posttriennium restituendam, mutuam accepit, pactis quinque libellis annuis pro quolibet centenario, asserens huiusmodi pecuniam erogandam esse pro sumptibus faciendis, quibus Bibliotheca Ordini addicta opus habebat.

Annui fructus, ceu conventum fuerat, usque ad mensem septembris anni 1888 ad unguem persoluta fuerunt. Verum

ex hoc tempore res aliter se habere coepit : nam P. Ioannes neque obolum ratione fructuum amplius persolvit.

Qua re commota Anna, quae una cum Sorore Barbara, Petri fratris haeres fuerat, tam pro fructuum solutione, quam pro sortis mutuatae restitutione cum Religiosae Familiae Superioribus agere coepit, ex eo quod, iuxta P. Ioannis scriptam declarationem, praedicta summa pro dicta Bibliotheca Ordini concredita, erogata fuerat.

Verum Annae conamina in irritum cesserunt : quandoquidem Superiores Ordinis, dato etiam quod pecunia intuitu dictae Bibliothecae mutuata fuisset, nihil se debere contendebant, ex eo quod religiosa illa Familia nihil commune habebat cum Bibliotheca, pro qua pecunia erogata dicebatur.

Hisce auditis, Anna, moras abrumpens, ad S. Congregationem Episcoporum et Regularium confugit, petens ut religiosus Ordo, tam ad fructuum solutionem, quam ad mutui restitutionem adigeretur, tum quia P. Ioannes Ordinis nomine et mandato mutuum contraxerat, tum quia etiam Bibliotheca, in cuius bonum pecunia mutuata impensa fuerat, ab Ordine omnino dependebat.

Disceptatio Synoptica

IURA ANNAE. Annae patronus, ut ostendat Ordinem teneri summam mutuatam cum respectivis fructibus persolvere, asserit nedum ex scripta declaratione P. Ioannis, tunc temporis Bibliothecae praesidis, verum etiam ex ipsius obligationis Syngrapha Annae tradita evinci praedictam libellarum 50,000 summam, cum annuis fructibus quinque libellarum pro quolibet centenario, Patribus traditam fuisse ; eamque, ut occurreretur Bibliothecae expensis, impensam fuisse.

Et huiusmodi declarationis veritatem confirmari tum ex facto, quod per 17 annos respectivi fructus iugiter persoluti fuerunt, tum etiam ex epistola diei lo ianuarii 1890, tempore scilicet non suspecto, ab eodem P. Ioanne scripta. In ea siquidem legitur, citatani summam iam restitutam fuisse,

si in iudicio contra gubernium tam ab eo, quam a ceteris Bibliothecae curatoribus instituto, Patres Ordinis victores ab arena discessissent.

Idipsum vim et robur accipere ex epistola quam Rmus P. Minister Oeneralis Ordinis ad *Annae Advocatum miserat.* Ex ea sane liquet eundem Ministrum Generalem declarasse, quod summa libellarum 50,000 pro saepedicta Bibliotheca erogata fuerat, quodque P. Ioannes ex ea nihil sibi attribuerat.

Idipsum tandem confirmari ex precibus et consiliis quibus Ordinis Procurator generalis Annam exhortabatur, ut laeto animo esset, neque mutui secretum cuipiam revelaret, ipsam certam, reddens mutuatam pecuniam quamprimum restitutam fore.

Neque admitti posse P. Procuratoris generalis epistolam referendam esse ad aliam rem toto coelo diversam ab ea, de qua agitur , ex eo quod ipsa de Annae credito specificam mentionem haud facit. Id enim elementaribus rectae interpretationis regulis repugnaret, quae docent, quemlibet titulum ad titulum vel causam referri oportere de cuius existentia unice constat : nec ad alios titulos vel causas referri posse, quorum certa et evidens demonstratio non exhibeatur. *S. liota dec. 371, num. 18 coram Crescendo ; dec. 198, num. 9 coram Pertingere, dec. 286, num. 17 coram Cerro ; dec. 1196. num. 8 coram Einer ix, et dec. 191, num. 13 coram Her rey a.*

Porro cum nulla detur demonstratio contraria Annam inter et Ordinem aliud negotium intercessisse, de quo Anna timebat, patronus concludit negotium, de quo mentio fit in citata Procuratoris generalis epistola, Annae pecuniam exclusive respicere a Petro mutuatam, ut Bibliothecae necessitatibus occurreretur.

Ex hactenus recensitis cum dubitari nequeat, quod, praeter P. Ioannem, Minister etiam Generalis Ordinis eiusque Procurator probe noscebant mutui existentiam eiusque favore Bibliothecae erogationem, patronus autumat nullo pacto ad-

mitti posse, quod idipsum Bibliothecae Curatores haud noscerent.

Ex quo infert mutui validitatem, ad quam obtinendam non esse necessariam scripturam, sed satis superque esse ait consensum verbis tantum expressum, dummodo ex facto liqueat pecuniam mutuo traditam in vesti tam fuisse.

Verum admisso parumper quod Bibliothecae Curatores consensum haud praestiterint, quodque praeterea contractus ex formae defectu, nullus ac irritus haberi valeat; nihilominus sustinet, quod religiosus, acceptam pecuniam restituere teneatur. Cum enim ex rationum momentis mox adductis plane liqueat, pecuniam ab Anna reclamatam in sumptus utiles ac necessarios erogatam fuisse, sponte fluit eidem Annae actionem *de in rem verso* dictam competere. Quandoquidem ius tum naturale, tum civile amico foedere conclamat, quod *nemini licet locupletari cum aliena iactura.*

Neque huiusce actionis *de in rem vc-so* exercitium impediri potest ex facto, quod utile ex pecunia mutuata derivatum, una cum Bibliotheca, in Demanii manus deinceps transierit. Quandoquidem ad hoc ut haec actio exerceri valeat, sufficit, ut pecunia utiliter erogata fuerit, eo temporis momento quo mutuata fuit, licet vel casu fortuito, vel facto quod a mutuantis voluntate haud dependebat, utilitas perierit et tempore quo actio exerceretur, amplius non subsistat. Ita *textus in leg. 3, § 7, 8 ff. de in rem verso ; et lex 17 eiusdem tituli in princìpio.* Cui concinit Cuiacius *Tract, ad African. Tom. 1, eo*[1]*. 1460, lit. C,* et Voet *ad Pand.* lib. 15, tit. 3, n. 1 et 2.

Neque pariter regerere valeret Ordinem nulla obligatione obstringi, ex eo quod Bibliotheca, pro qua mutua pecunia impensa fuit, ens a se, ab Ordine distinctum et independens constituebat. Huic siquidem difficultati patronus obviam it, perpendens praedictam Bibliothecam ideo in rapaces demanii manus incidisse, quia retentum fuit ipsam ad Ordinem pertinere, qui suppressioni subiectus fuerat.

Verum admissa parumper, sed non concessa, adversario-

rum visione, nihilo tamen secius subdit Ordinem erga Annam obstrictum teneri, quia, ex eo quod ipse Ordo, in proprium commodum, praedictum debitum declarare omiserat, in causa fuit, ut Anna mutuatam pecuniam a Demanio recipere haud valuisset.

Quid plura? Patronus sustinet Ordini onus incumbere, pecuniam pluries citatam Annae restituendi, etiam in perdita hypothesi, quod ipsa in Bibliothecae bonum haud insumpta fuisset, quodque P. Ioannes, sub ven tore m in errorem inducens, ipsam in proprios usus indebite convertisset. Idque ex eo quod P. Ioannes Bibliothecae Praesidis munere fungebatur, et ab ipso Ordine ad aliud maioris existimationis officium promotus fuit, postquam Praesidis muneri valedixerat.

Et in rei confirmationem citat *leg. i, §§. 8 et 9 ff\ de coercit. act.* quae sic se habet: « Si.mutuam pecuniam sumpserit, an eius rei nomine gestam videatur ? Et Pegalus existimat, si ad usum eius rei, in qua praepositus est, fuerat mutuatus, dandam actionem : quam sententiam puto veram. Unde quaerit Ofilius. Si ad reficiendam navem mutuatos nummos in suos usus converterit, an in exercitorem datur actio, et, ait, si hac lege accepit quasi in navem impensurus, non mutavit voluntatem, teneri exercitorem, imputaturum sibi cum talis praeposuero ».

Quibus positis, patronus concludit Ordinem teneri tum mutuam pecuniam Annae restituere, tum fructus, a mense septembri 1888, eidem persolvere.

IURA ORDINIS RELIGIOSI. Verum ex alia parte Ordinis Moderatores contendunt contradictum debitum una cum fructibus conventis non ab Ordine, sed a P. Ioanne persolvendum esse, hac potissima de causa, quia scilicet ipse independenter ab Ordine illud contraxit. Elementare siquidem in iure est, contrahentem obligationem, illam explere debere, iuxta illud effatum : *Quaelibet conventio suos tenet auctores.*

Porro quod lib. 50,000 mutuum ab Anna reclamatum a P. Ioanne independenter ab Ordine, imo ipso inscio, contractum fuerit, nullatenus dubitari posse videtur. Hoc siquidem

asserit P. Procurator generalis in epistola die 31 augusti 1891, et in altera sub die 26 ianuarii ad S. Congregationem missa. Hoc ipsum asserit, et confirmat P. Minister Generalis, qui in illa diei 10 maii 1892 declarat, Ordinem nihil hac de re scire et nullam obligationem contraxisse. Idipsum tandem colligitur ex declaratione ab ipso P. Ioanne die 1 iulii 1885 emissa: ubi de Ordine nullam mentionem facit et unicum debitorem erga Annam se ipsum exhibet: ipse solus, elapso triennio praedictam summam restituturum, et fructus taxa *di ricchezza mobile* immunes atque ad debiti extinctionem soluturum spondet.

Ex hactenus expositis cum luce meridiana clarius appareat, debitum lib. 50,000 a P. Ioanne, nomine proprio et independenter ab Ordine, imo ipso Ordine ignaro, contractum fuisse, sponte veluti sua fluit, non Ordinem, sed unum P. Ioannem illud de proprio extinguere teneri.

Quin subsumere valeat hoc onus Ordini incumbere, ex eo quod praedicta summa pro Bibliotheca insumpta fuit, cui Religiosi praeerant. Quandoquidem hoc assertum denegat praeprimis P. Procurator generalis, et esse commentum asserit a P. Ioanne excogitatum, ut ulla absque molestia lib. 50,000 sibi servare valeret. Cui chorum agit P. Minister generalis, qui ait, nullum documentum exhibitum fuisse ex quo appareat debitum pro Bibliotheca et eius Curatoribus consentientibus contractum fuisse. Vicissim ex documentis fide dignis apparere, Bibliothecae Curatores nihil unquam scivisse. Et ad rem allegat depositionem alterius ex Curatoribus, qui refert, pluribus annis, Bibliothecae Curatorem fuisse et nunquam audivisse, quod Bibliothecam inter et Familiam Annae mutui vel depositi, vel quilibet alius contractus exti terit.

Huiusmodi vero tum P. Procuratoris generalis, tum P. Ministri generalis, tum demum alterius ex Bibliotechae Curatoribus depositiones neque P. Ioannis assertionibus, neque responsione P. Ministri generalis, neque P. Procuratoris epistola infirmari posse.

Non equidem P. Ioannis asser ti onibus, quippe quae nimis *genericae* ac *evasivae* sunt. Non praesumpta P. Generalis responsione, et epistola non minus praesumpta P. Procuratoris, tum quia, ut merito animadvertit actualis Procurator generalis, ambo mortui sunt, ac proinde se defendere nequeunt; tum quia ex ipsis haud liquet de qua re agere vel loqui vellent : tum quia denique praeter hos duos, alii aderant Bibliothecae Curatores quos audiri necesse erat. Et dato etiam quod P. Generalis aliquam declarationem ad rem emiserit, eam in nullo pretio habendam esse, notum cum sit ipsum postremis vitae annis sui compotem haud fuisse.

Cum igitur ex adverso demonstratum haud sit lib. 50,000 mutuum contractum fuisse ut Bibliothecae necessitatibus suppleatur, ipsumque pro Bibliotheca erogatum fuisse, iam per se patet, quod ab Annae patrono frustra petitur, ut de huiusmodi mutuo non P. Ioannes, sed Ordo respondere debeat. Tritum enim in iure est, quod: *Auctore non probante, reus absolvitur.*

Sed maiora premunt. Dato enim, et nunquam concesso, quod debitum, ut Bibliothecae necessitatibus occurreretur, legitime contractum fuerit : dato etiam sed nunquam concesso, quod demonstraretur, mutuum ipsius favore erogatum fuisse ; nihilominus Ordinis moderatores asserunt, nullam adesse rationem cur Religio de ipsius mutui restitutione respondere deberet. Siquidem in compertis est, Bibliothecam ens fuisse authonomum, distinctum ac ab Ordine independens. Hoc sane evincere studet P. Procurator generalis referens Fundatorem, ut Bibliothecae existentiae ac manutentioni consuleret, pingue patrimonium reli ¡uisse, eiusque administrationem quibusdam Religiosis, nomine Curatorum, tradidisse, qui idcirco mercedem recipiebant, sibique retinebant, quin Religio vel rationum redditionem peteret, vel aliquid de iis quae supererant sibi vindicare praesumeret.

Verumtamen Bibliothecae authonomiam eiusque ab Ordine independentiam plusquam ex P. Procuratoris assertionibus, P. Generalis evincit, tum ex facto, quod scilicet Biblio-

thecae Curatores, mense decembri 1860 ab Ordinis moderatoribus nonnullas domus per viginti millia scutata publico instrumento acquisi verint : tum ex altero, quod iidem Curatores *pro rata* expensas iudicii sustinuerant, quod contra Demanium inierunt, ut Bibliothecae bona a Gubernio arrepta recuperare valerent. Et ad rem tria documenta adducit, ex quibus colligitur alterum ex Curatoribus lib. 707.09, lite finita, pro sua portione persolvisse. Quod profecto non accidisset, si, ceu ex adverso asseritur, Bibliotheca eiusque Curatores dependentiam ab Ordine habuissent.

Ex quibus P. Minister Generalis deducit, Ordinem nulla obligatione erga Annam teneri, sive debitum a P. Ioanne nomine proprio, sive ab eodem Bibliothecae intuitu contractum fuerit. Profecto non in prima hypothesi, quia huiusmodi onus P. Ioanni incumberet. Non vero in secunda hypothesi, quia ipsa Bibliotheca seu Demanium, quod Bibliothecae successit, teneretur. Cum sermo sit de re inter alios acta, seu quae inter P. Ioannem et Annam, vel ad summum inter hanc et Bibliothecam intercessit ; quisque facile intelligit Ordinem nulla obligatione obstringi posse. Idque in vim notae iuris regulae : « *Res inter alios acta nec prodesse nec nocere valet tertiis, (pii non interfuerunt* ».

Neque Ordinis culpae tribui potest, sed Anna potius sibi vel suo auctori imputare debet. Si modo contra Demanium iura sua experiri non valet, ex eo quod ipsi Demanio debitum, quo Bibliotheca gravatur, denuntiatum haud fuit. Ex confessione enim ipsius P. Ioannis plane liquet, debitum Demanio panditum haud fuisse, quia ipse creditor Petrus, quia sua negotia revelari haud patiebatur, consensum praestare renuit.

Pariter neque decantatam Annae bonam fidem, vel extremam ipsius miseriam, rationem sufficientem esse, cur Ordo huiusmodi debitum persolvere compellatur, ob tritam iuris regulam : *Iura non dormientibus, sed vigilantibus, assistunt ;* et alteram non minus vulgatam: *In iudiciis non misereberis.*

In vado itaque posito, quod Ordo Annae debitor haud extitit, quodque proinde summam lib. 50.000 ipsi restituere non tenetur : necessario consequitur, quod idem Ordo neque foenus a mense octobris 1888 a P. Ioanne non solutum ipsi dare tenetur, ex iuris regula *a leg. Nihil dolo 129 ff. de Regul. Iur.* desumpta : « Cum principalis causa non consistit, nec ea quidem, quae sequuntur, locum habent. »

Rationum momentis utriusque partis expositis, propositum fuit enodandum sequens

Dubium

An et quomodo Religiosus Ordo summam lib. 50,000 cum fructibus non solutis Annae persolvere teneatur in casu ?

RESOLUTIO. S. Congregatio Episc, et Regul. re discussa, sub die 29 augusti 1892 censuit respondere : *Negative et amplius, et ad mentem. Mens est: Notificetur P. Ministro Generali, Patrem Ioannem a Sacra Congregatione voce activa ac passiva in perpetuum privatum esse: eidemque P. Generali ipsa S. Congregatio praescribit, ut Moderatores loci, in quo P. Ioannes deget, vigilent ac curent, ne ipse, id quod cum Anna egit, renovare pertentet.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Quamlibet conventionem suos tenere auctores, ideoque contrahentem obligationem, eidem obligationi satisfacere debere.

II. Actore assertum non probante, reum absolvi.

III. Rem inter alios actam nec prodesse, nec nocere tertiis, qui non interfuerunt.

IV. Neminem ex culpa sua commodum referre debere.

V. Iura non dormientibus, sed vigilantibus assistere.

VI. Cum principalis causa non consistit, nec ea quidem, quae sequuntur, locum habere.

LETTERA circolare agli Arcivescovi, Vescovi ed Ordinarii delle diocesi d'Italia.

Nelle presenti tristissime circostanze della Chiesa non meno che della civile Società, le più antiche e benefiche pie Istituzioni da sacrilego spoglio colpite e defraudate dei mezzi necessarii a religiosamente adempiere le inviolabili volontà dei fondatori, esigono una opportuna direzione, onde non vedere onninamente compromessa la loro preziosa esistenza. Penetrati da tale necessità alcuni Ordinarii hanno fatto domanda alla S. Sede per avere una norma da seguirsi di fronte alle nuove leggi sulle confraternite ed altre opere pie. A soddisfare pertanto a sì giusta richiesta, questa S. Congregazione de' Vescovi e Regolari indirizza a tutti gli Arcivescovi, Vescovi ed Ordinarii delle diocesi d'Italia la presente lettera circolare contenente le seguenti pratiche avvertenze.

1. Se le attuali circostanze impediscono alle Confraternite l'esercizio della carità e della beneficenza in una determinata maniera, non impediscono però loro di promuovere nei membri che la compongono, lo spirito di pietà e di divozione, e l'esatto adempimento dei doveri cristiani, non che l'edificazione del prossimo, che è il fine principale di tali Istituzioni. Insistano perciò gli Ordinarii perchè le Confraternite proseguano nelle pratiche di pietà, le quali riusciranno anche di maggiore edificazione ai fedeli, non potendosi supporre ispirate ad un secondo fine, ossia dall'interesse materiale. In quanto al mantenimento del culto divino, ed alle altre opere che erano proprie delle singole Confraternite, si adoperino i fratelli a fare quello che loro sarà possibile nella misura dei mezzi, di cui potranno disporre, e qualora non possano adempiersi le opere del proprio Istituto sostituiscano possibilmente altre opere equipollenti, imitando in ciò gli Ordini religiosi, i quali colpiti prima di loro dalle leggi di confisca, hanno seguitato a vivere vita regolare, e nello stesso tempo hanno usato ogni industria per ricostituirsi e risorgere.

2. Non per questo però dovranno le Confraternite trascu. rare di difendere i loro beni, e i loro diritti, valendosi di tutte le risorse che le stesse attuali leggi possono loro somministrare; giacché come depositarie sono a ciò gravemente obbligate. A tale uopo si faranno da persone competenti accuratamente esaminare la provenienza dei bèni, gli usi a cui furono dai dona-

tori destinati, le condizioni sotto le quali furono dati per vedere se, in forza di questi e simili titoli possa rifiutarsene al Governo la consegna.

3. Qualora il governo spingesse la sua rapacità anche sui beni che, a norma della legge non sono soggetti a demanio, né a trasformazione, come p. e. quelli destinati al mantenimento delle parrocchie, le confraternite si porranno in grado di poterli rivendicare facendo di tutto per riuscirvi.

4. Pocureranno inoltre di conservare, almeno in copia, i titoli e i documenti relativi ai loro beni per farli all' occasione opportuna valere per la rivendicazione.

5. In ogni caso nell'atto della presa di possesso emetteranno formale protesta, di cui esigeranno l'inserzione nel verbale, dichiarando di non cedere che alla forza, riservandosi tutti i diritti e non consentendo che questi siano distrutti, o in qualsivoglia modo diminuiti. Finalmente ne' casi particolari ove sorgano speciali dubbi o difficoltà, i Vescovi ricorreranno per le opportune istruzioni alla S. Sede.

Confida quindi la S. Congregazione che tutti e singoli gli Ordinarii delle diocesi d'Italia adopereranno il loro ben noto zelo, e< la pastorale sollecitudine a che sia eseguito quanto in questa circolare è prescritto.

Dato dalla Segreteria della S. Congregazione de' Vescovi e Regolari li 18 settembre 1891.

I. CARD. VERGA *Prefetto.*

f FR. LUIGI VESC. DI CALLINICO *Segretario.*

(Versio latina)

Praesentibus hisce cum Ecclesiae, tum vero etiam civilis Societatis tristissimis temporibus, vetustissima ac saluberrima beneficientiae instituta sacrilege depraedata, et adminiculis quibusque ad sanctam fundatorum voluntatem religiose custodiendam necessariis destituta, opportunam exigunt normam, ne publicae pietatis adeo pretiosa documenta depereant. Quam quidem necessitatem intime persentientes nonnulli Italiae Episcopi certam a S. Sede regulam expetierunt, quomodo nimirum prae civilibus legibus in Sodalitia atque alia pia opera nuper editis

se gerere debeant: — Aequis huiusmodi postulationibus satisfacere percupiens Sacra Episcoporum et Regularium negociis expediendis praeposita Congregatio hanc dat omnibus Italiae Archiepiscopis, Episcopis, Dioecesium Rectoribus Encyclicam Epistolam, practica, quae subiicimus, monita continentem.

1. Etsi praesentium temporum adiuncta pia Sodalitia impediunt, quominus charitati et beneficentiae opera certa quadam ac determinata ratione exerceant; non tamen impediunt, quominus in sociis, quibus illa coalescunt, pietatis et devotionis spiritum, absolutam omnium christianorum officiorum et bonum Christi odorem fidelibus populis vitae sanctitate exhibendum, qui tandem praecipuus huiusmodi Institutionum finis est, sedulo promoveant. Quapropter etiam atque etiam instent Episcopi, ut Sodalitia pietatis officia exercere pergant; quae maiorem profecto virtutis existimationem penes populos sibi conciliabunt, quum hi sciant, nulla pecuniaria utilitate ad illa exercenda socios aitici.

Quod vero ad exteriorem Dei cultum sustinendum attinet atque ad cetera Religionis officia, quae cuiusvis Sodalitii antea propria erant, pergant Socii ea facere quae poterunt ope subsidiorum, quae sibi adhuc utenda suppetunt. Si quae autem opera Instituti sui propria perfici nequeant, iis alia, quoad fieri potest, similia opera sufficiant: quemadmodum in praesenti Religiosi quique Ordines sapienter faciunt, qui iamdiu fiscalibus Italici Regiminis legibus perculsi, regularem pergunt vivere vitam, atque omni usi sunt industria, ut sese iterum constituerent, atque resurgerent.

2. Haud tamen idcirco pia Sodalitia sua bona ac iura omnibus adminiculis, quae vigentes leges ipsis suppeditare possent, adscitis, tueri ac defendere negligant; ad hoc quippe agendum, utpote qui depositi loco ea bona ac iura acceperint, fidelis administratoris officio gravissime obligantur. Huius rei obtinendae gratia peritis viris examinanda dentur eorumdem bonorum origo proprietatis, seu titulus acquisitionis, speciales usus, quibus ea a testatoribus destinata fuerint; conditiones demum pactaque, quibus data sunt: utrum videlicet propter huiusmodi aliasque similes rationes denegari possit imposita eorumdem bonorum traditio.

3. Si quando vero civile Regimen eo usque rapacitatem suam extendat, ut etiam ea bona sibi usurpet, quae ex lege

sive fisco adiudicare sive trasformar! nequeunt, cuiusmodi sunt, quae Paroeciarum sustentationi destinantur ; Sodalitia ad ea iterum sibi vindicanda sese comparent, atque omnino curent, ut id assequantur.

4. Diligenter insuper servare curent saltem in exemplo titulorum, quos vocant, et Documentorum, quae ad illa eadem bona referuntur; ut cum opportuna sese obtulerit occasio, iisdem ad ea bona sibi vindicanda sollerter utantur.

5. Denique quocumque in casu, dum regius fiscus in bonorum possessionem sese immittet, protestationem verbis proferant, quae ut inseratur exigant in scripto arripiendae possessionis actu; qua scilicet protestentur, se nonnisi violentiae cedere, salvis iuribus ; nec ullo modo permittere velle ac posse, ut ea destruantur aut minuantur.

Ceterum in particularibus casibus, si specialia dubia exoriantur, ad S. Sedem opportunas praeceptiones habendi gratia Episcopi confugient

Sacra itaque Congregatio fore confidit, ut omnes et singuli Dioecesium Italiae Episcopi, probe noto, quo flagrant zelo, et pastorali, qua pollent, sollicitudine utentes, ea quae hic praecepta sunt, adamussim observanda curent.

Dat. ex Aedibus a Secretis Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis expediendis praepositae die XVIII septembris, anno Dñi MDCCCXCI.

I. CARD. VERGA *Praefectus.*

f FR. AL. EP. CALLINICEN. *Secretarius.*

EX SACRA CONGREGATIONE RITUUM

STRIGONEN. Dubia varia.

Maximopere sollicitus Rmus Ordinarius Archidioecesis Strigonien, in Hungaria, ut ritus omnes qui ad divinum cultum pertinent, in sua Archidioecesi prorsus peraguntur iuxta liturgicas praescriptiones, Sacram Rituum Congregationem adivit pro opportuna resolutione sequentium Dubiorum, nimirum :

Dubium I. Missa votiva de SS. Corde Iesu, quae ex Decreto S. R. C. diei 28 Iunii 1889 celebrari permittitur feria VI, quae est in calendis cuiuscumque mensis vel eas sequitur, debetne esse solemnis seu cantata, vel potest etiam esse privata, ut in duplicibus, cum *Gloria,* oratione unica et *Credo* ad tramitem decreti citati ?

Dubium II. Si anniversarium consecrationis Episcopi dioecesani, quotannis impediatur festo dupl. I. cl., quaeritur an Missam et Commemorationem dicti anniversarii, tali in casu anticipare vel transferre liceat, quia secus semper et quotannis omitterentur ?

Dubium III. Missa solemnis vel cantata de anniversario electionis seu creationis Summi Pontificis regnantis, vel consecrationis Episcopi dioecesani, debetne etiam extra ecclesiam cathedralem et collegiatam celebrari, praesertim supposito quod plures ibidem celebrentur Missae ?

Dubium IV. Adest etiam in Hungaria, consuetudo, toto tempore S. Adventus, quotidie sub aurora celebrandi Missas in honorem B. M.'V., vulgo a populo *Rorate* dictas et frequentatas, quas cum S. R. C. die 1 Dec. 1742 *(in una, ord. Carmel. Discale. Polon.)* declaraverit haud posse celebrari in Dominicis Festisque I et II classis, alias vero iam eadem S. Congregatio pluribus Dioecesibus (sic, Archidioec. Pragensi 17 Nov. 1864, nec non territorio nullius Archiabbatiae S. Martini in sacro monte Pannoniae 25 Maii 1871) concesserit missas easdem quotidie, excepta Dom. I Advent, et Vigilia Nativ. Dñi solemniter decantando celebrare ; quaeritur, utrum Decreta haec habeant formam specialis privilegii, et si affirmative, an praesupposito magno populi concursu, extendi haec gratia possit etiam ad alias Dioeceses, praesertim ad eas maiores ecclesias, ubi duo ad minus quotidie celebrant Sacerdotes, ita ut diebus dupl. I et II cl. duae celebrentur Missae cantatae; una sub aurora *Rorate* dicta, et alia de die vel festo currente, quam sacri curiones applicare debent pro populo ?

Dubium V. In regionibus Hungariae, plurimae celebrantur ex inveterata consuetudine coram exposito SS. Sacramento Missae solemnes, in quibus, nescitur quanam ex causa ut plurimum omitti solet pacis osculum ; hinc quaeritur an hic usus sustineri possit, vel potius servandae etiam in casu rubricae?

Dubium VI. Rubricam Missalis (Tit. VI, n. i) non usque-

quaque claram, auctores et professores Liturgiae sacrae interpretantes docent, ultimum evangelium in fine Missae, eodem prorsus modo dicendum esse prout primum, i. e. Sacerdote *oblique* stante, sive parum per suam sinistram converso ad populum. Cum tamen alii, praesertim seniores Sacerdotes negent talem esse sensum huius rubricae, quaeritur, utrum ultimum evangelium a Sacerdote *oblique* stante recitari debeat?

Dubium VII. Officium vot. de Immaculata Concep. B. M. V. in nonnullis dioecesibus Hungariae, hodie adhuc ex concessione Benedicti PP. XIII diei 15 Dec. 1717 ritu duplici recitari solet, quaeritur an diebus his Sabbati liceat celebrare Missam privatam de Requie. Ratio dubitandi est, quia officium est quidem duplex, sed votivum.

Dubium VIII. Recitans privatim officium aliquod votivum feriis Quadrag., Quatuor tempor. aut vigiliarum, potestne celebrare Missam de feria in colore violaceo ? Et si affirmative, debetne omittere commemorationem officii votivi illa feria privatim recitati ?

Dubium IX. Commemoratio de Cruce, quae dicitur tempore Paschali, loco suffragiorum de Sanctis, iuxta Decretum S. R. C. 29 April. 1887 in Emeriten. omittenda est in offic, votiv. de Passione, an eadem omittenda est, ratione identitatis mysterii, etiam in officio de SS. Euch. Sacramento ?

Dubium X. Rituale Romanum licetne ubique adhiberi et in quibuscumque functionibus, etiamsi proprium Rituale dioecesanum, in nonnullis tantum a Romano discrepans, habeatur ?

Dubium XI. Rituale Romanum optioni administratis S. Communionem relinquit, utrum antiphonam *O sacrum convivium* etc., recitare velit nec ne ; sed ex rubrica erui non potest, num versiculi et Oratio (Deus qui nobis) sint etiam ad libitum vel omnino de praecepto ; et si affirmative ad secundam partem, quaeritur, utrum benedictio manu dextra et adhibita formula : *Et benedictio* etc., semper sit elargienda, quando citra Missam administratur S. Communio.

Dubium XII. Quum a Caeremoniali Episcoporum praescribatur, ut omnes, exceptis Canonicis eccl. Cathedral., unicum genu flectant Cruci Altaris maioris, quaestio exorta est, utrum haec genuflexio facienda sit etiam in aliis ecclesiis seu cappellis publicis, ubi in altari maiori haud asservatur SS. Euch. Sacramentum ?

Dubia additionalia.

Dubium I. Cum interdum 1892 festa SS. Cordis Iesu et S. Ioann. Bapt. simul eadem die concurrant, et iuxta Decretum Urbis et Orbis diei 28 Iunii 1889, hoc in casu illud SS. Cordis in diem proximam 25 Iunii sit transferendum, quaeritur: quomodo ordinandae sint secundae Vesperae in festo S. Ioann. Bapt., nonne totum erit de sequenti SS. Corde, cum commemoratione praecedentis S. Ioannis Bapt. ?

Dubium II. Quum festum Annunc. B. M. V. incidit in fer. VI, post Dom. III Quadrag.. cui feriae pro aliquibus locis affixum est offic. SS. Quinque Vulnerum D. N. I. C, officium hoc potest transferri in feriam sequentem, quae est Sabbatum, an vero debet omitti?

Dubium III. In Hungaria (et multis dioecesibus Austriae) festum S. Ioannis a Capistrano Conf. hucusque recolebatur ritu duplici die 23 Octobris, quae est dies obitus dicti Sancti, decreto vero Generali S. R. C. de dicto 19 Aug. 1890, quo festum ad universam extenditur Ecclesiam, dies 28 Martii eidem qua sedes propria assignatur cum ritu semiduplici tantum. Nunc vero exorta sunt varia inter compositores Calendariorum dioecesanorum dubia, et ideo quaeritur :

1. An in Hungaria liceat festum S. Ioannis a Cap. C. ritu duplici celebrare prout hucusque, 23 Octobris, vel potius in omnibus melius et laudabilius eo die quo fit in Ecclesia universali, prout factum fuit cum officiis SS. Cyrilli et Methodii EE. CC. nec non S. Camilli de Lellis C, quae priusquam extensa fuissent ad universum orbem catholicum, recitata fuerunt 14 respective et 16 Martii?

2. Quid faciendum iis in locis vel ecclesiis, quorum S. Ioannes a Cap. est Patronus respective Titulus, nonnebene ibi celebrabitur eius festum die 23 Octobris ritu dupl. I. cl. cum octava, eo vel magis, quia hucusque externa quadam solemnitate hac die celebrabatur?

Dubium IV. In Archidioec. Strigoniensi et aliis nonnullis Hungariae Dioecesibus die 26 Novembris ritu duplici recitabatur hucusque offic. SS. Reliquiarum, quae in Metropolitana, respective Cathedrali, et aliis per Dioecesim ecclesiis asservantur. Iam vero ab anno sequenti dies haec minime est libera amplius,

sed S. Silvestro abb. propria, et ideo quaeritur : 1. Utrum offic SS. Reliquiar. quod est duplex, cedere debeat festo S. Silvestri abbatis aeque duplici ; et si affirmative, 2. an officio SS. Reliquiarum assignari possit alia dies, quae adhuc in Calendario est libera, e. g. 25 Octobris, prout aliis in Dioecesibus; et si iterum affirmative, quaeritur 3. utrum pro festo SS. Reliquiar. assignari possit Dominica IV Octobris prout in Brev. et Missal. Rom. pro aliquibus locis habetur, etiamsi in ea aliud festum duplex occurrat, quo in casu secundum rubricas de duplici hoc simplificato fieret Commemoratio ante Dominicam ?

Dubium V. Si festum Patrocinii B. M. V. Dom. III Novembr, affixum, impediatur Octava Omnium Sanctorum vel alio festo altioris ritus, potestne sine speciali indulto transferri, vel potius debet iuxta alias Decreta omitti?

Dubium VI. Cum S. R. C. novissimo Decreto die 17 Maii 1890 Plurium Dioecesium, prohibuerit in benedictione aquae festo Epiphaniae Domini peragi solita, alium adhibere ritum, quam qui praescribitur in Rituali Romano pro facienda aqua benedicta, quaeritur utrum Decretum hoc omnes respiciat Dioeceses ita, ut nullo modo amplius liceat usurpare formulam illam longissimam et Ecclesiae Graecae propriam, et si affirmative, an formula haec antiqua omnino expungi debeat ex Ritualibus ?

Et eadem Sacra Congregatio ad Vaticanum subsignata die coadunata in Ordinariis Comitiis, exquisito prius voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, scriptis pandito, praeloque cuso, ad relationem mei infrascripti Cardinalis Sacrae eidem Congregationi Praefecti atque in hac causa Ponentis, omnibus accurate perpensis rescribendum censuit :

Ad dubium I. Quoad primam partem, *Negative* ; quoad secundam detur Decretum in una *Montis Politiam* 20 Maii 1890.

Ad II. Transferatur in primam sequentem diem non impeditam.

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Affirmative* ad primam partem ; ad secundam *Affirmative* ex privilegio, exceptis tamen Dominica I Adventus, Vigilia Nativitatis Domini, festo Immaculatae Conceptionis eiusque Octava, diebus in quibus fit Officium infra Octavam eiusdem, Feria IV quatuor Temporum nec non festo Expeditionis Partus.

Ad V. Observentur in casu Rubricae.

Ad VI. *Affirmative.*

Ad VII. *Affirmative,* et detur Decretum in *Bergomen.* 24 Novembris 1691.

Ad VIII. *Affirmative,* ad primam partem : *Negative* ad secundam.

Ad IX et X. *Affirmative.*

Ad XI. Versiculi, et oratio *Deus qui nobis,* sunt de praecepto : benedictio autem semper danda est, unico excepto casu, quando datur immediate ante vel post Missam defunctorum, sub formula *Benedictio Dei* etc.

Ad XII. *Affirmative,* sed in actu functionis tantum.

Ad dubia additionalia.

Ad 1. Vesperae erunt de Nativitate S. Ioannis Baptistae cum commemoratione de sequenti, iuxta Decretum in una *Dubii* die 5 Septembris 1891.

Ad 2. *Affirmative,* si Sabbatum est dies libera; secus ad aliam diem intra Quadragesimam, quae si non suppetat, omittatur.

Ad 3. Quoad 1. ad primam partem *Affirmative;* ad secundam provisum in prima. Quoad 2. Provisum in antecedenti.

Ad 4. *Affirmative* ad primum. Quoad secundum, Officium Reliquiarum amandetur ad primam insequentem diem liberam iuxta rubricas. Qua deficiente, Sacra Congregatio indulget, ut die 25 Octobris anticipari possit.

Ad 5. *Negative* ad primum, *Affirmative* ad secundum.

Ad 6. *Affirmative* et in Rituali adnotetur abrogatio benedictionis donec novum imprimatur, a quo expungenda. Atque ita rescripsit, declaravit, et servari mandavit die 30 Augusti 1892.

* CAL Card. ALOISI-MASELLA *Praefectus.*

VINCENTIUS NUSSI *Secretarius.*

MAIORICEN. Dubium quoad ritum quo celebranda sint festa patronorum.

De mandato Rmi Dñi Episcopi Maioricensis in Insulis Balnearibus hodiernus eiusdem Ecclesiae Cathedralis Caeremoniarum Magister Sacrorum Rituum Congregationi sequens Dubium pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Per Decretum Sacrae Rituum Congregationis die 11 Maii 1867 Hispaniae datum quamplurima festa abrogata sunt, et quoad locorum Patronos statutum est: « ut in qualibet Dioecesi unus tantum Patronus principalis a Sancta Sede designandus recolatur, servata lege Sacro adstandi et ab operibus servilibus abstinendi » quod fideliter in hac Dioecesi servatum est, et a Sancta Sede per Decretum 18 Iunii 1861, Beatissima Virgo Maria in Mysterio suae Immaculatae Conceptionis patrona totius Dioeceseos est designata; sed populi omnium Dioecesium usque nunc festa suorum particularium patronorum pie et laudabiliter servaverunt sicut prius, et quaeritur nunc quid faciendum sit in Liturgia, quia in fine memorati Decreti legitur : « Sanctitas Sua non intellexit Sanctorum minuere venerationem et salutarem Christifidelium poenitentiam ; ideo Sanctorum solemnitatem, Officia et Missas tam in abrogatis festis, quam in eorum Vigiliis retineri, et sicut prius in quacumque Ecclesia celebrari iussit ». Dubitans nunc utrum pie de aliis festis universalis Ecclesiae abrogatis tantum loquatur Decretum, vel etiam de his Patronis, quaeritur :

Festa horum Patronorum celebranda sunt ritu duplici primae classis cum octava, sicut prius ?

Et quatenus negative : quonam ritu celebranda, cum aliqua, velut Sancta Margarita Virgo et Martyr, ritu simplici in Dioecesi celebrentur ?

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisitoque voto alterius ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris, re mature perpensa, ita proposito Dubio rescribendum censuit, videlicet : *Affirmative.* Atque ita rescripsit et servari mandavit die 25 Novembris 1892.

* CAL Card. ALOISI-MASELLA *Praefectus.*

VINCENTIUS NUSSI *Secretarius.*

SINARUM. Decretum beatificationis seu declarationis martyrii Venerabilium Servorum Dei Petri Martyris Sanz episcopi mauricastren, et vicarii apostolici provinciae Fo-Kien in regno Sinarum, Francisci Serrand electi Episcopi tipasitani et vicarii apostolici eiusdem provinciae Fo-Kien, Ioachim i Royo, joannis Alcober et Francisci Diaz sacerdotum missionariorum ex ordine praedicatorum ab idololatris sinensibus in odium christianae religionis interfectorum.

SUPER DUBIO

An, stante decreto declarationis Martyrii eiusque causae a ***fel.*** *ree. Pio Papa VI lato, atque altero super signis Martyrium ipsius illustrantibus et confirmantibus a SSmo Dno Nostro Leone XIII approbatis, tuto procedi possit ad solemnem Venerabilium Dei Servorum Beatificationem?*

Admiranda illius ignis virtus a Christo in terram aliati, qua possibile fit apud Deum quod impossibile apud homines est, quaeque maxime in martyribus elucet, medio saeculo elapso praeclare effulsit in VV. Dei Servis Petro Martyre Sanz, Francisco Serrano, Ioachimo Royo, Ioanne Alcober, et Francisco Diaz, sodalibus ex Ordine Praedicatorum. Qui illata sibi a sinensibus idolorum cultoribus tormenta acerbissima et mortem singulari perpessi fortitudine, palam ostenderunt, se immortalitate plenos nihil optatius quaerere quam ut mortalem vitam pro Christo funderent, vitam cum eo adepturi beatissimam, sempiternam. Post eorum beatum obitum, de ipsorum Beatificationis Causa apud Sacram Rituum Congregationem agi coeptum est, ac iudicis probationibus rite expensis, de VV. Servorum Dei Martyrio causaque Martyrii vi. idus iunii anno MDCCLXXVII. fel. rec. Pius Papa VI constare declaravit. Postea vero de miraculis seu signis martyrium ipsum confirmantibus Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII idibus novembris praeteriti anni Decretum tulit. Hisce peractis, ad legitimum Causae complementum discutiendum supererat an stantibus memoratis Decretis VV. Dei Servi tuto inter Beatos essent recensendi. Quod dubium cum propositum fuerit a Rmo Cardinali Caietano Aloisi-Masella Sacrae Rituum Congregationi Praefecto loco et vice Rmi Cardinalis Thomae Zigliara Causae Relatoris, in generali Congregatione in Vaticanis aedibus coram Sanctitate Sua coadunata hoc ipso anno XIII. calendas ianuarias ; Rmi Cardinales

et Patres Consultores affirma tivum responsum dsderunt. Beatissimus vero Pater sententiam suam hac de re proferre distulit, ut caelestis luminis praesidium precibus imploraret.

Hac autem die, qua salutis nostrae Auctorem in cunabuli& Magi venerati sunt, Sanctitas Sua incruento Sacrificio oblato, atque in hac Vaticani aula pontificio solio assidens ad se vocari iussit praefatum Rmum Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella loco etiam et vice memorati Cardinalis Thomae Zigliara, una cum R. P. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, eisdemque adstantibus solemniter decrevit « *Tuto procedi posse ad solemnem horum VV. Servorum Dei Beatificationem.* »

Decretum hoc publici iuris fieri, et in Acta Sacrae Rituum Congregationis referri, Litterasque Apostolicas in forma Brevis de Beatificatione quandocumque celebranda expediri mandavit VIII. idus ianuarii anno MDCCCXCIII.

C. Card. ALOISI-MASELLA S. R. C. Praefectus.

L. * S.

VINCENTIUS NUSSI S. R. C. Secretarius.

SPOLETANA. Decretum beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Leopoldi a Gaichis sacerdotis professi ordinis minorum S. Francisci reformatorum.

SUPER DUBIO

An, stante approbatione virtutum et duorum miraculorum, tuto procedi possit ad solemnem Ven. Servi Dei Beatificationem ?

Divina lux, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundam miro modo praemisit Ven. Leopoldo a Gaichis, qui eam et in saeculo et in coenobio, diuturno vitae cursu trium et octoginta annorum fidelissime secutus, vere tamquam filius lucis in omni iustitia ambulavit, usque ad montem Dei sanctum contendens. Eius namque religionis, pietatis, omnigenaeque virtutis studium, atque zelus quo arsit ad animarum salutem, in Umbriae praesertim regionibus, tantae omnibus admirationi fuerunt, ut ipse velut speculum haberetur christianae et religiosae perfectionis, atque eximiis Christi discipulis eiusque in

sacro ministerio adiutoribus exaequaretur. Cum vero ab anno MDCCCXV, quo ad vitam beatam transiit, vividior in dies haec sanctimoniae fama floresceret, ob prodigia etiam, quae eius intercessione a Deo patrata ferebantur; eius Beatificationis et Canonizationis Causa apud Sacram Rituum Congregationem pertractari coepit, et singulis probationibus ex ordinariis et apostolicis processuum tabulis rite expensis, fel. rec. Pius Papa IX de heroicis Ven. Leopoldi virtutibus solemne Decretum edidit idibus februarii anno MDCCCLV. Deinde per aliud superioris anni Decretum vi idus septembris editum, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII, bina miracula post illius obitum, a Deo per ipsum effecta fuisse solemniter edixit. Ad legitimum vero Causae complementum inquirendum supererat, num tuto concedi in Ecclesia possent Venerabili Dei Famulo Beatorum Cae litum honores. Quod dubium propositum fuit a Rmo Cardinali Caietano Aloisi-Masella, Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, loco et vice Rmi Cardinalis Caroli Laurenzi Causae Relatoris, in generali Sacrorum Rituum Congregatione coram eodem Sanctissimo Domino Nostro, x calendas décembres praeteriti anni in aedibus Vaticanis coadunata: atque adstantes Rmi Cardinales et Patres Consultores affirmativum suffragium protulerunt. Attamen Beatissimus Pater in re tanti momenti sententiam suam aperire distulit, maiorem caelestis luminis gratiam imploraturus.

Hodierna autem solemnitate, qua Unigenitus Dei Filius gentibus revelatus est, immaculata hostia oblata, atque in hac Vaticani aula pontificio solio assidens, ad se accivit memoratum Rmum Cardinalem Aloisi-Masella, loco etiam et vice praefati Cardinalis Caroli Laurenzi, una cum R. P. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus solemniter decrevit « *Tuto procedi posse ad solemnem Ven. Leopoldi a Gaichis Beatificationem.* »

Decretum hoc promulgari, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri, litterasque Apostolicas in forma Brevis de Beatificatione quandocumque celebranda expediri iussit VIII idus ianuarii anno MDCCCXCIII.

CAL Card. ALOISI MASELLA *S. R. C. Praefectus.*

L. * S.

VINCENTIUS NUSSI S. *R. C. Secretarius.*

INDIARUM seu GOANA. Decretum beatificationis seu declarationis Martyrii venerabilium Servorum Dei Rodulphi j Aquaviva, Alphonsi Paceco, Antonii Francisco, Petri Berno sacerdotum et Francisci Arsnea temporalis coadiutoris e societate Iesu ab idolorum cultoribus pro fide catholica interfectorum,

SUPER DUBIO

An, stante decreto declarationis Martyrii, eiusque causae a fel. rec Benedicto Papa XIV lato, atque altero super signis Martyrium ipsum illustrantibus et confirmantibus a SSmo Dno Aostro Leone XIII approbatis, tuto procedi possit ad solemnem Venerabilium Dei Servorum Beatificationem ?

Si merito laetandum est, hortante S. Augustino, in diebus sanctorum Martyrum, tamquam de Iesu Christi victoria, quia in eis vicit qui vixit in eis ; id aeque liceat memoriam VV. Servorum Dei Rodulphi Aquaviva, Alphonsi Paceco, Antonii Francisco, Petri Berno, Francisco Aranea e Societate Iesu recolentibus. Qui in Salsetana península, quum ab osoribus christiani nominis horrende necarentur, fidem sanctam qua Christus in ipsis vivebat, tanta et mentis constantia et animi vultusque laetitia sustinuerunt, ut eadem splendide in ipsis vicerit et triumphaverit. De horum VV. Servorum Dei Martyrio, quod saeculo XVI labente accidit, deque eius Causa fel. rec. Benedictus Papa XIV. Decretum edidit XIII calendas septembres an. MDCCXLI. Nuper autem de miraculis seu signis martyrium ipsum confirmantibus Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII idibus novembris praeteriti anni constare decrevit. Demum ad actorum legitimam seriem perficiendam, in generali Sacrae Rituum Congregationis Conventu habito hoc ipso anno XIII calendas ianuarias in Vaticanis aedibus coram Sanctitate Sua, propositum fuit dubium a Rmo Cardinali Camillo Mazzella Causae Relatore de solemnibus Beatorum caelitum honoribus tuto eisdem VV. Servis Dei decernendis ; et tum Rmi Cardinales, tum Patres Consultores affirmativum suffragium protulerunt. Attamen Beatissimus Pater supremum suum iudicium de hoc negotio non illico pronunciavit, ratus auxilii superni gratiam esse interea implorandam.

Hac vero die, qua Puer Iesus a Magis adoratus recolitur, Sanctitas Sua, pacis hostia lita ta, atque in hac Vaticani aula pontificio solio assidens, ad se arcessivit Rmos Cardinales Caietanum Aloisi-Masella Sacrae Rituum Congregationi Praefectum, ac praefatum Camillum Mazzella, una cum R. P. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, eisdemque praesentibus solemniter decrevit « *Tuto procedi posse ad solemnem horum VV. Servorum Dei Beatificationem.* »

Decretum hoc publici iuris fieri et in Acta Sacrae Rituum Congregationis referri, Litterasque Apostolicas in forma Brevis de Beatificatione quandocumque celebranda expediri mandavit VIII idus ianuarii anno MDCCCXCIII.

C. Card. ALOISI-MASELLA *S. R. R. Praefectus.*

L. « S.

VINCENTIUS NUSSI *S. R. C. Secretarius.*

LYCIEN. Decretum Canonizationis Beati Pompilii Mariae Pi r rotti a S. Nicolao sacerdotis professi Congregationis pauperis Matris Dei scholarum Piarum.

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio reassumptionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?

Instante Rev. Patre Philippo Rolletta Sacerdote e Congregatione Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum et Postulatore Causae Canonizationis praedicti Beati Pompilii Mariae Pirrotti, quum ab Emo ac Rmo Dno Cardinali Lucido Maria Parocchi eiusdem Causae Ponente seu Relatore in Ordinario Sacrae Rituum Congregationis coetu ad Vaticanum subsignata die coadunato sequens Dubium propositum fuerit: « *An sit signanda, Commissio Reassumptionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur Ì* » Emi ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, post auditum voce et Scripto R. P. D. Augustinum Caprara S. Fidei Promotorem, rescribendum censuerunt : *Affirmative, si Sanctissimo placuerit.* Die 30 Augusti 1892.

Quibus per me subscriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi praefectum SSmo Domino Nostro Papae Leoni XIII relatis, Sanctitas Sua sententiam Sacrae ipsius Congregationis ratam habens, propria manu signare dignata est Commissionem reassumptionis Causae praefati Beati Pompilii Mariae Pirrotti. Die 4 Septembris anno eodem.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. *C. Praefectus.*

b $ S.

VINCENTIUS NUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

LITTERAE SSmi D. N. Leonis XIII ad Franciscum Picard, praepositum gen. Augustinianorum ab Assumptione de hyerosolomitana peregrinatione.

Quod scribis peregrinationem Hyerosolimitanam, superiorum annorum more institutoque, te duce, proxime susceptum iri, valde gratum est. Teque, dilecte Filii, et quotquot tecum ibunt, ominibus faustis ac paternae caritatis studio prosequimur, praesertim cum peregrinantium maior, quam alias, futurus videatur frequentia et dignitate concursus. Laudabile atque opportunum id etiam censemus, quod inter sanctissima Palaestina monumenta agere hoc anno solemnia Eucharistica decrevisus. Hinc quidem peregrinationem, expiationisqae religionisque caussa, ut assolet, initam, fructuosiorem divino munere fore confidimus. Propterea cum eius rei participes esse aliquo modo Nosmetipsi velimus, dilectum Filium Nostrum Benedictum Mariam Langenieux S. R. E. presbyterum Cardinalem, Archiepiscopum Rhemensem legavimus, qui personam nostram ad solemnia Eucharistica gerat. Tuis vero precibus obsecuti, itemque alendae augendaeque pietatis consilio adducti, iis omnibus, qui tuo ductu ad sancta Palaestinae loca proxime sunt peregrinatur!, eadem privilegia easdemque indulgentias concedimus quas, datis die VI Martiii anno MDCCCLXXXII litteris, largiti sumus quasque anno superiore renovavimus, cauto tamen ut eaedem serventur conditiones. Confirmamus praeterea facultates et privilegia tibi per eas, quas diximus litteras tamquam peregrinationis moderatori concessa, potestatemque facimus eligendi, si res postulet, sacerdotem idoneum, qui facultatibus utens, tibi nominatim tributis, vicario pro te munere fungatur. Reliquum est ut respiciat benignus voluntatem vestram Deus et destinatum pietatis opus ad commune bonum feliciter evenire sinat. Cuius divini muneris auspicem, et nostrae benevolentiae testem, tibi quidem et universis peregrinationis sociis Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanet. Petrum die I Februarii anno MDCCCLXXXXIII, Pontificatus Nostri Decimoquinto.

LEO PP. XIII.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

De Consistorio habito die 16 Ianuarii 1893.

SSmus Pater die praedicta in Consistorio creavit plures Cardinales, quorum nomina relata sunt in fine allocutionis sequentis:

ALLOCUTIO

Venerabiles Fratres,

Conservatrix vitae atque eventuum humanorum moderatrix providentia divina benigne effecit ut, circumacto quinquennio, postea quam initi Nobis sacerdotii natalem, non sine magna significatione laetitiae publicae egimus, annum a consecratione Nostra episcopali quinquagesimum auspicaremur. Sentit animus vim beneficii, Venerabiles Fratres ; propterea que praedicare gestit in hoc amplissimo consessu vestro summam Dei sospitatoris benignitatem, qui tantam Nobis mortalis aevi usuram, incolumi valetudine, dedit. Illud vero maius, atque ad cogitandum gratius, quod ex beneficio Nobis privatim tributo posse videtur aliquis in communem salutem fructus efflorescere. Hac enim, de qua loquimur, occasione permoventur homines, ac vulgo respiciunt in hanc Apostolicam Sedem propensiore voluntate studioque maiore, provectam Pontificis aetatem velut quoddam pignus patrocinii caelestis non sine caussa interpretantes. Ita fit, ut privatum nec magni momenti factum in fidei religionisque incitamentum, Dei nutu, traducatur: idque praeclara sane opportunitate si rerum temporumque ratio spectetur. Siquidem in tanto inimicorum numero, fidem atque instituta christiana pari fastidio spernentium, id nunc maxima quotidianaque contentione datur opera, ut Pontificatum romanum invisum ac suspectum multitudo habeat, perniciosoque errore decepta omnino animum induat ab Ecclesia alienum. Sublatis igitur in caelum oculis, consilii pietatisque divinae cogitatione leniuntur aegritudines Nostrae iucundo eodemque tempestivo solatio; immo etiam ad dimicandum et perpetiendum, quam diu oportuerit, valde obfirrnatur animus.

Cum vero fausta ineuntis anni primordia liberet insigniora facere, primum quidem consilium cepimus decernere beatorum

caelitum honores venerabilibus nonnullis Servis Dei, e quibus et exempla virtutum et caeleste praesidium populus christianus opportune petat. Deinde vero animum adiecimus ad amplissimum Collegium vestrum, Venerabiles Fratres, supplendum. Scilicet Cardinales creare eximios viros aliquot decrevimus, bene de re christiana méritos, quippe qui in episcopalibus muneribus, aut legationibus, aut honoribus urbanis gerendis, diligentia, integritate, rerum usu, spectata in Apostolicam Sedem fide praestitere. Hi autem sunt

Iosephus Guarino, Archiepiscopus Messanensis,
Marius Mocenni, Archiepiscopus Tit. Aeliopolitanus, Adiutor a Negotiis Nostris publicis,
Amilcar Malagola, Archiepiscopus Firmanus,
Angelus Di Pietro, Archiepiscopus Tit. Nazianzenus, Nuntius Apostolicus in Hispania,
Benedictus Sanz y Fores, Archiepiscopus Hispalensis,
Gulielmus Meignan, Archiepiscopus Turonensis,
Benedictus Leo Thomas, Archiepiscopus Rothomagensis,
Philippus Krementz, Archiepiscopus Coloniensis,
Ignatius Persico, Archiepiscopus Tit. Tamiathensis, Sacri Consilii christiano nomini propagando Secretarius,
Aloisius Galimberti, Archiepiscopus Tit. Nicaenus, Nuntius Apostolicus in Austria-Hunga ria,
Michael Logue, Archiepiscopus Armacanus, Primas Hiberniae,
Claudius Franciscus Vaszary, Archiepiscopus Strigoniensis, Primas Hungariae,
Erbertus Vaughan, Archiepiscopus Westmonasteriensis,
Georgius Kopp, Episcopus Vratislaviensis,

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales.

Iosephum Guarino
Marium Mocenni
Amilcarem Malagola
Angelum Di Pietro
Benedictum Sanz y Fores
Gulielmum Meignan
Benedictum Leonem Thomas
Philippum Krementz
Ignatium Persico
Aloisium Galimberti
Michaelem Logue
Claudium Franciscum Vaszary
Erbertum Vaughan
Georgium Kopp

Creamus praeterea alios duos S. R. E. Cardinales, quos in pectore reservamus, arbitrio Nostro quandocumque evulgandos.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausolis necessariis et opportunis. In Nomine Patris % et Filii ĵŝ et Spiritus Sancti. Amen.

Hac expleta SSmus Pater sequentes proposuit Ecclesias:

Cathedralem Ecclesiam Tusculan. vacan, per obitum cl. me. Eduardi dum viveret S. R. E. Episcopi Cardinalis Howard, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti; quam optare intendit Emus ac Rmus Dominus Thomas tituli S. Praxedis ipsius S. R. E. Presbyter Cardinalis Zigliara.

Metropolitanam Ecclesiam Bononien. vacan, per obitum clar. me. Francisci dum viveret S. R. E. Presbyteri Cardinalis Battaglini, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore Emi ac Rmi Domini Seraphini titulo S. Hieronymi Illyricorum eiusdem S. R. E. Presbyteri Cardinalis Vannutelli.

Metropolitanas Ecclesias Tranen, ac Barolen. aeque principaliter unitas, una cum titulo Archiepiscopali Nazareno, et Episcopali Ecclesia Vigiliensi ab Archiepiscopo pro tempore Tranensi perpetuo administranda, vacan, per obitum bo. me. Iosephi de Bianchi Dottula, ultimi illarum Archiepiscopi et respective Administratoris, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Dominici Marinangeli Episcopi Fodiani.

Metropolitanam Ecclesiam Aquilan. vacan, per obitum bo. me. Augusti Antonini Vicentini, ultimi illius Archipraesulis, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Francisci Pauli Carrano Episcopi Aeserniensis et Venafrani.

Metropolitanas Ecclesias Acheruntin. et Matheranen, invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per obitum bo. me. Francisci Mariae Imparati, ultimi illarum Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Raphaelis di Nonno, e Congregatione SSmi Redemptoris, Antistitis Thermularum.

Metropolitanam Ecclesiam Calaritan. vacan, per obitum bo. me. Vincentii Gregorii Berchialla, ultimi illius Archipraesulis extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Pauli Iosephi Mariae Serci Serra, Archiepiscopi Arborensis.

Metropolitanam Ecclesiam Arboren. vacan, per translationem R. P. D. Pauli Iosephi Serci Serra ad Sedem Calaritanam, favore R. P. D. Francisci Zunnui Casula. Episcopi Uxellensis ac Terralbensis.

Metropolitanam Ecclesiam Olomucen. vacan, per obitum cl. mem. Friderici dum viveret S. R. E. Presbyteri Cardinalis e Landgraviis de Fürstenberg, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Theodori Kohn Presbyteri Olomucensis archidioecesis, eiusdemque Metropolitanae Canonici ab ipsomet Metropolitano Capitulo et Canonicis in Archiepiscopum electi. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Breznicii in Moravia « *Breznic* » progenitus, et quadragesimum septimum aetatis suae annum supergressus, in sacra Theologia dudum doctorali laurea donatus Olomucensis Cancellariae Director adlectus, theologiae fundamentalis et iuris canonici ad inclytam facultatem Caesareo-Regiam Olomucensem Antecessor constitutus est.

Cathedrales Ecclesias Viterbien. ac Tuscanen. invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per obitum bo. mem. Ioannis Baptistae Paolucci, ultimi illarum Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Eugenii Clari, Episcopi Amorini.

Cathedralem Ecclesiam Fesulan. vacan, per translationem ad Metropolitanam Senensem R. P. D. Benedicti Tommasi, favore R. P. D. Davidis Camilli Episcopi Apuani.

Cathedrales Ecclesias Ampurien. ac Templen, invicem perpetuo canonice unitas, vacan, per obitum bo. me. Pauli Pinna, ultimi illarum Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Antonii Mariae Contini Episcopi Oleastrensis.

Cathedralem Ecclesiam Amerin. vacan, per translationem R. P. D. Eugenii Clari ad sibi invicem perpetuo unitas Ecclesias Viterbiensem ac Tuscanensem, favore R. D. Vincentii Iosephi Veneri Presbyteri Nursinae dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Nursiae progenitus et quinquagesimum secundum aetatis suae annum supergressus, Romae Alumnis Seminarii Pii adiunctus, ibique tum in facultate theologica, ac in utroque iure doctorali laurea donatus, Seminarii dioecesani Rector, ac inibi philosophiae ac dogmaticae theologiae Antecessor constitutus, Nursinae Cathedralis Canonicus Theologus adlectus est. Inter Examinatores pro-Synodales adscitus, illius civitatis ac dioecesis Vicarius in spiritualibus Generalis hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Apuan. vacan, per translationem R. P. D. Davidis Camilli ad Sedem Fesulanam, R. P. Alphonsi Mistrangelo Presbyteri Savonensis ac Ordinis Scholarum Piarum expresse professus. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Savonae progenitus, et quadragesimum aetatis suae annum supergressus, religiosae domus Uvadae pluribus annis et ad praesens usque Rectoris munere perfunctus est.

Cathedralem Ecclesiam Fulginaten. vacan, per nefandam necem inflictam bo. me. Friderico Friderici postremo illius Episcopo, extra romanam curiam interfecto, favore R. P. Albini-Angeli Pardini Presbyteri romani, ac Ordinis Canonicorum Regularium Lateranensium S. Petri ad Vincula. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus progenitus et in quarto supra quadragesimum aetatis suae anno constitutus, sui Ordinis iuvenibus theologiae moralis, iuris canonici ac sacrae liturgiae tradens lectiones, Academiae religionis catholicae ac Pontificiae commissioni pro authentica editione Collectionis Decretorum sacrorum Rituum Congregationis adscriptus, inter eiusdem sacrae Congregationis Consultores adscitus est. Visitatoris Generalis ac Procuratoris Generalis ad praesens usque perfunctus muneribus in suo Ordine, ad Abbatialem dignitatem evectus est.

Cathedralem Ecclesiam Thermularum vacan, per translationem R. P. D. Raphaelis di Nonno, e Congregatione SSmi Redemptoris, ad sibi invicem unitas Sedes Metropolitanas Acheruntinam ac Matheranensem, favore R. D. Angeli Balzano, Presbyteri dioeceseos Triventinae. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in oppido Castrisangri, *Castel di Sangro,* Triventinae dioeceseos progenitus et sexagesimum tertium aetatis suae annum supergressus, Archipresbyter-Curatus S. Mariae in coelum Assumptae natali in oppido constitutus, Vicarius Foraneus et Examinator Pro-Synodalis renuntiatus est.

Cathedralem Ecclesiam Vicentin. vacan, per obitum bo. me. Antonii de Pol, ultimi illius Episcopi, extra rom. curiam defuncti, favore R. D. Antonii Ferruglio, Presbyteri Utinensis archidioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in loco, quem vulgo dicunt *Feletto Umberto* archidioecesos Utinensis progenitus et quinquagesimum primum aetatis suae annuum supergressus, Romae in philosophia, litteris haebraicis, theologia, ac in iure canonico doctoralem lauream assequutus, Utinensi in Seminario theologiae moralis atque pastoralis

Antecessor constitutus, Vicarius etiam in spiritualibus generalis et illius Curiae Promotor extitit fiscalis.

Cathedralem Ecclesiam Concordien. vacan, per obitum bo. me. Dominici Pii Rossi, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Petri Zamburlini, Presbyteri Patavinae dioecesis. Qui ex legitimis catholicis, honestisque parentibus in paroecia S. Michaelis Archangeli de Balneolis Patavinae dioeceseos progenitus et in sexagesimo primo aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, pro Vicarius in spiritualibus Generalis illius Antistitis effectus, tum inter pro-Synodales, ac etiam Synodales, tum inier Deputatos bonis seminarii administrandis praepositos adscitus est.

Cathedralem Ecclesiam Salten, in Argentinensi ditione Americae Meridionalis vacan, per obitum bo. me. Bonaventurae Rizo, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Pauli Padilla titularis Episcopi Pentacomiensis.

Ecclesiam de Saltillo in Mexicana ditione Americae Septentrionalis per Suas Apostolicas Litteras *a Illud inprimis»* datas nono Kalendas Iulii 1891 ab archidioecesibus de Durango ac de Linares sei une tam, ad Cathedralis honorem promotam et ab hac primaeva erectione sua vacantem ; favore R. D. Iacobi Garza Zambrano, Presbyteri archidioecesis Linarensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus progenitus et quinquagesimum quintum aetatis suae annum supergressus, Cancellarius episcopalis adlectus, et non semel tamquam Vicarius Episcopi de Linares rexit Dioecesim.

Ecclesiam Tepicen. in Mexicana dictione Americae Septemtrionalis per Suas Apostolicas Litteras « *Illud in primis* » datas nono Kalendas Iulii 1891 ab archidioecesi de Guadalaxara seiunctam, ad Cathedralis fastigium evectam, et ab hac nova erectione sua vacantem, favore R. D. Ignatii Diaz, Presbyteri Guadalaxarensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Guadalaxarae progenitus et in quadragesimo aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, in ecclesia S. Petri prope urbem Guadalaxarae, et in altera Beatae Mariae de Guadalupe, intra eamdem urbem sita, Parochi munere perfunctus, patriae Metropolitanae Praebendati hucusque renunciatus est.

Ecclesiam de Tehuantepec in Mexicana ditione Americae Septemtrionalis per Suas Apostolicas Litteras « *Illud inprimis* » datas nono Kalendas Iulii 1891 a dioecesibus de Antequera ac de Vera Cruce dismembratam, Cathedralis titulo honestatam, et ab hac sua nova erectione vacantem, favore R. D. Iosephi Mora, Presbyteri dioeceseos Zamorensis Americae Septemtrionalis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido, cui vulgo nomen *Paiacuaran,* dioeceseos Zamorensis, Americae Septemtrionalis progenitus ac trigesimum octavum aetatis suae annum supergressus, Romae in sacra theologia, inque iure canonico doctoralem lauream atque in philosophia licentiae gradum assequutus est.

Episcopalem Ecclesiam titularem Epiphanien. sub Archiepiscopo Anazarbeno vacan, per obitum bo. me. Luciani Saracani, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Fortunati Vinelli, Presbyteri Genuensis. Qui etiam pro administratione neo-dioeceseos Clavariensis, in Auxiliarem R. P. D. Thomae Reggio, Archipraesulis Genuensis deputatus fuit. R. D. Fortunatus Vinelli ex legitimis, catholicis honestisque parentibus ad S. Margaritam Ligurem, archidioeceseos Genuensis, ortus et in sexagesimo primo aetatis suae anno constitutus, Congregationi pro Missionariis extra Genuae urbem sitis, atque moderamini Re-

fugii a SS. Apostolis Petro et Paulo pro sacerdotibus paupertate, vel infirma valetudine detentis addictus, Canonicus ad praesens usque Basilicae Cariniani Genuensi in urbe renuntiatus est.

Ecclesiam Episcopalem titularem Thermopylen. sub Archiepiscopo Larisseno vacan, per translationem ad Sedem Angolen. et Congen. R. P. D. Antonii Dias Ferreira, favore R. D. Benedicti delia Camera, Presbyteri Beneventanae archidioecesis; qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R.. P.D. Aloisii Sodo, Episcopi Thelesini seu Cerretani. R. D. Benedictus delia Camera ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in civitate Murgantiae, *Morcom*, archidioeceseos Beneventanae progenitus et in quinto supra quinquagesimum aetatis suae anno constitutus, a Thelesino seu Cerretano Antistite in Vicarium hucusque generalem assumptus est.

Ecclesiam Episcopalem titularem Rosalien. sub Patriarcha Constantinopolitano vacan, per obitum bo. me. Andreae Chinchón, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Ioannis Iung, Presbyteri Vaciensis ; qui etiam deputatus fuit in auxiliarem R. P. D. Constantini Schuster, Episcopi Vaciensis. R. D. Ioannes Iung ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Vacii progenitus, et quinquagesimum primum aetatis suae annum supergressus, inter Sanctitatis Suae Cubicularios adnumeratus, Beatae Mariae Virginis de Magyorod Abbas effectus, Cathedralis Vaciensis Poenitentiarius ad praesens usque renuntiatus est.

Ecclesiam Episcopalem titularem Carrhen. sub Archiepiscopo Edesseno, vacan, per translationem ad Metropolitanam Sedem Viennensem in Austria hodierni Emi ac Rmi Domini Antonii Titulo S. Mariae Angelorum S. R. E. Presbyteri Cardinalis Gruscha , favore R. D„ Ferdinandi Cselka, Presbyteri archidioceseos Strigoniensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in Vámos-Miholae Comitatus Hontensis in Hungaria, *Vamos-Mihola,* archidioeceseos Strigoniensis progenitus et in quinquagesimo nono aetatis suae anno constitutus, Praepositus Ecclesiae SS. Trinitatis de Superioribus Aquis Caudis Budensibus, alias *Felhéwiz,* et insignis Collegiatae Posoniensis ad S. Martinum Episcopum Canonicus effectus, inter Sanctitatis Suae intimos Cubicularios supra numerum adscitus, atque Vicarius in spiritualibus Generalis Archiepiscopalis pro urbe Budapestiensi renunciatio est.

Metropolitanas Ecclesias Tranen, ac Barolen. aeque principaliter unitas, una cum Titulo Archiepiscopali Nazareno, et Episcopali Ecclesia Vigiliensi ab Archiepiscopo pro tempore Tranensi perpetuo administranda, vacan, per obitum bo. me. Iosephi de Bianchi Dottula, ultimi illarum Archiepiscopi et respective administratoris extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Dominici Marinangeli Episcopi Fodiani.

Cathedralem Ecclesiam Ambianen. vacan, per obitum bo. me. Ioannis Baptistae Mariae Simeonis Jacquenet, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Renati Francisci Renou, Presbyteri archidioeceseos Turo, nensis, ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis. Renatus Franciscus Renou ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in loco, cui vulgo nomen *Bourgueil* Turonensis archidioeceseos progenitus et in octavo supra quadragesimum aetatis suae annum constitutus, pluribus in locis, pluresque per annos animarum exercens curam vel qua Vicarius, vel qua Parochus, hucusque loci, cui vulgo nomen *Amboise* eiusdem Turonensis archidioecesis Curionis munere perfunctus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Tanen. sub Archiepiscopo Damiàtensi vacan, per obitum bo. me. Francisci Sniegon, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Iosephi Marceliό, Presbyteri Iadrensis archidioeceseos, qui etiam deputatus fuit pro Catharensi Dioecesi in Apostolicum Administratorem. R. D. Iosephus Marceliό Oltrensi in oppido « *Slavice Preko* » archidioeceseos Iadrensis progenitus et in quadragesimo sexto aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, in Iadrensi Lycaeo studii biblici novi Testamenti, ecclesiasticae historiae, ac Iuris canonici Antecessorem agens, in Foro ecclesiastico Examinator et Iudex pro-Synodalis, nec non Seminarii Centralis Theologici totius regni Dalmatiae Iaderae Rector renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Zamoren. in Hispanus, vacan, per obitum bo. me. Thomae Belestà et Cambeses, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Aloisii Philippi Ortis et Cutierrez, Episcopi Cauriensis ad praesentationem Serenissimae Reginae Catholicae Regentis.

Cathedralem Ecclesiam Palentin. vacan, per obitum bo. me. Ioannis Lozano ac Torreira, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Henrici Almaráz et Santos, Presbyteri Salamantinae dioeceseos, ad praesentationem Serfnae Reginae Catholicae Regentis. R. D. Henricus Almaráz et Santos in loco cognomento *La Felles* salamantinae Dioecesis progenitus et quadragesimum quintum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia doctorali laurea, atque in iure canonico baccalaureatus gradu donatus, in ecclesiasticis obeundis functionibus laudabiliter emicuit. Matritensis dioecesis pluries gubernatoris ecclesiastici vicibus perfunctus est.

Archiepiscopalem Ecclesiam titularem Damascen. vacan, per successionem ad Archiepiscopalem Sedem Algerianam R. P. D. Prosperi Augusti Dusserre, favore R. P. D. Seraphini Cretoni, Presbyteri Romani Cleri, Sacrae Supremae Romanae ac Universalis Inquisitionis Assessoris, Qui in oppido Soriani dioecesis Civitatis Castellanae progenitus et nonum supra quinquagesimum aetatis suae annum supergressus, in sacra theologia doctoralem lauream, tum in philosophia licentiae gradum assequutus, penes Secretarium Status Substituti ac penes Congregationem Christiano nomini propagando praepositam pro negotiis Orientalibus Secretarii, ac antea a Tabulario munere perfunctus est. Canonicus prius Liberianus, ac ad praesens usque Vaticanae Basilicae Canonicus adlectus, inter Antistites domus Pontificis Maximi adscitus, in Supremae Romanae ac Universalis Inquisitionis Assessorem assumptus, ac novissime apud Serenissimum Catholicum Regem apostolicus Nuntius nominatus est.

Cathedralem Ecclesiam Nitrien. vacan, per obitum bo. me. Augustini Roskovànyi, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Emeici Bende Episcopi Neosoliensis, ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi Primi Austriae Imperatoris, ac Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici.

Cathedrales Ecclesias Ruben, ac Bituntin. invicem perpetuo canonice unitas vacan, per obitum bo. me. Aloisii Bruno, ultimi earumdem Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Thomae de Stefano, Presbyteri dioeceseos Abellinensis. Qui in loco, cui vulgo nomen *Monteforte* Abellinensis dioecesis progenitus, et in quadragesimo aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia doctorali laurea dudum donatus, Cleri examinatur et in Abbatia Montis Virginis pro-Synodalis examinatoris munere perfunctus, Dogmaticas praelectiones Hy-

druntina in urbe tradens, eiusque archidioeceseos Vicarius Generalis constitutus, pro dioecesibus Asculana ac Ceriniolensi Vicarius etiam Generalis hucusque renuntiatus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Eudocien. sub Archiepiscopo Pergensi vacan, per obitum bo. me. Timothei O' Mahony, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Aemilii Iosephi Pourbaix, Presbyteri dioeceseos Tornacensis. Qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem R. P. D. Isidori Iosephi du Roussaux Episcopi Tornacensis. R. D. Aemilius Ioseph Pourbaix in loco, cui vulgo nomen *Trazeguies* Tornacensis dioeceseos progenitus et in quadragesimo octavo aetatis suae anno constitutus; professoris munere in seminario Tornacensi perfunctus, superior ac praeses ipsius seminarii renunciatus est.

Metropolitanam Ecclesiam Cameracen, vacan, per obitum bo. me. Odonis Thibaudier, ultimi illius Archiepiscopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Stephani Mariae Alphonsi Sonnois Episcopi Sancti Deodati, ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis.

Cathedralem Ecclesiam Corisopiten. et Leonen, vacan, per obitum bo. me. Iacobi Theodori Lamarche, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Henrici Felicis Valleau, Presbyteri dioeceseos Rupellensis, ad nominationem perillustris viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis. R. D. Henricus Felix Valleau in loco vulgo nuncupato *Conarde île de Re,* rupellensis Dioecesis, progenitus et quinquagesimum octavum aetatis suae annum supergressus, in facultate theologica Baccalaureatus gradum assequutus, pluribus in paroeciis tum Vicarii, tum Parochi praesertim ad Sanctum Petrum Santonensem, muneribus hucusque perfunctus est.

Metropolitanam Ecclesiam Bituricen. vacan, per obitum bo. me. Ioannis Iosephi Marchai, ultimi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Ioannis Petri Boyer, Episcopi Claromontensis, ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis.

Cathedralem Ecclesiam Bellovacen. vacan, per obitum bo. mem. Iosephi Maxentii Peronne, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Friderici Fuzet Episcopi Sancti Dionysii, seu Reunionis, ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis.

Cathedralem Ecclesiam Andegaven. vacan, per obitum bo. me. Caroli Aemilii Freppel, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Francisci Desiderati Mathieu, Presbyteri dioeceseos Nancyensis ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis. R. D. Franciscus Desideratis Mathieu in loco, cui vulgo nomen *Einville* Dioecesis nancyensis progenitus et in quinquagesimo quarto aetatis suae anno constitutus, in loco vulgo *P ont-à-Mous son* Dioecesis nancyensis ac tullensis Parochi munere hucusque perfunctus est.

Cathedralem Ecclesiam Sancti Deodati vacan, per translationem R. P. D. Stephani Mariae Alphonsi Sonnonis ad Metropolitanam Sedem Cameracensem, favore R. D. Alphonsi Petri Gabrielis Faucault, Presbyteri carnutensis dioeceseos ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis. R. D. Alphonsus Petrus Gabriel Foucault in loco, cui vulgo nomen *Senouches* Dioeceseos carnutensis progenitus et in quinquagesimo aetatis suae anno constitutus, parochi munere perfunctus et ornamentarius Canonicus Capituli Carnutensis renunciatus est.

Metropolitanam Ecclesiam Brundusin. cum ei adnexa perpetua administratione Episcopalis Sedis Ostunen. vacant, per obitum bo. me. Aloisii Mariae Aguilar, ultimi illius Archipraesulis et Administratoris Ostunen. extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Salvatoris Palmieri, electi titularis Archiepiscopi Sardiani cum perpetua administratione praedictae Ecclesiae Ostunen.

Cathedralem Ecclesiam Claromonten. vacan, per translationem R. P. D. Ioannis Petri Boxer ad Metropolitanam Sedem Bituricensem favore R. D. Petri Belmont, Presbyteri Lugdunensis ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis. R. P. Petrus Belmont Lugduni progenitus, et quinquagesimum quartum aetatis suae annum supergressus, pluribus in paroeciis animarum curae praepositus. Lugdunensis archidioeceseos Vicarius in spiritualibus Generalis hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Nanneten, vacan, per obitum bo. me. Iulii Francisci Le Coq, ultimi illius Episcopi apud romanam curiam defuncti, favore R. D. Augusti Laroche, Presbyteri Dioeceseos aurelianensis ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis. R. D. Augustus Laroche in loco cui vulgo nomen *Saint Aubin* Dioecesis Aurelianensis progenitus et in quinquagesimo octavo aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia dudum Baccalaureatus gradu donatus, Vicarius in spiritualibus Generalis dioecesis Aurelianensis hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Reginae-Hradecensis vacan, per obitum bo. me. Iosephi Hais, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Eduardi Brynych Presbyteri Dioeceseos buvdivicensis, ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Francisci Iosephi Primi Austriae Imperatoris, Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici. R. D. Eduardus Brynych Vlasenicii, « *Bozeiov* » in Bohemia progenitus et in quadragesimo septimo aetatis suae anno constitutus, curae animarum, qua Parochus in loco Zlunicensi dioecesis Reginae-Hradicensis, et ipsa in Cathedrali qua Capellanus addictus, in Instituto theologico Reginaehradecensi Antecessor theologiae pastoralis et artis catecheticae electus est. Catholicorum Opificum Praesidis munere perfunctus Collegiatae Ecclesiae Vysohradensis in urbe Pragensi Canonicus hucusque renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam S. Dionysii vacan, per translationem R. P. D. Feiderici Fuzet ad Sedem Bellocavensem, favore R, D. Antonini Fabre, Presbyteri Namausensis ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis. R. D. Antoninus Frabre Nemausensi in urbe progenitus ad quinquagesimum quintum aetatis suae annum supergressus, doctorali laurea donatus, parochus primum in loco, qui dicitur vulgo *Chamigny,* et in altero *Charenton* Parisiensis archidioeceseos hucusque etiam Curio renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Rupellen. vacan, per translationem R. P. D. Petri Mariae Stephani Gustavi Arilin ad Metropolitanam Sedem Senonensem, favore R. D. Iosephi Bonnefoy Presbyteri Dioecesis foroiuliensis, ad nominationem perillustris Viri Francisci Mariae Sadi-Carnot Gallicae Reipublicae Praesidis. R. D. Iosephus Bonnefoy in urbe, cui vulgo nomen *Lorgues* Dioecesis foroiulensis progenitus, et in septimo supra quinquagesimum aetatis suae anno constitutus, animarum curae vel qua Vicarius, vel qua Parochus plures per annos, pluribusque in locis addictus, hucusque in loco, qui vulgo nuncupatur *Neuilly-sw-Seine* Curionis munere perfunctus est.

Cathedralem Ecclesiam Moulinen. pro R. D. Augusto Renato Dubourg Vicario generali Dioecesis Briocensis.

Cathedralem Ecclesiam Cuschen. pro R. D. Ioanne Antonio Falcón Capituli Trunillensis Decano.

Cathedralem Ecclesiam Ayacuquen. seu de Guamanga pro R. D. Iuliano Cáceres Arequipennis Capituli Archidiacono.

Postea SSmus enunciavit sequentes Ecclesias novissime provisas per suas Litteras Apostolicas in forma Brevis :

Ad Sedem Brundusii, cum administratione Ostunensis Ecclesiae, transtulit R. P. D. Salvatorem Palmieri, Archiepiscopum titularem Sardianum.

Archiepiscopum Scopiensem renunciavit R. D. Paschalem Troksi, Dynachiensis dioecesis Vicarium Generalem.

Titulo Archiepiscopali Sardicensi ditavit R. Fr. Iosephum del Vago, iam Ordinis Minorum Ministrum Generalem,

R. P. D. Claudio Mariae Dubuis, qui Ecclesiae Galvestoniensi valedixit, titularem Ecclesiam contulit Arcensem.

A titulo Canopitano ad Cathedralem Galvestoniensem transtulit R. P. D. Nicolaum Aloisium Gallegher.

Titulari Ecclesiae Herbonensi praefecit R. P. D. Laurentium de Petris Dolammare, iam Antistitem Sappensem.

In perpetuum Coadiutorem Antistitis S. Pauli in Brasilia deputavit cum titulo Ecclesiae Ageae R. P. D. Ioachim Arcoverde de Albuquerque, antea Episcopum Goyanensem.

Sappensem Episcopum constituit R. P. Gabrielem a Mutina e Minoribus Reformatis.

Cordubensis Episcopi Aemiliarem adlegit cum titulo Auchialensi R. D. Uladislaum, Castellano Cordubae Vicarium Generalem.

Alterumque ipsius Cordubensis Antistitis Aemiliarem deputavit cum titulo Miletolopolitano R. D. Rodesindum de La Lastra Cordubae Canonicum.

Sancti Hyacinthi Antistitis perpetuum Coadiutorem adscivit R. D. Maximum Decelles, eumque Drusiparensi titulo exornavit.

In novum Vicariatum de Honduras assumpsit cum titulo Eurolensis Ecclesiae R. P. Salvatorem di Pietro e Societate Iesu.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

SYRACUSANA

IURISPATRONATUS SEU INSTITUTIONIS

Die IO Decembris 1892.

Sess. 14 cap. 13 de Reform.

COMPENDIUM FACTI. Cum de parochiali et matrice ecclesia S. Georgii oppidi *Ragusa Inferiore* Syracusanae Archidioecesis in insignem collegiatam erigenda ageretur apud Summum Pontificem Innocentium XIII, presbyter Erasmus nobilis familiae de Aretiis petiit, ut in eadem collegiata erigeretur Praepositura, prima capituli dignitas, ac sibi suisque in infinitum haeredibus et successoribus ius ad ipsam Praeposituram praesentandi reservaretur, ope fundationis seu dotationis, quam praestare spondebat. Et voti compos factus est, ita ut non aliter concessio effectum nancisceretur, quam si prius suam Erasmus beneficio dotem constitueret. Ita in Apostolicis Litteris 11 kal. Aprilis 1722, quarum verba Syracusanus Antistes prout sequitur describit : « Ita ut ad praefatam praeposituram quotiescumque vacaverit, attento quod dictus Erasmus illam de integro et ex eius laicalibus et patrimon. bonis, ut infra dotare intendit, postquam tamen dos huiusmodi vere et realiter assignata fuerit, et non alias, persona idonea coram Romano Pontifice existente ab infrascriptis haeredibus dicti Erasmi praesentare, eademque Praepo.úturae personae idoneae praefatae ad praesentationem huiusmodi per Sedem Apostolicam conferri debeat dicto Erasmo eiusque haeredibus in infinitum ius patronatus et praesentandi coram Nobis, seu Romano Pontifice protempore existente, personam idoneam ad praeposituram, ut praefertur, erigendam huiusmodi et praefato Erasmo prima vice ut infra conferendam, attenta illius dotatione ex mere laicalibus bonis et pa-

trimonio praefati Erasmi, quoties illam ex eiusdem Erasmi personae et bonis in eiusdem manibus nostris seu Romani Pontificis pro tempore existentis. »

Voluit insuper idem Pontifex, ut qui pro tempore ad memoratam praepositurам nominarentur, presbyteratus ordinem, et doctoris aut magistri in theologia vel in iure canonico titulum haberent, sive saltem infra annum obtinerent; sed executioni demandatae haud fuerunt praefatae Apostolicae Litterae, nisi quatuor post annis, scilicet anno 1726, quo Erasmus promissam dotem reapse contulit, praepositurae assignans < *salmatas undecim et cúmulos tres terreni arativi et alberati.* »

Praepositurам primus obtinuit ipse fundator Erasmus. Hic autem anno 1750 suis muneribus haud amplius fungi valens ob male affectam valetudinem, resignationem in manibus R. Pontificis emisit favore sui pronepotis Carmeli Arezzi; ac deinde publicis tabulis diei 25 Decembris eiusdem anni donationem omnium bonorum favore nepotis Bernardi Arezzi *et descendentium in perpetuum* confecit cum perpetuo fideicommissi vinculo, nec non « cum speciali conditione et reservatione iurispatronatus in perpetuum praesentandi sive nominandi successores Praepositos collegiatae praedictae, *iuxta formam actus fundationis et Bullarum Apostolicarum,* ad quas sese refert; > simulque statuit, ut in casu quo Bernardi linea aresceret, in eius locum succederet alia linea ex barone Donnafugata, idest « primogenitus dicti quondam baronis D. Corradi Arezzo, qui tunc reperitur baro Donnaefugatae aut ille ex eius filiis et descendentibus aut de filiis et descendentibus d. D. Corradi, qui reperire tur in effectu baro et possessor eius d. feudi. >

Bernardus Arezzi sua etiam bona patrui substantiae adiunxit, atque anno 1769 testamentum condidit, quo primo heredem universalem filium Vincentium nuncupavit, deinde universum patrimonium perpetuo fideicommissi vinculo coercuit, ita ut a Vincentio per totam agnatorum descendentium seriem servaretur, ac postremo ad mares ex feminis perve-

iiiret. Atque extincta descendentia masculina et feminina, vocavit ad primogenituram D. Corradum Aretium fratrem suum eisdem legibus et clausulis. Licet autem in hac testamentaria dispositione, bona sibi a patruo donata incluserit et suo fideicommisso subiacere voluerit, hanc tamen limitationem apposuit: relinquendo tamen in reliquis, dictam donationem in suo primo statu, iuxta intentionem praedicti patrui donantis..

Mortuo Bernardo, Vincentius iunior succedere debuisset. Verumtamen hoc etiam praemortuo, Franciscus secundo loco genitus patrimonium pariter et iuspatronatus nactus est fideicommissaria vocatione. Hic semei etiam ac iterum patronatum exercuit ceu fundationem représentais, ut ipse ait in actu nominationis anno 1834 factae, in qualitate haeredis universalis, substituti sui patris D. Bernardi Arretii Paterno, qui fuit unicus haeres donatarius universalis, fundatoris. Anno vero 1842 e vita migravit, unam tantum sororem relinquens nomine Emanuelara. Quam heredem praeteriit, atque omnia sua bona et iura contulit in extraneum Paschalem Di Quattro quia, ait, bonus fuit mihi et fidelis amicus. Ex Emanuela Raphael, Claudius et Aloysia geniti sunt; una modo superstes Aloysia. Atque ex Claudio Raphael, Emanuela, Aloysia, Vincentia, Flavia, Vincentius, Concepta et Salvator, qui novissime una cum amifa Aloysia nominarunt. Ex Paschale autem Georgius et Paschalis iunior Di-Quattro.

Anno 1872 beneficium vacavit quin legitimo tempore quisquam nominaret. Tunc a S. Sede Emanuel Ottaviano Praeposituram accepit. Cum autem hic die 15 Sept. 1891 mortem obiret, ius nominandi complures patroni sibi vindicarunt. Aloysia cum octo nepotibus canonicum La Rocca praesentavit, atque in hunc pariter suffragium tulit baro de Donnafugata e transverso genere de Aretiis. Georgius et Paschalis Di Quattro vero nominarunt archidiaconum Comitini.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO CANONICI LA ROCCA. Orator qui iura canonici Emanuelis La Rocca tuetur, initio animadvertit aequitatis et familiae rationes eidem canonico favere. Legem deinde fundationis memorat, quae in praeposito vel lauream vel alium licentiae titulum requirit. At quamvis neuter ex vocatis hanc conditionem adimpleat, tamen canonicus La Rocca dispensationem petiit, et sub eadem conditione praesentatus est; sed archidiaconus Comitini neque academicum ordinem hactenus suscepit, neque dispensationem postulavit. Quamobrem, conditione deficiente, praesentatio incapacis irrita haberi debet ex relatis a Gagliardio *De iurepatronatn tom. II cap. XX % 1,3 et 17.*

Exinde iuris nominandi quaestionem aggrediens, contendit institutoris Erasmi animum fuisse, ut non heredes bonorum, sed heredes sanguinis, sive descendentes ad patronatum vocarentur. Cui interpretationi adiectum « *in infinitum* » inservire putat. Ceterum, ait, mens et animus verbis praevalent, ac praesertim testatoris observantia, ex traditis a Pitonio in *Ali. 33 de controv. pair. n. 16,* qui scribit: « . . . nulla melior interpretatio legis fundatoris dari possit in iure nostro, quam illa deducta ex observantia ipsius fundatoris. » Cui concinit De Luca *disc. LXI num. 13 de beneficiis.*

Atqui institutor Erasmus suae donationis tabulis omnia bona nepoti Bernardo « acceptanti et stipulanti pro se suisque filiis et descendentibus in perpetuum » legavit « incluso iuspatronatus. » Iura igitur sanguinis et familiae praecipuam donationis rationem constituere, ait Orator, quae ut tutiora donator redderet, fideicommissi vinculo patrimonium obstrinxit. Et sane omnia bona (donator statuit) « censeantur et sint d. Bernardo suisque filiis, nepotibus, posteris et descendentibus in perpetuum et in infinitum, etiam sub infrascripta substitutione, prout infra donata *sub stricto vinculo*

ftdeicommìssi talisque quod dictus D. Bernardus suique filii et descendentes in perpetuum sint et esse debeant simplices usuarii et usufructuarii. »

Post haec dubitandum non censet idem Orator, quod iuspatronatus ita constitutum *gentilitium* sit et *familiare.* Et auctoritate innititur Pitonii in *alleg. 37 de contr. patr.,* ac S. Rotae complures decisiones adiicit, inter quas Veliternam *iurispatronatus 28 Febr. 1853 § 1,* cor. Emo Card. Mertel, haec habentem: « Inspecta fundationis lege ac observantia in praesentationibus servata, exploratum erat iuspatronatus gentilitium late distensum ad omnes descendentes familiae Tersenghi, quippe gentilitium censetur iuspatronatus quoties ad illud vocentur omnes eiusdem gentis, generis et familiae. » Concludit proinde iuspatronatus ab origine gentilitium vel saltem mixtum fuisse, quod scilicet sanguinis qualitatem cum hereditaria requirit, ex relatis per Gagliard. *Op. cit. to. 1 cap. 3* g *20.*

Ceterum, prosequitur defensor, etsi ab initio patronatus haereditarius habendus esset, quantocyus in gentilitium procul dubio mutatus a fundatore ipso et ab illius successore fuisset. Nam non Erasmus modo, sed et illius successor nepos Bernardus gentilitiam qualitatem apertis verbis imposuerunt. Volo, scripsit hic postremus, subiicere cunctam meam haereditatem perpetuae geniturae, favore descendentium agnatorum meorum . . . et extincta omnino mea descendentia agnatitia . . . volo ut succédèrent meae filiae una post alteram, earumque respectivi descendentes. Praeterea ego testator supradictus declaro fuisse mihi ab avúnculo meo Herasmo Arezzi multa donata bona stabilia, aliaque . . . quae bona donata volo ut comprehendantur in primogenitura.

Haec in facto. Ex iure autem contendit unanimem esse prudentium sententiam, quae iurispatronatus hereditarii in gentilitium mutationem etiam invito Ordinario patronis quamvis non fundatoribus, sed successoribus tantum, permittit. Nam potius emolumentum, quam praeiudicium hac conversione ecclesiae infertur, neque futuris vocatis damnum irro-

gatur. Quod ut demonstret, allegat testimonium Fargnae *de iurepatr. t. 2 pa)". 2 can. 1 ei 2 eas. 5 n. 3 et 14,* S. Rotae in *Compostellana parochialis de Pardessoa cor. Falconer. suo tit. de iurepar. decis. 8 n. 9* et Cardinalis De Luca *de iurepatr. disc. 60 n. 22* - ibi - « Quo vero ad successores, qui neque fundatores, neque primi acquirentes dici valeant, aut agitur de patronatu hereditario quod possessor faciat familiare seu gentilitium, et non dubitatur id fieri posse absque aliqua Ordinarii auctoritate . . . quia interest ecclesiae iuspatronatus esse potius familiare vel gentilitium, quam pure hereditarium. »

Quibus praemissis, gentilitiam iurispatronatus naturam non modo ex verbis donationis, sed etiam ex fideicommissaria institutione, cui adiectum est iuspatronatus, arguit Orator, id ex communi iure derivans iuxta tradita a Gagliardi *op. cit. t. 1. cap. 10 § 29* et De Luca *de iur-epatr. disc. 60 n. 4.* Cum enim in casu ad fideicommissum agnati prius vocati fuerint ac per posterius feminae earumque descendentes, plane sequi, ait, etiam iuspatronatus familiare et gentilitium esse censendum.

Huc autem rebus perductis, sibi praecavendam esse autumat patronus insidiam, quam suae thesi parari timet ex aliis commentitiis fundationis litteris fortasse circum ferendis ad gentilitiam iurispatronatus qualitatem oppugnandam. Huiusmodi documentum pluribus argumentis apocryphum demonstrare contendit: atque ille testimonio duorum parochorum confirmat, quorum uterque chirographum commentitium esse et de recenti exaratum furtiva manu testatur.

Obiectioni subinde occurrit de abrogatione fideicommissorum, quam alienissimam a iuribuspatronatus existimat, quorum civilem abrogationem Ecclesia numquam agnovit. Ceterum, per decretum anni 1818 haec iura in utriusque Siciliae regno in pristinum redintegrata fuisse sustinet.

Ad observantiam praeterea quod attinet, hanc adversariis nocere et clienti luculenter prodesse orator canonici La Rocca contendit, quia patroni semper ex familia de Aretiis fuerunt.

Praescriptionem insuper contra successores iure gentilitio, nullo in pretio haberi posse subdit iuxta tradita a Pitonio in *all. 11 n. 22* et *all. 66 n. 29 de cont)', patr.* Sed hoc ait evidentiae fastigium imponere, quod in utraque nominatione hoc saeculo Franciscus se uti heredem *substitutum* praesentare professus est, sive ordine fìdeicommissario ac gentilitio.

Quae cum ita sint, orator legitimos in hoc patronatu successores *ex arbore, genealogica* designat. Agnatio quidem, ait, defecit: sed, extincta agnatione, non ideo ius ad extraneos heredes migrare potest, sed in subsidium vocantur descendentes ex feminis, teste Pitonio *de con* **I** *r. 'pair. all. 37 n. 7.* Accedere in casu Erasmi et Bernardi perspicuam voluntatem. Alterum enim descendentes in infinitum absque discrimine vocasse: alterum disposuisse, quod extincta agnatione, succedere deberent, hoc in casu, meae Aliae, una post aliam cum suis descendentibus, cum eodem ordine primogeniturae, eisdemque legibus. Ostendit autem primo descendentiam ex femina Emmanuela vigere in patronis Arezzi-Paternò: iam ne agnatitiam quidem deficere in linea collaterali, cuius superstes est Conradus baro de Donnafugata, qui pariter nominavit canonicum La Rocca.

Refellere postremo satagit argumentum, quod patronatus, utpote realis habendus sit, possessoribus adiiciatur bonorum patrimonialium. Realis enim patronatus is est, qui fundo vel praediis in fundatione adnectitur, ut scribit Gagliardi *oj>. cit. t. i cap. 3 § 11;* dum personalis « competit personis independenter ab aliqua re. » Atqui praepositum iuxta fundationem *suum dotem* habet, neque hanc unquam dotem possedit familia de Aretiis.

Quibus ita demonstrans, canonici La Rocca patronus concludit iuspatronatus ab origine gentilitium fuisse vel saltem mixtum. Quamvis gentilitium ab initio non esset, hanc qualitatem accessisse fundatoris et successoris voluntate. Ac propterea Franciscum a descendentibus patronatum alienare non potuisse, quem ad progeniem de Aretiis pertinere totis viribus contendit.

DEFENSIO ARCHIDIACONI OOMITINI. EX adverso qui propugnat institutionem dandam esse archidiacono Comitini, praenotato quod prima et potior quaestio in themate est circa pertinentiam iurispatronatus, utpote, qua resoluta, facile patet quinam sit instituendus, orationem suam bipartitur, in cuius prima parte sustinet iuspatronatus ex Bullis Apostolicis et instrumento dotationis praepositurae haereditarium esse, in altera autem tale semper mansisse et qua tale ad patronos Diquattro devenisse.

Et quoad primum recolit in iure compertissimum esse in quaestionibus de iurispatronatus natura normam regulatricem esse literam et tenorem fundationis, unde ea sola inspicienda et observanda venit, Piton. *Alleg. 42 n. 5 de controv. patron. ;* ab ea res tota pendet, cum fundator liber sit vel iuspatronatus remittere in totum vel reservare cui vult.

Age vero, pergit, si inspicias literam fundationis seu Bullam Innocentianam, omnia convincunt iuspatronatus simpliciter haereditarium esse. Sane fundator Erasmus expresse vult ut praesentatio ad Praeposituram fìat a suis haeredibus « *ab infrascriptis haeredibus dicti Erasmi praesentari* » ac ipsis in perpetuum maneat iuspatronatus reservatum - *ac dicto Erasmo eiusque haeredibus in infinitum iuspatronatus et praesentandi. . . perpetuo reserves et assignes.* . . Atqui expressa vocatio heredum constituit iuspatronatus hereditarium, ut tradit Berardi *Comment, in Ius Eccles, tom. I de Iurepat, dissert. 4 cap. 2:* « Igitur potiore iure hereditarium habebitur, si expresse fundator heredes vocaverit. » Iuxta Piton, deinde *op. cit. alleg. 3 n. 4* potissimam verificari in themate coniecturam haereditariae qualitatis iurispatronatus, cum in toto Bullae contextu nulla de descendentibus fiat mentio, nullaque habeatur familiae ratio. Obiectionem demum refutat, quod nempe nomine haeredum suorum designentur haeredes sanguinis seu descendentes, et cum Berardi *loc. cit.* advertit id obtinuisse sub imperio romani iuris, sed nostris temporibus « ex vulgari nominis significa-

tione passim hodie recepta non aliter quis suum haeredem nominat, quam ut eum designet, qui sibi haeres existat. »

Parili ratione orator thesim suam evincere sategit ex duplici instrumento dotationis praepositurae, quia haec instrumenta concinnata fuere servata in omnibus « forma et tenore literarum Apostolicarum, » imo in executionem ipsarum ad quas « pro facti veritate condigna habeatur relatio. » Atque in huiusmodi clausulis insistens, sustinet, iuspatronatus idem esse ac illud reservatum in uteris apostolicis, cum referens non debeat discordare a relato, aut ultra ipsum traduci. S. Rota in *Firmana Cappellaniae 10 Martii 1833 n. 5, coram Serlupi,* et Piton, *alleg. 86 n. 19 op. cit.*

Fortius autem id deduci tradit ex illis instrumenti verbis, ubi ius praesentandi reservatur suis heredibus et successoribus « ita quod ad praeposituram praedictam quotiescumque illa vacaverit ab eius haeredibus et successoribus praesentari et eadem personae idoneae per Sedem Apostolicam conferri debeat; » nam praeterquam quod haec formula intelligi debet iuxta tenorem Bullae, illa dictio « et successorum » vel posita est explicative et tunc sonat idem ac seu successorum, nam successoris nomine etiam heres appellatur, quemadmodum haereditas successio appellari solet *leg. 24 et 170 ff. de verborum signi/* ; vel posita est ampliative et tunc dicuntur vocati non solum heredes sui, sed quicumque fundatori succédèrent etiam extranei.

Demum orator ad omne dubium summovendum urget duas decisiones, quarum prima est supremi magistratus Florentini relata a Scarfantonio ad Ceccoperium in *votis decisiv. diverser, iudicum decis. 62.* Quidam cappellaniam erexit reservato iure nominandi « pro se suisque heredibus et successoribus. » Tractu temporis ius nominandi donatione pertransiit ad extraneum quemdam extantibus adhuc tribus sororibus germanis descendentibus ex fundatore. Lis exarsit inter istas et donatarium. Trium sororum defensor urgebat iuspatronatus esse mixtum innixus illis verbis fundatoris « pro se suisque heredibus et successoribus » et nullam donationem renuncia-

bat. E contra donatarii advocatus sustinebat citata verba praeseferre indolem iurispatronatus mere hereditaria et decisio edita a supremo magistratu florentino in totum fuit favorabilis defensori donatarii.

Altera decisio est S. C. C. in *Sarnen. Iurispatronatus et Institutionis 18 Ianuarii 1854.* Quidam coniuges Mazza cappellaniam fundarunt (postea a superstite uxore in canonicatum conversam) reservantes iuspatronatus sibi suisque successoribus in infinitum. Anno 1713 iuspatronatus ex donatione transiit in familiam Barbaroli cum lege primogeniturae. Deinde anno 1851 vacato canonicatu, Barbaroli uti privative patronus praesentavit sacerdotem Origo. Sed prodiere quidam de familia Landriani, qui iactantes se compatronos cum Barbaroli, praesentarunt Franciscum Landriani. Et licet in primo causae experimento die 28 Augusti 1852 ad proposita dubia « I. *An et cuius favore constet de iurepatronatu in casu.* II. *An et cui danda sit institutio in casu.* » S. Congregatio rescripserit : « *ad primum affirmative favore utriusque familiae de Landrinis et Barbarolis; ad secundum affirmative favore sacerdotis Landriani ;* » tamen eadem S. Congregatio in secunda causae propositione, nempe die 18 Ianuarii 1854 sententiam omnino mutavit et ad utrumque relatum dubium, praevio recessu a decisis, respondit, iuspatronatus pertinere dumtaxat ad familiam Barbaroli et institutionem dandam esse sacerdoti Origo : quae decisio confirmata fuit in tertio causae certamine sub die 20 Maii 1854 responso « *ad primum et secundum in secundo loco decisis et amplius.* » In triplici causae propositione defensor Barbaroli et Origo sustinebat in themate agi de iuspatronatus hereditario, utpote reservato sibi suisque heredibus et successoribus, sed Landrianorum defensor contendebat citatam dictionem praeseferre indolem iurispatronatus gentilitii late sumpti.

Quare, concludit patronus, ex utraque decisione canonizata mansit theoria, quod illa formula sui haeredes et successores praeseferat indolem iurispatronatus simpliciter he-

reditarii: proindeque clarissime patere tum ex uteris Apostolicis, tum ex instrumento dotationis iuspatronatus eese simpliciter hereditarium.

Ad secundum caput gradum faciens orator, ultro admittit naturam iurispatronatus haereditarii a fundatore eiusque successoribus in familiare vel gentilitium immutari posse; sed simul contendit duos actus ex adverso obiectos, Erasmi videlicet donationem favore Bernardi factam atque huius testamentum, evidenter ostendere, iuspatronatus retinuisse naturam ab apostolicis litteris impressam. Sane fundator Erasmus omnia sua bona et iura generali donatione, quae audit inter vivos, transtulit in Bernardum, « specialiter incluso iurepatronatus eligendi successorem praepositum Rmi Capituli. . . » Cum autem nulla fideicommissi mentio fìat, tenendum, iuspatronatus iuxta suam primordialem naturam inclusum. Sed admissa parumper hypothesi, hanc generalem dispositionem esse iideicommisso obnoxiam, nullo pacto sequeretur iuspatronatus in iideicommisso inclusum, quia donans vult illud ad donatarium transire « iuxta formam actus fundationis et bullarum apostolicarum ad quas sese refert. » Quo clarius, inquit, hereditariae qualitatis conservatio firmari non poterat.

Ad magis deinde illustrandum sensum verborum *iuxta formam et tenorem* affert Pitonium *op. cit. alleg. 100 num. 528* qui ait: « Dum ergo Ordinarius reservavit iuspatronatus iuxta formam testamenti, se habuit relative ad testamentum, et ista relatio operatur, ut reservatio iurispatronatus sit intelligenda iuxta tenorem verborum testamenti seu legem fundationis, ad quam habita fuit relatio iuxta notam regulam quod magis attenditur relatum quam referens. »

Cui sententiae favere dicit ipse tenor instrumenti. Siquidem posteaquam Erasmus generalem donationem perfecerat et nonnulla legata disposuerat, taxative designavit bona iideicommisso subiecta : et quasi non satis expiicasset ad quaenam bona fideicommissum extenderetur, in subsequenti dis-

positione per quinque vices repetit « bona stabilia vel restans bonorum stabilium » ad quae tantum fideicommissum circumscriptum voluit.

Et sane in hac donationis parte constituitur fideicommissum particulare[1] limitatum ad certa bona, in quibus non includitur iuspatronatus, cum ipsum iuris nomine designatur. Pitonius *cit. op. alleg. 46 n. U:* « Minus obiici potest iuspatronatus esse reputandum ad formam fideicommissi particularis impositi super stabilibus, quia iuspatronatus non venit sub fideicommisso particulari restricto ad certa bona, sed solum sub generalitate et universalitate aliorum bonorum et iurium; ideoque illud regulare debemus ad formam donationis universalis independenter ab ipso fideicommisso particulari. »

Licet autem hodie iuxta Card. De Luca *disc. 36 de iurep.* de facili etiam per leves coniecturas recedi soleat ab antiqua regula exclusiva iurispatronatus in fideicommisso, quia qui desideravit in una familia bona conservari, multo facilius praesumitur voluisse huius honorifici iuris conservationem ; tamen haec intelligenda de fideicommisso generali omnium bonorum et iurium ; nam fideicommissa sunt materia odiosa et non sunt de casu ad casum extendenda, sed solum casus a fideicommittente expressus, est attendendus, ut tradit Rota in *Faventi)}a, Fideicommissi dec. 772 n. 2 coram Lancetta.* Ideoque expositum principium de comprehensione iurispatronatus perperam applicaretur in themate, cum clarissima testatoris voluntas resistat.

Ad trutinam deinde revocans testamentum Bernardi Arezzi, ait, facile patere, testatorem duplicem dispositionem peragere voluisse. Prima respicit omnia bona ad se pertinentia circa quae statuit fideicommissum agnatitium late sumptum sub forma primogeniturae, in altera vero sermo est de bonis a patruo Erasmo sibi ex donatione relictis, et haec testamenti pars controversiam respicit. Porro hic testator vult bona relicta sibi a patruo Erasmo subiecta esse eidem legi primogeniturae superius memoratae non obstante,

quod forsan aliter disposuerit meus patruus; quia Erasmus simplex fideicommissum tantum disposuerat favore descendentium Bernardi donatami et subsidiarie cum forma primogeniturae vocaverat lineam baronis Donna fu gata. Hinc arguit, solum ibi sermonem esse de bonis ab Erasmo iideicommisso suppositis. Sed cum superius demonstratum fuerit, ius patronatus haud fuisse comprehensum in iideicommisso a donante Erasmo constituto, sponte consequitur nec comprehendi potuisse in nova forma eidem impressa.

Bernardus prosequitur : quoniam ego testator retinere volo dicta bona ob ingentes expensas, aetas ad eadem protuenda; quia expensae bonorum valorem superant; et ideo, ceu mea essent, illa bona volo ut subiiciantur meo fìdeicommisso primogeniali et agnatitio. Bona itaque fìdeicommisso subiicienda sunt bona pretio aestimabilia : « sed iuspatronatus, ut ait Pirrhus Corradus *Prax. Benef. lib. 5 cap. 5 n. 38,* cum sit spiritualitati adnexum inaestimabile est, et sine pretio^ pretiosum, » nec acquiri potest titulo oneroso, quin simoniae crimen pateretur, et incidatur in poenas sancitas a Trid. Conc. *cap. 9 sess. 25.* Ideoque contendit bernardum minime respexisse iuspatronatum cum de bonis iideicommisso subiiciendis locutus est, siquidem prae oculis habens patrui donationem, cathegorice affirmat Erasmi voluntatem in reliquo integram permanere debere: relinquendo tamen, quoad cetera, dictam donationem in suo primo statu, et iuxta mentem patrui mei.

Sed admisso parumper, ait, dubium aliquod superesse, hoc evanescit ex observantia et interpretatione deducta ab actibus, tum fundatoris, tum successorum. Sane anno 1750 fundator in litteris procuratores pro resignatione beneficii in manibus Romani Pontificis favore pronepotis clerici Carmeli Arezzi, se expresse patronum declaravit « vigore concessionis eiusmodi patronatus favore praedicti de Arezzo et heredum illius insertae in Bullis apostolicis erectionis praedictae collegiatae. » Idem repetitur in actu assensus ab eodem praestiti pro executione litterarum apostolicarum « cum conces-

sione patronatus favore sac. de Arezzo et heredum illius inserta in Bullis apostolicis. » Eadem enunciativa habetur in Bulla Ap. collationis Praepositurae dicto Carmelo « de iuspatronatus laicorum, videlicet dilecti filii Erasmi Arezzo presbyteri eiusque heredum et ex fundatione et dotatione. » Hae autem enunciativae nedum interpretantur fundatoris mentem circa naturam iurispatronatus sibi reservati, sed cum sint coaevae instrumento donationis, utpote emissae anno 1750, satis ostendunt ipsius voluntatem conservandi immutatam iuspatrontus, nullo habito respectu familiae vel descendentiae.

Quod magis confirmari dicit ex eo quod Franciscus Arezzi Paterno, qui fratri Vincentio successit, ad vacantem praepositurам anno 1834 praesentans sac. Michaelangelum Arezzi e Baronibus Tre/filetti, in electione rationem domus vel familiae prorsus exclusit, et tantum qua heres dixit hoc ius exercere « cum tale iuspatronatus pertineret ad dominum Arezzi Paterno, ceu heres universalis, substitutus ab eius patre domino Bernardo Arezzi Paterno, qui fuit unicus et universalis heres donatarius fundatoris. »

Iamvero, praesentationem factam titulo hereditario arguere indolem hereditariam iurispatronatus ceu tradit Ferraris, *lìibltoth. can. Verb. iuspatr. art. 1 num. 8,* necnon Rota *cor. Lancetta dec. 770 n. 4:* « Iuspatronatus hereditarium convincitur ab expressione qualitatis hereditariae a praesentante emissa; » praesertim si praesentatio facta fuisset titulo hereditario in ultimo statu, hic esset attendendus pro exclusione iurispatronatus gentilitii, ut docet eadem S. Rota *dec. 181 a..17, et dec. 223 nam. 14 part. 19 recent.*

Nec aliter iudicasse, dicit, Ordinarium Syracusanum in litteris collationis Praepositurae Michaelangelo Arezzi. Primo asseritur praesentandi ius spectans Francisco Arezzi Paterno derivandum ex litteris apostolicis et actu donationis Praepositurae, quibus relatio habetur... « Cuius electio et praesentatio tenore actus fundationis et dotationis eiusque canonicae erectionis et institutionis iuxta Bullas, quibus relatio

habetur, pertinere dignoscitur ad Illmum equitem Franciscum Arezzi Paterno. » Secundo dicitur talem electionem eidem Francisco tribuendam non quia de familia et gente Arezzi, sed quia heres et successor per intermedias personas fundatoris Erasmi « tamquam heredem et per intermedias personas successorem Erasmi Arezzi fundatoris. »

Neminem autem latere ait, quanti facienda sint huiusmodi Ordinariorum enunciati vae, cum praesumantur ipsi maxime informati circa naturam beneficiorum suae dioecesis, et non sint facile admittendae expressiones minuentes ordinariam ipsorum potestatem circa beneficia. « In proposito enunciativarum , inquit De Luca *de Iuvep. disc. 57 num. 20,* inspicere refert, mi illae sint Ordinarii cui tamquam interessato ac loquenti in re sibi praeiudiciali nimium defertur. »

Eamdem interpretationem et etiam clarius, tribui verbis Bullae a moderno Ordinario qui rogatus a S. C. O. ut votum suum panderet ait: « nempe ex allato articulo Bullae eruitur quod ius nominationis et praesentationis pertinet ad haeredes Bernardi Arezzi, qui fuit donatarius universalis fundatoris Erasmi. Quare concludit iuspatronatum esse hereditarium et tale mansisse.

Quo posito, facile censet ostendi posse, praefatum ius ad patronos Diquattro devenisse. Abolitis enim lege civili an. 1818 in Siciliae regno fideicommissis, Franciscus Arezzi Paterno liberis carens testamento anni 1842 heredem universalem nuncupans Paschalem Diquattro, in eum omnia bona cum iurepatronatu transtulit. Paschalis Diquattro autem testamento anni 1865 heredes universales instituit filium Georgium et Paschalem nepotem, qui proinde sunt legitimi patroni per intermedias personas fundatorem repraesentantes.

Sed, ait, adversarii obiicere possent, Praepositos semper electos fuisse inter descendentes a familia fundatoris Erasmi; et si aliquis extraneus fuit electus, id evenit, quia in familia fundatoris non aderant personae idoneae, ut eruitur ex^ actu electionis Francisci Arezzi Paterno. Iamvero a patronatu passivo ad activum, ad eruendam eius naturam recte

argui videretur. Proinde si fundator voluit, ut Praepositi inter descendentes suos eligerentur, ad hos etiam ius praesentandi restrinxisse praesumendum esset.

Hoc argumentum quovis fundamento carere dicit. In primis enim absolute negari posset fundatorem instituisse patronatum passivum et designasse personas praesentandas ad vacantem Praeposituram, nec id adversarii demonstrare possent. Quod autem nominati fere semper fuerint ad Praeposituram coniuncti sanguine cum fundatore nil relevat, sed tantum probat patronorum praedilectionem erga ipsos. Nam quilibet patronus, ut experientia docet, ex quodam naturali amoris sensu in praesentatione ad beneficia fere semper suos coniunctos extraneis praefert. Sed aliud est ad id cogi lege fundationis, aliud id agere ex quodam naturalis affectionis vinculo; in hoc casu ipse omnino liber est, non autem in primo cum passive vocati censeantur praesentati ab ipso fundatore. Deinde etsi haec passiva vocatio in casu admitteretur non exinde dicenda esset exclusa qualitas hereditaria in patronatu activo, ut docet De Luca, *de iurep. disc. 28, n. 11.* Quamobrem Georgium et Paschalem Diquattro esse solos patronos in praesentatione Praepositi, proindeque archidiacono Comitini institutionem dandam esse concludit.

Quod si demum opponeretur praesentationem uti nullam esse habendam, quia factam ab Ordinario, cum institutio S. Sedi reservetur, orator respondet: primo ideo patronos Diquattro Archiepiscopo presentasse, ut ipse deinde electam personam S. Sedi notam faceret; secundo Pitonium *op. cit. alleg. 22 num. 23* tradere, quod licet praesentatio sit per se nulla, tamen, si adest bona fides, prout in casu, devolutionem impedit, et patronus iterum praesentare valet.

Hisce utrinque adductis, propositum fuit diluendum

Dubium

An et cui danda sit institutio in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. O. re disceptata sub die 10 Decembris 1892, censuit respondere: *Affirmative favore Canonici La Rocca.*

LUCANA

REMOTIONIS A PAROECIA

Die 23 Iulii 1892.

Sess. 21 cap. 6 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Hyacinthus Cantoni, iam inde ab anno 1857 parochus loci Mutigliano, dioecesis Lucanae, ob suae indolis acerbitatem et ob quasdam simultates ipsum inter et populum, occasione aedificationis novae ecclesiae parochialis subortas, in odium eidem populo venit. Atque eo res devenerunt, ut quidam parochiani anno 1882 ignem noctu domui parochiali accenderint, aliaque mala contra ipsum minari ac moliri coeperint.

Necessarium hinc duxit praefatus parochus suae vitae securitati consulere, in locum tutum se recipiendo : quod statim fecit, consulto quidem et consentiente Lucano Praesule, qui Oeconomum pro animarum cura deputavit. Paullo post dispensationem a residentiae lege petiit idem parochus ; et haec S. C. sub die 5 Martii 1883 petitam gratiam indulsit ad annum tantum, monitione adiecta, ut orator interim curaret animos parochianorum sibi conciliare, ne secus deberet vel paroeciam dimittere vel eadem privari.

Annus tamen praeteriit, quin memoratae circumstantiae in melius immutatae fuerint ; sed abessendi indultum prorogare haud censuit S. C. C. nisi ad alios sex menses, addita insuper clausula : *absque spe ulterioris prorogationis.* Archiepiscopus vero conceptam conciliationis spem in dies evanescere cernens, et animo reputans, sincerum esse propositum a parocho patefactum dimittendi paroeciam, quin intenderet alterius curam suscipere, petiit, et sub die 22 Septembris 1884 obtinuit, ut praefatus parochus ad effectum dimittendi paroeciam dispensaretur iuxta consuetam formam a titulo S. Ordinationis, donec aliter provideretur.

Archiepiscopi votum haud probavit eventus, et res in descripto statu permanserunt, sicuti permanent adhuc ; nam

parochus nec ecclesiam suam petiit, nec nuncium ei mittere voluit. Id tamen haud innotuit, nisi anno 1890, quo Oeconomus pro animarum cura deputatus, conquestus est, menstruum stipendium lib. 23 tantum sibi a parocho persolvi, suae honestae sustentationi plane insufficiens; ideoque denuntiasse, subdit, tum eidem parocho, tum Curiae, quae usque ad annum 1888 septem libellas dicto stipendio de suo cumulaverat, se non amplius pro populo missam persoluturum, et de facto illam omisisse a die 1 Novembris 1888, ratus parochum solummodo, qui stipendium augere noluit ad 30 lib., ad memoratam obligationem teneri.

Occasione huius recursus, qui Archiepiscopo illico ablega tus est, haec de parocho ab eodem Praesule relata fuerunt; doleo me non potuisse obtinere Ecclesiae renuntiationem, etsi alia beneficia eidem oblata fuerint. Etiam nuperrime eius optioni exhibita tria beneficia fuerunt, quae tamen recusavit, aiens sese paroeciae nuncium non missurum nisi prius aequam provisionem obtinuerit.

Nulla hinc interiecta mora, Lucano Praesuli scriptum fuit, ut ipse nomine S. C. C. praefigeret parocho terminum peremptorium unius mensis ad resignandum beneficium cum reservatione modicae pensionis, iuxta vires eiusdem beneficii.

Mandatis illico paruit Archiepiscopus, annuam determinans pensionem in lib. 150 tantum, ex eo quod beneficii vires maius onus ferre non possent. Illius enim reditus, oneribus detractis, vix attingunt summam lib. 469, 15, quae quidem summa, detracta insuper pensione lib. 150, reducitur demum ad annuas lib. 319, 15.

Parochus e contra, memorato peremptorio termino nondum expirato, apud hanc ipsam S. C. conquestus est, haec quae sequuntur in sui favorem deducens :

Mandatum dimittendi paroeciam aequivalet comminatoriae privationi, quae decerni nequit, nisi praevio canonico processu, qui frustra ceteroquin conficeretur, cum nullius criminis ipse conscientiam habeat, odium plebis seu potius qua-

tuor vel quinque malignantium non constituat causam canonicam privationis, et factum non-residentiae ipsi imputan nequeat, quia non pendet a sua voluntate, et praesto insuper est iusta infirmitatis ratio. Numquam ceterum ab emittenda renunciatione alienum se exhibuit, quatenus sibi collatum fuisset beneficium, aptum suae aetati annorum 66, et servitio Ecclesiae praestito; dum e contra oblatae fuerint tres paroeciae, nihil sibi idoneae, quorum reditus minor libellis 30 pro singulis mensibus.

Atque, nonnullis aliis adductis rationum momentis, concludit: sese protueri velle sua iura; et ideo paratum esse iterum accipere moderationem paroeciae, aut isti nuncium mittere dummodo pensio non minor 36 libellarum sibi assignetur.

Ordinarius autem retulit: statum anormalem illius paroeciae adhuc prosequi: curasse ut parochus renunciationem emitteret, eidem adpromittendo pensionem aequalem reditibus suae paroeciae; sed frustra. Quoad oblata illi beneficia Parochus sese opposuit, quia de sua ideonitate iudicium non relinquit Ordinario, et petit officium quod eidem ex conscientia committi nequit. Petit tandem Archiepiscopus ut paroecia illa declaretur vacans ut eidem per concursum parochus assignetur.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO PAROCHI. Porro favore parochi animadvertendum imprimis occurrit, eius remotionem ab ecclesia loci Mutigliano ad hoc demum reduci, nempe ad beneficii parochialis privationem, pro qua decernenda delictum profecto requiritur, et quidem in iure expressum, concludenter probatum, praevio canonico processu, ac servata sacrorum canonum forma quoad trinam praeviam monitionem, si de crimine insuper agitur quod emendationem recipit. Idque prorsus exploratum in iure esse admonent conclusiones officiales in eausa *S. Severini 4 Aprilis 1778* § *Addit* penes S. C. C. agitata nec non in *Siracusana 17.. Decembris 1887* § *Contra vero* et § *Atque.*

Iamvero, ne dicam de processu, de quo neque verbum neque vola deprehendi datur in themate, frustra in actorum fasciculo accusationem saltem quis. quaereret alicuius criminis, quod ex iuris censura coercendum esset privationis poena. Magisque praeterea singulare mihi videtur, neminem e plebe, cui in odium parochus venisse dicitur ab Archiepiscopo, querimonias contra ipsum parochum movere, prout in hisce casibus contingere solet. Haud inconcinne idcirco inferri forsan posset, nec *causam* in themate subesse, qua remotio a parochiali beneficio decerni queat.

Interim autem factum absentiae a paroecia, quod ex actorum fasciculo emergit, quodque ab anno 1882 protrahitur usque in praesens, nec rationem criminis, nec rationem culpae induere videtur. In iure enim non quaecumque absentia a loco beneficii punitur privatione eiusdem beneficii, sed ea tantum, quae pro se iustae causae suffragium non habet, quaeque insuper in contumaciae discrimen vocata est per tria iuridica monita vel publica edicta et subsequens lapsum sex mensium. Audiatur prae ceteris Giraldi, qui in *Au*[1] *flit,* ad Barbosam *de Off. et potest, parochi p. 1 cap. 8 ii. 75* praemissa animadversione-, contra parochos non residentes procedi posse per privationem beneficii, et simul per censuras ac subtractione!» et sequestrationem fructuum, ita prosequitur: « Quod autem contra, hos ita procedi possit, declaravit etiam S. C. Concilii in *Gerunden. 20 Api-ilis 1621*, dummodo tria edicta publica praecesserint, et lapsi fuerint sex menses ad praescriptum Const. Innocentii III *cap. ex tuae, hoc tit.* Cumque quaesitum fuisset, an Episcopus praemissis dictis tribus monitionibus pro revocandis parochis ad residentiam, posset procedere ad privationem parochiae, et sic, an verba illa Tridentini *etiam usque ad privationem* intelligerentur inclusive vel exclusive, eadem Cong. *8 Iunii 1624* sensit, intelligenda esse inclusive, dummodo praecesserint tria edicta publica, et lapsi sint sex menses, iuxta cap *ex tuae, de Chr. non resid.* »

Age iam nullum ex his iuris remediis ad urgendam re-

sideiitiae legem adhibitum umquam fuisse apparet contra parochum Cantoni, imo nec minitatum: quod praesumere facit, ipsam Lucanam Curiam existimasse eumdem parochum iustam habere causam a residentiae lege excusan tem. Atque ita prorsus rem in facto esse, subdit parochus, qui ad id praeterea comprobandum allegat notorietatis actum die 7 Aprilis 1891 coram Lucano Vice Prae tore redactum et iurato quatuor Sacerdotum testimonio confirmatum. Ex quo eruitur, praeter facti notorietatem, etiam impossibilitas redeundi ad propriam paroeciam ex nonnullorum paroecianorum oppositione.

Ex his plane scatere videtur, absentiam a loco beneficii parocho haud imputari posse, prouti docet regula 41 iuris in 6° : « Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum. » Quinimo eamdem residentiae legem potius adimpletam dicendam esse quam violatam haud inconcinne forsan concluderetur iuxta alteram iuris regulam quae est *06 de Rey. L* in 6° - ibi - « Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si impleta fuisset. »

Ex eodem insuper notorietatis actu inferri etiam posse videtur, casum hic non esse urgendi contra parochum causam ex plebis odio petitam ad illius remotionem a paroecia statuendam; nam res est de nonnullorum tantum contrarietate, de qua haud habenda esset ratio, nisi ad opportuna excogitanda remedia, quae praefatam contrarietatem retunderent, quaeque paucos illos parochianos ad debita erga proprium pastorem obsequia praestanda compellerent. Et re quidem vera si ex praescripto L. *In fundo, ff. de rei vindicat,* malitiis hominum non est indulgendum, fortius in themate id retinendum videtur, quia si nonnullorum contrarietas tantum uti causa sufficiens haberetur removendi parochum a suo beneficio, fere nullus pastor in praesenti temporum perversitate securus forsan viveret in possessione sui beneficii. Ac ita profecto prae ceteris peior fieret pastorum conditio, qui alieno odio praegravarentur contra ac sancitum

est in regula 22 iuris in 0° - ibi - « Non debet aliquis alterius odio praegravari. »

Quidquid nihilominus de hisce omnibus sit, si EE. VV. pro animarum salute in casu expedire iudicarent, ut parochus beneficium dimittat, ad obtemperandum paratus ipse se exhibet, dummodo congrua eidem donetur pensio in forma iuris valida, etiam quoad civile forum, nec minor libellarum 30 pro quolibet mense. Cuius sane pensionis concessionem commendat imprimis diuturnum servitium ecclesiae praestitum in laborioso curae animarum ministerio, sive qua Oeconomus curatus ab anno 1852, sive qua parochus ab anno 1857. Accedit secundo parochum fortunae bonis omnino destitui ; ita ut nec titulum sacri patrimonii ipse habeat vel sibi constituere valeat. Accedit tertio devexa aetas, qua fit, ut parochus non possit honestae sustentationis rationes sibi aliunde comparare. Accedit denique infirma ipsius parochi valetudo, de qua habetur in actis authenticum et iuratum testimonium periti medici diei 6 Aprilis 1891.

DEFENSIO EPISCOPI. EX altera vero parte observari posset, remotionem a parochiali benefìcio translationis potius rationem in themate habere, quam privationis ; nec subinde ad illam decernendam delictum requiri, sed necessariam sufficere causam, ceu tradit cap. *Quaesitum, de ver. perm. § fin.* - ibi - « Si episcopus causam inspexerit necessariam, licite poterit de uno loco ad alium transferre personas, ut quae uno loco minus sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere. » Idque procedere etiamsi per benefìciatum non stet praefata causa, traditum ulterius habetur in *cap. 10, de Renunc.* - ibi - « Propter malitiam autem plebis cogitur interdum praelatus ab ipsius regimine declinare, quando plebs adeo durae cervicis existit, ut proficere nequeat apud ipsam, sed propter eius duritiam, quo magis satagit, eo magis iudicio deficere permittatur. » Et merito quidem haec statuta sunt ; nam inamovibilitas parochorum, quae ideo est constituta, non ut sacerdotes seipsos pascant, sed ut quieto animo ac sine anxietatibus gregis curae toto corde se dedant ; quae-

que uno verbo in bonum animarum introducta est, in earumdem animarum perniciem subsistere non convenit. Extra chorum propterea canit parochus, dum vult ut delicta quaerantur, utque de iisdem processus fiat, iuris ordine servato.

Quod autem remotio a paroecia translationis et non privationis naturam in casu reipsa induat, ex eo plane liquet quod nihil hucusque praetermiserit Archiepiscopus, ut parochum ad renunciationem emittendam induceret, oblata 1. cum facultate eligendi, capellanía et cura alterutrius dua-, rum, tum vacantium paroeciarum, 2. pensione 150 libellarum super dimittenda paroecia, 3. demum pensione super quodam pio relicto, quae purgatum redditum, quem parochus a suo beneficio percipit, aequat. Atque hic notandum, quod dum parochus unum vel alterum motivum praetexit ad respuendam propositionem 1 loco factam, et conqueritur pinguius beneficium parochiale sibi non fuisse oblatum, ad devexam aetatem demum appellat et ad infirmam valetudinem , ut a parochiali ministerio gerendo se excuset : item dum de modicitate pensionis iuxta sui beneficii vires 2 loco oblatae conqueritur apud S. C. C. et paratum se exhibet ad dimittendam paroeciam si augeatur pensio ad menstruas lib. 30, respuit propositionem pensionis 3 loco factam. Videtur hinc eumdem parochum nec sinceritate, nec pacis studio se commendare: imo aemulatione potius ac simultate cum suis parochianis concertare.

Iustam praeterea in casu subsistere causam removendi parochum, eamque repeti posse ex plebis odio, nullatenus ambigendum esse videtur. Ad causae iustitiam quod attinet recolere sufficit quae ad rem admonent conclusiones oficiales in causa Mediolanen. *Remotionis a paroecia* penes S. O. O. agitata sub die 23 Martii 1889-ibi - «Ex odio enim licet malae plebis titulum haberi sufficientem ad remotionem parochi, nemo est qui ignorat. Conf. Zamboni *tom. 4 Conclus. S. C. C. v. Parochus* § *14 quoad remot. et priv.,* Bizzarri *Collect,* ad *Alben, super remotione parochi populo invisi.* Ratio est quia bonum publicum debet praeferri pri-

vaio ; *Can. Scias 89 c. 7 q. 1* - ibi - nam plurimorum utilitas unius utilitati aut voluntati praeferenda est. »

In facto autem reapse subsistere huiusmodi odium, neque parochus ipse negat vel negare potest, quamvis nonnullorum malignitati id tribuere constanter ipse studeat. Id profecto vel ipsum parochum S. C. C. iterato exposuisse ad consequendam abessendi licentiam et Archiepiscoporum iterato etiam S. C. C. informationem super his quaerenti, respondisse, causam odii plebis in themate subsistere, ex actorum fasciculo habetur. Ita sane in informatione diei 28 Februarii 1883: « Circa adiunctas preces parochi Cantoni referre debeo nihil animadversione dignum circa eius vitae et mores huic curiae innotescere. *Odii, quo eum populus prosequitur, causae repeti debent ex eiusdem indolis acerbitate et ex quibusdam simultatibus inter eum et populum suhort;is* occasione aedificationis novae ecclesiae parochialis____» Ita in litteris responsivis diei 3 Maii 1884: « Circa adiunctas preces parochi Cantoni referre debeo quod *populi aversio* contra eum ita excrevit, prout et ipse fatetur, ut reconciliatio nullimode speranda sit... » Ita in litteris diei 6 Septembris 1884, quibus dispensatio super titulo S. Ordinationis postulabatur : dictus sacerdos Cantoni habet paroeciam in titulum sanctae ordinationis et ideo dimittere nequit, ut oporteret, neque eam repetere potest ob populi aversionem.

Haec tandem data occasione confirmantur ab ipso Archiepiscopo in subsequis litteris S. C. C. transmissis; et ita prorsus esse convincuntur ex evidentia facti, quod a decem annis perdurat invariatum, quodque nedum residentiam, sed etiam accessum ad locum sui beneficii parocho vetat.

Quibus animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An et quomodo sit locus remotioni sacerdotis Hyacinthi Cantoni a paroecia loci Mutigliano in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 23 Iulii 1892 censuit respondere : *Affirmative, proviso pro eius honesta*

sustentatione per heneficium sine cura animarum:, vel per pensionem, prudenti arbitrio Episcopi assignandam.

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Episcopos, inspecta causa necessaria, licite posse transferre de uno loco ad alium parochos, qui possint et valeant utilius sese exercere alibi si uno in loco minus fuerint utiles.

II. Parochos, si proficere nequeant apud plebem, ob eius malitiam et duritiam cervicis oportere interdum ab ea declinare, ut quieto animo et sine anxietatibus, se toto corde dedant curae gregis.

III. Remotiones parochorum, odii iniusti plebis causa ab Ordinariis peractas, induere, ut plurimum, indolem translationis non privationis.

IV. Remotioni in themate causam praebuisse odium plebis ; ne utilitas unius praeferatur utilitati aut voluntati plurimorum.

SENOGALLIEN.

CIRCA FACULTATEM BINANDI.

Die 27 Augusti 1892.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Ad exitum vertente mense Iunio huius anni, Parochus ecclesiae S. Michaelis Archangeli in pago vulgo nuncupato *Monteportio* dioecesis Senogalliensis, supplicem SSmo Patri transmisit libellum, exponens : Ecclesiam paroecialem ita angustam esse, ut continere non valeat fideles, qui etiam ex limitrofis paroeciis, eamdem petunt ex istius conditione eisdem fidelibus favorabili : nam fideles aliarum paroeciarum ut istam adeant, iter unius chilometri peragunt, dum sex aut septem peragere deberent si unusquisque propriam petere deberent : hac in paroecia vere dici posse unam tantum esse missam ; nam etsi alia Utetur in Oratorio publico, hoc parvum est, et utatur hora patronis commoda; et fidelium ibi convenientium maxima pars extra portam cogitur

audire missam in via publica in qua crebro itinerantes adsunt. Paroeciam habuisse semper secundam missam meridie in commodum agros in colentium. Quamobrem oratorem expetere ut sibi concedatur facultas binandi diebus festis, eamque facultatem subdelegandi, valetudinis causa, presbytero, qui, vocatus a patronis, missam litat in praedicto parvo oratorio.

Episcopus autem, cui suprascriptae preces de more ablegatae fuerunt, haec ad rem retulit : « Veritati innituntur omnia, quae ab Oratore in supplici libello exposita fuerunt, tum quoad populi multitudinem et frequentiam ad suam ecclesiam, cum ad eam convenire soleant et cogantur etiam aliarum paroeciarum circumstantium fideles, tum quoad angustiam Sacelli iurispatronatus nobilis familiae comitum Montevecchio, in quo eis onus incumbit Missae singulis diebus festis, uti hucusque laudabiliter satisfecerunt et satisfaciunt.

« Animae circiter 1200 ex oppido et territorio ad hanc Curam pertinent ; sacellum supradictum centum et quinquaginta circiter fideles continere potest. Ex iis consequitur, ne easdem circumstantias vel aequipollentes concurrere quae ad binationem requiruntur iuxta Constit. *Declarasti Nobis* Benedicti XIV?

« Si una tantum Missa in memorato oppido celebraretur diebus festis, procul dubio a me facultas binandi parocho concessa fuisset ; quia ob populi multitudinem, locorum distantiam, presbyterorum deficientiam casus verificaretur verae et realis necessitatis, sicuti citata Constitutio requirit ; nisi enim duae celebrentur Missae in hac paroecia, pars fidelium, eaque notabilis, haud posset praecepto festivo satisfacere. Sed quoniam duae celebrantur in diebus festis Missae, quarum una, uti dixi, in ecclesia paroeciali a parocho, et altera a cappellano comitum Montevecchio in proprio Sacello, dubium exinde oritur, an licentia binationis concedi liceat et debeat.

« Haud denegari nequit Sacellum, in quo expensis dictae domus Montevecchio celebratur Missa in diebus festis ita

angustum extat, ut universum populum, qui secundam hanc Missam audit, capere non possit, et pars notabilis cogatur extra ecclesiam permanere cum non levi incommodo, maxime in tempore hyemali et mentis distractione in publica platea, in qua conveniunt et alii non ad Missam audiendam. Exinde consequi videtur huiusmodi sacellum, propter angustiam, insufficiens esse populo ad praecepti festivi satisfactionem, non quidem eo sensu quod *absolute* satisfacere nequeat, sed eo sensu quod nonnisi cum *gravi incommodo* satisfacere nequeat. His addendum hanc secundam Missam potius ad dicti Comitis, a quo eleemosyna persolvitur, celebrari, quam ad populi commodum. Quapropter quaestio huc rediit ; an nempe, attentis necessitate absoluta duarum Missarum in Paroecia, de qua agitur, angustia Sacelli in quo secunda Missa celebratur et gravi populi incmmodo, nec non impossibilitate inveniendi alium sacerdotem, implorata licentia parocho oratori concedi liceat : quae quaestio persolvenda relinquitur sapientissimo Vestri Sacri Consessus iudicio ; significans eodem tempore mihi precibus oratoris esse favendum, cum censeam secundae Missae celebrationem in ecclesia parochiali esse necessariam. »

Disceptatio Synoptica.

Porro ex his ab Episcopo relatis prono a lveo sequi vide tur, nullatenus dubitandum esse, quin ipsius votum excipiatur. Enimvero lex ipsa sacri iterationem vetans, exceptionem expresse statuit pro necessitatis causa. *Cap. Consuluisti tit. 41 lib. 3 Decret.* Quaenam autem debeat esse huiusmodi necessitas, tradit Lucidi *de Visit. SS. LL. vol.* **i** *pag. 438* - ibi - « Id vero intercedit, cum unus parochus duabus paroeciis praeest, vel duos populos valde seiunctos regit, *vel parochiani eadem hora ad missam audiendam una simul convenire nequeunt, et alioquin alius sacerdos inveniri nequit.* » Atqui Episcopus testatur, nedum necessariam esse in ecclesia parochiali secundam Missam, quia angustia templi et populi frequentia non sinit ut fideles una simul ad sacrum

audiendum conveniant ; verum etiam aliud haud inveniri sacerdotem, qui memoratam secundam Missam celebret.

Difficultas vero, quae ex eo desumitur, quod in sacello iurispatronatus comitum Montevecchio sacrum diebus festis utatur, nullatenus infirmât allegatam necessitatis causam, cum et angustum valde perhibeatur ipsum sacellum, et quoad horam, qua idem sacrum utatur, patroni potius Missae eleemosynam persolventis, quam fidelium commoditati prospiciatur. Nullo proinde in pretio habenda esset praefata difficultas, prouti ceteroquin in similibus imo et durioribus exemplis S. C. C. retinuit. Inter plures casus, quos recolere possem, memorare sufficiat novissimam Barchinonen. *facultatis binandi* mensis Iulii nuper elapsi, in qua indultum iterandi sacrum concessum fuit, licet quatuor oratoria publica in parochia essent, in quibus celebraretur Missa.

Verumtamen EE. VV. erit pro data Vobis sapientia decernere, utrum, attentis aliis circumstantiis, idipsum in casu expediat, quin prius alia excogitentur remedia ac experiantur.

Quibus adnotatis quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra O. C. re cognita sub die 27 Augusti, censuit respondere. *Pro gratia, durantibus circumstantiis, arbitrio et conscientiae Episcopi.*

LINGONEN.

CIRCA APPLICATIONEM SECUNDAE MISSAE

Die 27 Augusti 1892.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Paucis abhinc diebus, Episcopus Lingonensis infrascriptas Sacratissimo Principi transmisit preces, quas deinde suas fecit, eadem et ipse implorans *ob perspeetam exiguitatem facultatum oratoris.* Sequentis autem tenoris est praefatus supplex libellus :

« Franciscus Xaverius Cultot parochus loci vulgo dicti Bourmont, dioecesis Lingonensis, quum ob provectiorem aetatem et infirmam prorsus valetudinem celebrare Missam impediretur, applicationem Missae pro populo commisit vicario, qui facultatem habens bis celebrandi diebus Dominicis et festis, unam Missam pro populo absque stipendio, alteram vero cum stipendio ad intentionem dantis celebraret.

« Quod stipendium an recipi potuerit nunc dubitans memoratus parochus, supplex adest pro obtinenda sanatione quoad praeteritum, et ne veniat in necessitatem stipendiandi in futurum Missas pro populo, pro impetranda facultate qua vicarius valeat, una Missa celebrata pro populo, alteram cum stipendio celebrare, donec ipse parochus impar celebrandi permanserit. »

Disceptatio Synoptica.

Porro dubium, a quo causam repetunt preces, omni fundamento destitutum videtur. Sedulo enim distinguendum praeprimis est inter applicationem Missae binationis, seu secundae Missae, et perceptionem eleemosynae seu stipendii eiusdem Missae. Hoc postremum omnino vetitum esse docent quamplurimae S. C. C. declarationes, inter quas memorare sufficiat *Ventimilien. 19 Decembris 1835* et *Cameracen, diei 25 Septembris 1858,* quin opera insumatur in rationibus assignandis huius saluberrimae dispositionis. Sed quoad primum, quoad applicationem nempe fructus specialis Missae, nullum rationabile dubium apparet, cur sacerdos non possit vel non debeat memoratum missae fructum applicare, cum super applicationis puncto eadem ratio habeatur ac quoad primam Missam, quae certe applicari debet, licet nemini promissa fuerit, veluti passim tradunt theologi, inter quos Gury *in tract, de Eucharist. n. 354, princ. III* - ibi « Quamvis sacerdos nemini Missam promiserit, aliquam applicationem fructus specialis facere debet. Ratio est, 1. quia in sua ordinatione accepit ex Christi.....institutione potestatem Sacrificium conficiendi, et consequenter eius fructum applicandi ;

remaneret autem inutilis illa potestas, si sacerdos ea non uteretur. . . »

Iamvero si sacerdos, binandi facultate donatus, potest et debet etiam secundam Missam applicare, facili negotio evincitur, ipsum sacerdotem, dummodo nullam prorsus eleemosynam pro eiusdem applicatione percipiat, non teneri gratis facere huiusmodi applicationem, sed posse cum ipsa alteri obligationi satisfacere. Quod non teneatur gratis applicare secundam Missam, aperte constat ex *cit. Cameracen*, in qua tertio dubio : « An vicarii et alii sacerdotes curam animarum non habentes, si quando, ex facultate, bis in die celebrant in paroecia, hospitalibus etc., gratis debeant applicare? » S. C C. respondit : « negative, firma semper prohibitione recipiendi eleemosynam pro secunda Missa ; » eamdemque responsionem ibidem dedit alteri duho his verbis proposito: « An parochus qui in eadem paroecia, ex facultate bis eadem die celebrat, utramque Missam gratis applicare debeat. »

Quod insuper alteri obligationi satisfacere valeat idem sacerdos cum applicatione secundae Missae, ex resolutionibus huiusmet S. C. pariter constat. Ita enimvero in Treviren. *circa applicationem secundae Missae* per summaria precum proposita *die 6 Augusti 1881* datum fuit responsum LICERE sequentibus Episcopi precibus : « In mea, i. e. Trevirensi dioecesi et in adiacenti Luxemburgensi existit Sodalitas quaedam religiosa sacerdotum et laicorum, quae dicitur *Pactum Marianum*. Sodales huius pacti obligantur pro requie cuiuslibet defuncti sodalis, quamprimum post obitum eiusdem, unum sacrum celebrare vel curare ut celebretur. Quamplurimi sacerdotes curati meae dioecesis huic Pacto adscripti sunt, inter quos non pauci, qui in suis parochiis ob necessitatem moralem iuxta auctoritatem Apostolicam in diebus dominicis et festivis *bina tu* celebrant Missam. . . . et magnopere optant, ut ipsis liceat in diebus dominicis et festivis, in quibus unam Missam pro populo ex officio applicant, aut, qui non sunt parochi, applicando speciali aliae obligationi satisfaciunt, alteram Missam pro defuncto quodam ex Pacto, cui adscripti

sunt, applicare. Quod cum nonnisi ex indulto apostolico ipsis licere videatur, . . . humillime Sanctitatem Tuam ut indultum hoc concedere gratiosissime dignetur, rogo. » Item Episcopo Nanceyen. et Tullen, similia exponenti, et quaerenti : *an Missa binationis offerri possit pro defunctis confratribus?* sub die 14 Septembris 1878 responsum pariter datum fuit : *Licere.* Demum *in Vivarien. diei 5 Martii 1887 circa applic. secundae Missae,* disceptato dubio : *an sacerdos qui ex statutis sodalitatis, cui nomen dedit, tenetur Missam celebrare pro sodali defuncto, possit ad satisfaciendum huic oneri, secundam Missam in die binationis applicare in casu;* responsum prodiit : *affirmative* (1).

Ex quibus omnibus iure inferri posse videtur, sacerdotem in precibus enunciatum, liberum esse applicandi secundam Missam ad effectum relevandi parochum ab onere Missae pro populo, dummodo exclusa semper maneat perceptio cuiuscumque eleemosynae. Verumtamen si superius relata ad praesentem casum haud transferenda censerent EE. VV., causas non deesse puto, quae expetitae gratiae concessionem suadere possent, cum pauper sit parochus, et ob devexam aetatem ac infirmam prorsus valetudinem a Missae celebratione impediatur.

Altera sed vero ex parte observari fortasse posset exempla relata agere de satisfactione obligationis ex charitate susceptae, dum in casu agitur de Missa quae pro populo a parocho applicanda esset ex iustitia et quidem ratione temporalis remunerationis seu beneficii. Unde sacerdos in themate nullum quidem temporale emolumentum per se perciperet, sed hoc a parocho lucrari ipse faceret. Id autem si parumper admitteretur, facile exinde quis inferre posset quod praefatus sacerdos non sibi sed aliis lucrari valeat eleemosynam secundae Missae : quod plane absonum videtur, et fraudem redolens contra legem prohibentem memoratae eleemosynae perceptionem.

(1) Relata fixit Vol. XX, 35.

Quibus adnotatis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 27 Augusti 1892 censuit respondere : *Attentis peculiaribus circumstantiis, durante parochi impotentia, et sub conditione ut Vicarius nullum percipere valeat emolumentum Missae pro populo, pro gratia facto verbo cum SS*" o.*

EX QUIBUS COLLIGES. Tantum ex gratia et attenta parochi paupertate, indultum fuisse ad tempus, ut Vicarius per applicationem unius missae faceret satis oneri, quod ex iustitia parochus habet applicandi missam pro populo ; et pro secundae Missae applicatione eleemosynam accipere valeret Vicarius in themate.

EX S. CONGREG. INDULGENTIARUM

ENGOLISMENSIS. De peculiari quodam modo emittendi consensum ab Ordinariis in erigendis et aggregandi Confraternitatibus - de speciali quodam modo adhibito a Moderatoribus Archiconfraternitatum in aggregationibus, et a Superiorum Ord. religiosorum in erectionibus Confraternitatum - de facultate nominandi Rectores sodalitatum, Congregationum etc. - de modo recipiendi sodales in Confraternitates, Congregationes etc.

Sacrae Indulgentiarum Congregationi sequentia dubia dirimenda sunt proposita.

I. In erigendis seu instituendis Confraternitatibus atque Indulgentiis iisdem communicandis, item in Confraternitatibus aggregantis Clemens Pp. VIII Constitutione « *Quaecumque* » plura praescripsit sub poena nullitatis, quorum observantiam saltem in substantialibus Pius Pp. IX Decr. 8 Ian. 1861 denuo constituit. Inter quae reperitur: Quod Confraternitatis aggregatio seu institutio *fiat de consensu... Ordinarii et eum litteris testimonialibus eiusdem.* Et formulae a Pio Pp. IX traditae diserte aiunt; *Confraternitatem... de consensu loci Ordinarii, qui eiusdem Confraternitatis institutum pietatem ac religionem litteris, petentibus Nobis, nuper exhibitis commendavit...* per praesentes erigimus,., itemque Confraternitatem.... *attentis Episcopi seu Or-*

dinarii loci consensu et litteris testimonialibus, quibus eius institutum, pietas ac religio commendatur nostrae Archiconfraternitati adiungimus et aggregamus.

Hinc quaeritur.

a) An dicta conditio sufficienter impleatur quum Ordinarius loci litteras testimoniales in antecessum non dat, sed tantum in diplomate erectionis vel aggregationis sibi transmisso his verbis subscribit, vel etiam aequivalentibus « *Vidimus et consensimus* » seu *Vidimus et executioni dari permisimus?*

b) An saltem sufficiat Ordinarium suam subscriptionem apponere quum in diplomate erectionis ipsi transmisso a Superiore Ordinis non leguntur verba: *erigimus, vel: facultatem concedimus erigendi,* et dicta subscriptio actualem erectionem praecedit?

II. Cum saepe longe distet Archiconfraternitatis Moderator seu Superior Ordinis Religiosi, factum est ut plerumque formula ab eis subscripta et sygillo munita in Cancellaria Episcopatuum vel in aliqua Ordinis domo in antecessum deponatur, quibus suo tempore depositarius utitur ad erectionem vel aggregationem, nomen* Rectoris datamque in formula apponens.

Quaeritur igitur :

An erectio vel aggregatio hoc modo peracta uti valida sit retinenda ?

III. Decreto Urbis et Orbis diei 8 Ian. 1861 facta est Ordinariis potestas Parochos pro tempore in Rectores, Moderatores etc. Confraternitatis nominandi: hinc quaeritur:

An ex eodem Decreto potuerint Ordinarii nominare non solum Parochos sed etiam Eleemosynarius, Capellanos Comunitatum vel piorum Locorum quoad Confraternitates in Ecclesiis ipsis concreditis independenter a Parocho, uti communiter fit in Gallus, vel etiam Vicarios tum ob nimias Parochi occupationes tum aliis de causis?

IV. In multis Confraternitatibus, Congregationibus seu Associationibus, v. g. in iis quae a Prima Primaria dependent, usu receptum est, ut in Congregationes, Confraternitates piasque associationes admitti cupientes desiderium suum Consilio et Directori Congregationis prius aperiant, qui si, deliberatione adhibita, annuant petitioni, dies statuitur quo postulantes solemni ritu et forma recipiantur. Eo die omnes conveniunt in Sodalitatis Ecclesiam, concio habetur, postulantes, formulam consecrationis B. M. V. alta voce emittunt: dein Rector manu extensa haec

vel similia profert: *Ego auctoritate mihi concessa recipio vos in Congregationem participesque facio Indulgentiarum et privilegiorum* etc.

Iamvero ad maiorem istiusmodi receptionis solemnitatem saepe saepius a Rectore invitatur sacerdos extraneus qui concionem habet, Caeremoniae praeest, numismata, rosaría, scapularia aliaque signa, quae sunt Sodalibus tradenda, benedicit imo et profert verba superius relata. Plerique ex Congregationum Rectoribus id fieri posse pro certo habent, sive quia dictam caeremoniam ut essentialem non habent, sed solam inscriptionem in albo sufficere putant; sive quia persuasum habent facultatem sodales recipiendi posse subdelegari: hinc quaeritur.

a) An istiusmodi ritus sit habendus ut essentialis?

Et quatenus negative

b) An Moderator Associationis munus admissionem eo modo peragendi alteri sacerdoti committere possit?

c) An id possit eo saltem in casu quo associationis Statuta, approbante Ordinario, hanc ei facultatem expresse assererent.

Porro S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita relatis dubiis, audito unius ex Consultoribus voto, respondendum censuit:

Ad I. Ad 1. partem — *Negative;*

Ad 2. partem — *Non sufficere.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative.*

Ad IV. Ad 1. partem — Quoad actum receptionis in sodalitatem et benedictionis Scapularium, Rosariorum, etc. *Affirmative:* quoad ceteras caeremonias: *Negative.*

Ad 2. partem — *Affirmative* si habeat potestatem subdelegandi; secus *negative.*

Ad 3. partem — *Affirmative.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 3 Decembris 1892.

FR. ALOISIUS CARD. SEPIACCI, PRAEF.

L. * S.

f ALEXANDER Archiep. Nicopolit., *Secret.*

CAPUANA. De parvi officit B. Mariae Virginis recitatione, et abstinentia a carnibus praescripta Sodalibus Confraternitatis eiusdem B. Mariae Virginis a Monte Carmelo, qui privilegio frui volunt *Sabbatino* **nuncupato.**

Huic Sacrae Indulgentiarum Congregationi sequentia dubia dirimenda proponuntur.

I. Fideles recepti in Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo, qui frui cupiunt privilegio Sabbatino, si legere bene sciunt, possuntne *a)* proprio arbitrio eligere inter recitationem quotidianam parvi officii et abstinentiam a carnibus quaque feria IV, una cum strictiori observantia ieiuniorum et vigiliarum ab Ecclesia praescriptarum, an potius *b)* tenentur exclusive ad praedictam officii recitationem?

II. An haec a carnibus abstinentia quaque feria IV praescripta iis qui praefato privilegio frui volunt excludat etiam usum ovorum et lacticiniorum ?

III. Qui hanc abstinentiam ad praedictum finem observant, possuntne uti indulto Bullae Cruciatae, ita ut liceat ipsis mitigare iuxta hoc indultum rigorem abstinentiae vel in quaque feria IV, vel in vigiliis aliisque diebus prohibitis, quin amittant ius ad privilegium sabbatinum?

IV. Possuntne iidem, quin praefatum privilegium amittant, uti indulto seu dispensatione, quae tempore Quadragesimae concedi solet, ad carnes concedendas?

Quibus dubiis S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita respondendum censuit.

Ad I. Ad primam partem, *negative.*

Ad secundam, *affirmative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV. *Negative.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 3 Decembris 1892.

FR. ALOISIUS CARD. SEPIACCI PRAEF.

L. * S.

f ALEXANDER Archiep. Nicopolit. *Secret.*

INDULGENTIA quinquaginta dierum conceditur recitantibus preces: *Retribuere dignare Domine etc.*

Brno Padre

Il Cardinale Aloisi-Masella umilmente prostrato al trono della S. V. supplica affinchè si degni concedere una qualche Indulgenza a tutti i fedeli i quali reciteranno per i loro Benefattori la seguente Orazione. *Retribuere, dignare Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum, vitam aeternam. Amen.*

Che della grazia

Beatissime Pater

Emus D. Cardinalis Aloisi-Masella, humiliter provolutus ad solium S. V. exorat ut concedere dignetur aliquam Indulgentiam fidelibus cunctis, qui suorum benefactorum favore, sequentes recitabunt preces: *Retribuere dignare Domine, omnibus nobis bona. facientibus, propter nomen tuum, vitam aeternam. Amen.*

SSmus Dnus Noster Leo Pp. XIII, in Audientia habita die 17 Decembris 1892 ab infrascripto Secretario Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui corde saltem contrito ac devote praefatam orationem recitaverint, Indulgentiam *quinquaginta dierum* defunctis quoque applicabilem benigne concessit bis tantum in die lucrandam. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 17 Decembris 1892.

FR. ALOISIUS CARD. SEPIACCI, Praef.

L.* S.

f A. Archiep. Nicopolit. *Secretarius.*

EX S. RITUUM CONGREGATIONE

NEAPOLITANA. Decretum Beatificationis et Canonizationis Ven. Servae Dei Mariae Laurentiae Longo, Nosocomii incurabilium Neapolis et Monialium Capuccinarum fundatricis.

Eximia sanctitatis fama, quam Dei famula Maria Laurentia Longo Monialium Capuccinarum fundatrix sibi adhuc vivens adepta est, praesertim ferventissimae exercitio caritatis qua cuncta sua bona ex propriae fortunae opulentia obtenta in egenorum subsidium, ad infirmorum levamen et errantium salutem convertit, post eius obitum, qui Neapoli accidit anno 1542, longe lateque diffusa est, atque ad haec usque tempora adeo perseveravit, ut ad Ordinariam Inquisitionem super eadem sanctitatis fama, nec non virtutum et miraculorum in Curia ecclesiastica neapolitana tandem deventum sit. Qua rite expleta et ad Sacram Rituum Congregationem delata, Sanctissimus Dominus Noster Leo Papa XIII indulsit ut dubium de signatura commissionis introductionis Causae eiusdem famulae Dei agi posset in ordinariis ipsius Sacrae Congregationis Comitiis absque interventu et voto Consultorum. Hinc a me infrascripto Cardinali Sacrae eidem Congregationi praefecto, huiusce Causae ponente seu Relatore, instante Rev. Patre Fr. Mauro a Leonissa Sacerdote Professo ac Postulatore Generali Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum, attentisque postulatoriis Litteris Emorum ac Reverendissimorum Archiepiscoporum Neapolitani ac Beneventani, nec non plurium Sacrorum Antistitum, aliorumque virorum tam ecclesiastica quam civili dignitate illustrium, in Ordinario Sacrae Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens dubium discutiendum propositum est, nimirum : *« An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur ? »* Et Sacra eadem Congregatio, omnibus mature perpensis, et audito voce ac scripto R. P. D. Augustino Capram Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit : *Affirmative., seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit,* die 30 Augusti 1892.

Quibus omnibus SSmo Domino Nostro Leoni Papae XIII per meipsum infrascriptum Cardinalem relatis, Sanctitas Sua

rescriptum Sacrae Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae Ven. Servae De¿ Mariae Laurentiae Longo praedictae die 4 Septembris anno eodem.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. D. *Praefectus.*

L. S S.

VINCENTIUS NUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

BLESEN. seu BR10CEN. Decretum Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Caroli De Blesis, Ducis Britanniae, Beati nuncupati.

Nondum elapsum fuerat Decennium ab obitu praedicti Venerabilis Servi Dei Caroli De Rlesis, Ducis Britanniae, iamque eius fama Sanctitatis, virtutum et miraculorum adeo percrebuerat apud Fideles, ut passim Beatus et Sanctus appellaretur. Quamvis autem huiusmodi cultus a fe. re. Urbano Papa V non approbaretur, utpote qui iudicium Apostolicae Sedis antevertebat : idem tamen Pontifex et huius Successor Gregorius XI per Apostolicas Litteras mandarunt, ut Processus super fama Sanctitatis, virtutum et miraculorum praedicti Ven. Servi Dei conficeretur quo ad solemnem eius Beatificationem deveniri posset. Quum vero eiusmodi Causa tum ex temporum iniuria, tum ex rerum publicarum vicissitudine usque in praesentiarum conticuerit; hodiernus Rmus Episcopus Biesen, plurium Emorum et Rmorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium ac Sacrorum Antistitum, nec non totius Britanniae et Galliae Fidelium votis obsecundare cupiens, a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII humillime expetivit, ut in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis sequens Dubium discutiendum proponeretur, nimirum : « *An sit signanda Commissio Reassumptionis Causae praefati Ven. Famuli Dei in statu et terminis, in quibus modo Causa ipsa reperitur, in casu et ad effectum de quo agitur ?* » Quod dubium quum a me infrascripto Cardinali S. R. C. Praefecto, huiusce Causae Ponente seu Relatore, in Ordinario Sacrae ipsius Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato propositum fuisset ; Sacra eadem Congregatio, omnibus mature perpensis, et audito R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit : *Affirmative,*

seu signandam esse Commissionem si SSnio placuerit. Die 30 Augusti 1892.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII per meipsum infrascriptum Cardinalem relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habens, propria manu signare dignata est Commissionem Reassumptionis Causae Ven. Caroli de Blesis praedicti in statu et terminis, in quibus Causa ipsa modo reperitur. Die 4 Septembris anno eodem.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C *Praefectus.*

L. * S.

VINCENTIUS NUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

PISANA. Decretum confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestito servo Dei Agnello a Pisis ordinis minorum s. Francisci beato nuncupato.

Inter primos Seraphici Patris asseclas et discipulos eminet Agnellus a Pisis, nobilibus natalibus clarus sed sanctitate vitae et virtutibus longe clarior. Ipse sub ipsius Sancti Francisci disciplina ac magisterio adeo in viam perfectionis profecit, ut primum Lutetiam Parisiorum deinde in Angliam ab eodem Sancto Institutore missus, omnibus Ordinis Seraphici alumnis in exemplum mirifice praeluxerit. Quare vix ad caelum evolavit factum est, ut quem vivum homines uti Sanctum venerabantur, demortuum Caelituum honoribus colerent.

Hinc fidelium devotio erga Beatum Agnellum inde ab eius glorioso obitu exorta, non modo ante impios Henrici VIII Angliae Regis ausus, sed etiam post tot tantasque rerum humanarum vicissitudines usque in praesentiarum, potissimum Pisis et penes Ordinem Minorum S. Francisci perseveravit. Eapropter, instante Rmo Dno Archiepiscopo Pisano, una cum Rmo Ministro Generali ipsius Ordinis Minorum, quum a me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, Causae Ponente seu Relatore, in Ordinariis Sacrae ipsius Congregationis Comitiis, subsignata die ad Vaticanum coadunatis, sequens Dubium discutiendum propositum fuerit, nimirum : « *An sententia praedicti Rmi Archiepiscopi Pisani super Cultu ab immemorabili tempore praestito Servo Dei Agnello a Pisis, seu super casu excepto a Decretis f r. Urbani Papae VIII,*

sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur ? » Emi *et* Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, et audito voce et scripto R. P. D. Augustino Capram Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt : *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam.* Die 30 Augusti 1892.

Facta postmodum de iis a meipso subscripto Cardinali Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit die 4 Septembris anno eodem.

C. CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C *Praefectus.*

L. S.

VINCENTIUS NUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

EX S. CONGR. R. U. INQUISITIONIS

Die 18 Ianuarii 1893.

Occasione qua ex Orbe catholico multi fideles Romani petunt causa iubilaei episcopalis Leonis Papae XIII, quaesitum est ab Apostolica Sede:

I. Ut peregrini, itinere perdurante, eximantur a lege ieiunii et abstinentiae.

II. Ut eisdem, lempore quo Romae degunt, liceat uti, quoad abstinentiam, legibus et indultis propriis suae cuiuslibet nationis.

Feria IV. Die 18 Ianuarii 1893. SSmus D. N. Leo Div. Prov. Papa XIII per facultates Emo ac Rmo D. Cardinali Supremae Univers, Inquis. Secretario impertitas, RR. DD. Consultorum S. Officii voto, benigne annuit, pro gratia in omnibus, iuxta preces, contrariis non obstantibus quibuscumque.

I. MANCINI S. R. U. I. *Notarius.*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

Feria V, die 26 Ianuarii 1893.

Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 14 Iulii 1892, mandavit et mandat, proseripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera:

Graf Arturo. — *Miti, Leggende e Superstizioni del Medio Evo.* Vol. I. *Il mito del Paradiso terrestre. — Il Riposo dei dannati. — La Credenza nella fatalità.* — Torino, Ermanno Loescher, 1892.

Storia della prostituzione desunta dalle opere di Parent, Duchatelet, Dufour, Lacroix, Rabuteaux, Lecour, Taxil, Flaix ed altri celebri autori. — Casa Editrice-Tipografica Edoardo Pernio, Roma.

Conte Goblet d'Alviella. — *L'idée de Dieu d'après l'Antropologie et VHistoire.* Conférences faites en Angleterre sur Pinvitation des administrateurs de la Fondation Hibbert. — Paris-Bruxelles, 1892.

Morando Giuseppe. — *Ottimismo e Pessimismo.* — Milano, Ti. pografìa Lodovico Felice Cagliati, Via Pantano n. 26, 1890. *Decreto S. Off. Feria IV die 16 Nov. 1892. (Auctor laudabiliter se subiecit, et Opus reprobava).*

1 nomi eucaristici. Schizzi di meditazioni. — Milano, L. F. Cagliati Editore, Via Pantano n. 26, 1892. *Eod. Decreto. (Auctor laudabiliter se subiecit, et Opus reprobavit).*

Datum Romae die 30 Ianuarii 1893.

CAPILLUS Card. MAZZELLA Praefectus

Loco h& Sigilli

FR. HYACINTHUS FRATI O. P. *a Secretis.*

APPENDIX III.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT, AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

Ex Instr. S. C. de Prop. Fide — 13 Februarii 1806. — (ad Vic. Ap. Tunk. Orient.)
Communio fieri potest etiam praegustato sale in collatione baptismi.

Sale a catechumenis in collatione Baptismi praegustato, etsi ieiunium frangi videatur, adhuc tamen nullum dubium est quin ad sacram Communionem, suscepto Baptismate, admitti possint, imo vero debeant: ita omnino Ecclesia, in cuius potestate est a generali lege ieiunii eucharistici, ab ipsamet iis inducta qui extra mortis periculum sacram Communionem recipere cupiunt in peculiaribus casibus dispensare, in Rituali Romano praescribente, ubi ritum tradit quo Baptismus adultis conferendus est.

S. C. de Propaganda Fide. — C. P. Augusti 1840.
Dubium quoad confirmationis sacramentum.

Dum quidam missionarius (Indulto Apostolico confirmandi munitus) in eo erat ut Confirmationis Sacramentum pluribus christianis administraret, territus est a gentilibus in atrio adstantibus. Omissa proinde prima manuum impositione, lectaque q>raepropere oratione ***Omnipotens*** usque ad verba ***de coelis,*** et neglecta commemoratione septem donorum, protulit formam : ***Signo te,*** etc. Quaeritur an, attenta Enc. Benedicti XIV. ***Ex quo primum,*** et scandalo quod oriretur si sub conditione illi christiani iterum confirmarentur, tuta conscientia possint relinqui in bona fide?

R. Non esse repetendam Confirmationem sub conditione.

S. C. de Prop. Fide. — C. P. pro Sin. 12 Septembris 1821. — Vic. Ap. Sutchuen.
Dubium quoad facultates Provicarii, sede vacante.

Utrum Provicarius Apostolicus, sede vacante, ratione muneris Provicarii, facultatem habeat :

1. Conferendi Sacramentum Confirmationis.

2. Delegandi missionarios, ut possint idem Sacramentum conferre \

Et quatenus negative :

3. An huiusmodi Sacramentum debeat iterari his qui a missionariis, sola Provicarii licentia fultis, illud susceperunt. — Et 4. Supplicandum SSmo ut memoratam facultatem ei concedere dignetur.

R. Ad primam et secundam partem dubii : negative. — Ad tertiam: referetur, remoto scandalo. — Ad quartam : supplicandum SSmo pro petita facultate, tantummodo sede vacante.

S. C. de Prop. Fide 1819. — Vic. Ap. Siamen.
Dubium quoad vinum ex vite silvestri.

Sunt in Siamo vites sylvestres ; uvae sunt mirae magnitudinis (vix credidissem nisi oculis propriis vidissem) ; potest unus racemus dare ad minus, decem sagenas vini. Reperiuntur in una stipe viginti, triginta et amplius racemi. Primo tempore, quo in Siamum perveneram, venerunt ad me duo iuvenes super humeros portantes duos istiusmodi racemos; cum multum expressissem, confeci undecim sagenas vini; residuum proieci. Non multum quidem confidebam tali experientiae. Post octo et decem annos, volens gustare de ultima sagena, inveni colorem, odorem et saporem bonum ; cum autem defunctus Episcopus noster diceret non esse vites veras, non poteram mordicus contradicere, licet assentiri ipsi non possem. Solam quam invenio differentiam, haec est, quod scilicet grana seu semina uvarum siamensium sunt multo maiora, et alterius formae quam europaearum ; sunt eiusdem figurae et formae, eiusdem magnitudinis, ac grana caffaei ; fermentato fit optime per plures dies. Miserunt ad me, hoc anno, viginti sagenas sumpsi partim propter stomachum et frequentes infirmitates meas, partim dedi libere aliis infirmis, et profuit nobis. Quia vero non maturescunt propter defectum solis, debet immisceri saccharum, quod forte etiam necessarium est ad diutius conservandum. Inveniuntur tamen quibusdam in locis, quae ex se sunt dulces. Enixe peto decisionem, utrum tali vino possimus uti in celebratione Missae.

R. Ex hactenus deductis, non constare, liquorem de quo agitur esse verum vinum; ideoque non licere eo uti in sacrificio Missae, donec aliter fuerit iudicatum.

S. C. de Prop. Fide • C. P. pro Sin. 31 Aug. 1834 Vic. Ap. Coreae.
Dubium quoad ceram in celebratione Missae.

Potero ne uti in celebratione Missae cera ex quadam arbore fluente? Cera huius speciei satis similis est cerae communi ; facile invenitur,

et vilis est pretii, dum cera ex favo mellis extracta, ex remotissimis provinciis affertur, et nonnisi cum maximis expensis comparari possit.

R. Supplicandnm SSmo pro gratia a Vic. Ap. petita ut, durantibus circumstantiis, ille possit pro suo arbitrio et conscientia permittere in Missae sacrificio usum cerae ex quadam arborum specie fluentis. — SSmus etc., perpensis expositis, benigne annuit pro gratia.

S. C. S. Officii 25 Aug. 1880. - Sacerdotes conferentes confirmationis sacramentum.

Cum in his regionibus (TGHELY SEPTENTR. OGGID. ORIENT. MANDCHOURIAE, MONGOLIAE) sacerdotes delegati ad conferendum Sacramentum Confirmationis ordinarie nonnisi privatim infantibus et adultis moribundis hoc Sacramentum conferant coram paucis et eisdem personis iam antea monitis, vel optime scientibus ministrum ordinarium Confirmationis esse Episcopum, et hinc praedicta admonitio in casu videatur suo fine praecipuo carere, cum ab altera parte satis molesta sit; petitur ut obligatio admonendi singulis vicibus imponatur solummodo quando sacerdos solemniter confert hoc Sacramentum (quod est et erit omnino rarum) ; pro privata autem administratione sufficiat christianos aliquoties in commune debite instruere de ordinario et extraordinario Confirmationis ministro, legendo v. g. testimonium scriptum delegationis una vice quolibet anno in singulis christianitatibus.

R. Iuxta petita.

S. C. S. Officii 14 Ianuar. 1885. Patriarcha Ierosolymit.
Dubium de validitate confirmationis.

In hoc Patriarchatu latino semper validum habitum fuit Sacramentum Confirmationis collatum a sacerdotibus schismaticis Palestinae infantibus immediate post Baptismum ; et ideo sic confirmati, si ad catholicam fidem convertuntur, non amplius confirmantur. Nunc aliquando evenit, ut infantes quorum pater catholicus est et mater schisrnatica, postquam baptizati fuerint ritu latino, clanculum a matre ad sacerdotem schismaticum afferantur, a quo rebaptizantur et confirmantur. Insuper etiam aliquando evenit ut parentes neo catholici, quorum filii a sacerdote ritus latini baptizati fuerant, ad schisma revertantur, in eoque denuo baptizandos filios ad sacerdotem schismaticum cum offerant qui eos rebaptizat et confirmat, postea vero poenitentes iterum cum filiis suis sic rebaptizatis et confirmatis ad fidem catholicam convertantur. Quaeritur igitur utrum Sacramentum Confirmationis sic collatum infantibus immediate post sacrilegam eorum rebaptizationem sit validum.

R. Non expedire ut confirmati de quibus in casu, iterum ab Episcopo inungantur, nisi ad Tonsuram et Ordines promovendi sint, vel ipsi aut eorum parentes id petant, ac nisi, facta inquisitione circa modum collationis Confirmationis, reperiatur pennicillum adhibitum fuisse, quibus in casibus Confirmationis Sacramentum secreto conferatur et sub conditione.

S. C. S. Officii IO April. 1861 Vic. Ap. Tchely Herid.-Orient
Dubium de conferenda confirmatione neophytis.

Utrum danda sit Confirmatio illis neophytis qui, in articulo mortis baptizati, omnino rudes sunt, et, vi morbi defatigati, instrui nequeunt?

R. Non conferendum Sacramentum Confirmationis illis neophitis moribundis, quos missionarius capaces Baptismi credidit, nisi saltem habeant aliquam intentionem percipiendi Confirmationem ad robur animae adiiciendum.

S. C. S. Officii II Decembr. 1850. — Vic. Apost. Sandwic
Dubia quoad patrinos etc. utendos in confirmationis collatione.

1. Jusqu'à présent nous n'avons point donné des parrains, ou si quelque fois nous en avons donné, nous n'avons point observé la rubrique : *Adulti vero seu alii maiores ponant pedem suum super pedem dexterum patrini sui.*

2. Nous ne faisons point usage de bandelette. 11 serait très difficile, pour ne pas dire impossible de s'en procurer. Nous contentons d'essuyer le front avec un linge ou avec du colon.

3. Nous avons soin que les adultes se confessent avant de recevoir cet auguste Sacrement.

R. Ad i. Dandos in Confirmatione patrinos et observandas Romani Pontificalis rubricas, quae neque variandae neque omittendae sunt, nisi ob causam gravem ; et ad mentem :

Mens est ut loco pedis ponant patrini manum dexteram super dexterum humerum confirmandi.

2. Si, ut dicitur, vittae comparari difficillime possunt, tolerandam praxim de qua hic agitur.

3. Hanc praxim esse apprime conformem praxi imperatae §. 4. Romani Pontificalis *Be Confirmatione* ideoque laudandam.

S. C. S. Officii 12 Febr. 1851. — Vic. Ap. Coreae.
Dubium de baculo et mitra adhibenda in confirmationis administratione.

Tuguria Goreanorum sunt parva valde, et tam parum alta, ut homo in iis vix stare possit: usque modo saepissime non potui administrare Sacramenta cum baculo et mitra. Hoc licitum sit mihi in posterum absque scrupulo.

R. Adstante causa, posse privatim confirmare absque mitra et baculo pastorali, adhibita stola.

S. C. S. Officii 22 Iulii 1706. — Mission. /Ethiopiae
Dubium quoad vinum utendum in celebratione Missae.

Utrum liceat celebrare cum vino facto ex uvis passis?

R. Licere dummodo liquor ex colore et gusto dignoscatur esse verum vinum.

S. C. S. Officii 25 Iunii 1852 — Vic. Apost. Coimbaturen.
Dubium quoad farinam pro pane eucharistico.

In hac regione difficillimum est conficere panes eucharisticus farina proprie dicta; unde consuetudo orta est (exceptis forsitan locis in quibus facile haberi potest farina ex Europa) panem conficiendi ex granis contritis et per aliquas horas in aqua infusis, non tamen usque ad corruptionem. Quae grana manibus comprimunt et, ex materia alba adveniente, panes conficiunt ferro calido, modo in Europa consueto. Aliquod habeo scrupulum de tali confectione. Nam 1. si panem confidentes maximam attentionem non adhibeant, triticum relinquere possunt in aqua usque ad corruptionem, saltem inceptam. 2. Tota substantia tritici non mihi videtur in tali pane contineri 3. Talis materia mihi videtur appropinquare amidum, ex quo practice panis eucharisticus confici non debet. Aliunde de farina ex Europa adveniente valde dubitandum est utrum pura sit vel non, cum omnibus notum sit mercatores mixturas innumerabiles facere. Unde humiliter quaero :

1. Utrum licita sit supradicta confectio panis pro Missa?

2. Si non liceat, quid debeam facere, presertim cum illa consuetudo vigeat in diversis partibus Indiae.

R. Affirmative ; curet tamen, si fieri possit, Yic. Ap. ut frumentum ex quo panis eucharisticus conficitur, non contundatur solummodo, sed apto instrumento in farinam redigatur, quae deinde cribro exacte purgetur, et panis ex eadem conficiatur, modo in Europa usitato. — SSmus D. N. Pius d. p. PP. IX. resolutionem Emorum approbavit.

S. C. S. Officii 9 Maii 1821 — Mission. Kentucky.
Dubium quoad administrationem viatici morbo correptis.

Qui consuetudinarii sunt, recidivi, salutis incurii, Sacramenta per annos relinquentes etc. morbo correpti sacerdotem advocant, datis signis quibusdam infirmis quidem et valide suspectis ; quae Sacramenta ipsis ministrari absolute debent, supposito mortis periculo? quae negari? Quid si talis infirmus necdum primam Communionem fecerit?

R. Consulat (missionarius) probatos auctores. Meminerit tamen in mortis articulo quemlibet fidelium, qui signa dat resipiscentiae, a quolibet sacerdote absolvi de quibusvis peccatis et censuris posse, et neminem tunc repelli a participatione Sacramentorum, nempe Extremae Unctionis, si aegrotent, et SSmi Viatici, nisi quoad Viaticum obiiciatur consuetudo, qua iis qui extremo supplicio mox punientur denegatur, de qua quidem consuetudine nihil hic pronunciatum

S. C. S. Officii IO Aprilis 1861. — Vic. Apost. Tchely Meridio-Orient.
Dubium quoad viatici administrationem neophytis.

Utrum administrandum sit Viaticum illis neophytis, qui, in articulo mortis a christianis baptizati, ignari sunt.

R. Hisce neophytis non esse administrandum Viaticum, nisi saltem discernant cibum spiritualem a corporali, cognoscendo et credendo in S. Hostia praesentiam Christi Domini.

S. C. S. Officii 22 Febr. 1888. — De facultate binandi

Se anche i Vicarii App. godano della facoltà di far binare, che la Costituz. *Declarasti* di Bened. XIV attribuisce ai Vescovi.

An Vicarii Apostolici privilegio fruantur concedendi facultatem binandi, quod ex *Constit. Declarasti Benedicti XIV* tribuitur Episcopis.

R. Affirmative, facto verbo cum SSmo — SSmus approbavit.

S. C. S. Officii 14 Maii 1681. — Vic. Ap. Tunkin. Dubium quoad altaria portatilia.

An possint conservari altaria portatilia sine Reliquiis Sanctorum, eo quia; 1. in Tunkino fervet persecutio ; multa iam altaria ab infidelibus capta execrata sunt, sacrae Reliquiae conculcatae etc. 2. Quia si

adeo crassa fiant et spissa, ut in eis Reliquiarum sepulchrum possit incidi, maior creabitur molestia iis qui sacram supellectilem ab uno in alium locum transferunt. Nam in Tunkino tum missionarii apostolici, tum indigenae parochi, raro in uno pago tres quatuorque dies subsistunt, sed quotidie ferme post celebrationem Missae ab uno plerumque ante lucem in alium pagum demigrant. 3. Quia data est facultas celebrandi in altari sine Reliquiis, ergo et illud sine Reliquiis consecrandi", quod si nondum concessum sit, petitur ut concedatur.

R. Attentis motivis deductis, supplicetur SSmo pro dispensatione. - SSmus annuit.

S. C. S. Officii 14 Maii 1779. — Dubia quoad missae applicationem pro turcis.

Turcae Ghocini in Moldavia incolae, occasione rerum suarum deperditarum aut furto ablatarum, ad Fratres minores Conventuales, proxime distantes, oblationes quasdam mittunt, urgentes per suum missum quatenus ope divi Antonii Patavini, quem turcae Camenecii vivere opinantur, res amissas rehabere valeant. Tria ergo dubia quaerenda proponuntur : — 1. An Fratres Minores a turcis oblationes recipere valeant ? — 2. An pro turcis possint Missae celebrari ? — 3. An oblationes illas possint accipere, titulo eleemosynae, pro Missa celebranda ad altare S. Antonii secundum offerentis exigentiam seu intentionem ?

R. SSmus decrevit respondendum ad omnia dubia : — Iuxta propositas facti circumstantias non licere, idque significandum esse per Instructionem.

INSTRUCTIO.

Patres Minores Conventuales Camenecii in Moldavia prope turcicum dominium commorantes, propositūri dubia quaedam S. Congregationi romanae Tridentini Concilii interpreti, apposite primum et prudenter exposuerunt factum, et facti circumstantias, unde dubia ipsa suboriuntur, ut inde facilius intelligatur legitimus dubiorum sensus, et certior atque aptior dari posset responsio dubiis ipsis eorumque circumstantiis accommodata. In hunc itaque modum praefati sunt :

Turcae Chocimii in Moldavia incolae, occasione rerum suarum furto ablatarum aut perditarum, ad Fratres Minores Conventuales Conventus Camenecensis, proxime distantis, oblationes quandoque emittunt, urgentes per suum missum, quatenus ope D. Antonii de Padua, quem turcae Camenecii vivere opinantur, res amissas rehabere valeant. « Hinc triplex oritur quaestio » (subdebant dicti Patres) : oritur videlicet quaestio ex

facto et circumstantiis descriptis ; atque adeo S. Congregatio censuit responsum dandum esse ad proposita dubia non in abstracto, ut dici solet, et seiunctum ab iisdem circumstantiis ; sed inconcreto, et relate ad propositas facti eiusdem circumstantias. Triplex autem illa inde oriens quaestio, seu tria dubia a Patribus subinde proposita haec fuerunt : I. *An Fratres Minores a Tur cis oblationes licite accipere possint?* — II. *An oblationes illas possint accipere titulo eleemosynae pro Missa celebranda ad altare D. Antonii, secundum offerentis exigentiam, sive intentionem?* — III. *An pro turcis possint Fratres Minores Missas celebrare ?*

Maturo igitur, ut semper solet, praemisso examine, S. Congregatio censuit nihil eorum quae in dubiis proponuntur, iuxta proposita facti circumstantias, licere. Confidit porro, certoque sibi persuadet S. Congregatio, futurum ut dicti Patres recurrentes exacte in praxi sese conforment tali iudicio, quod ipsimet pro debita erga S. Apostolicam Sedenfjreverentia implorarunt ad sedandas propriae conscientiae anxietates. Credere enim par est ipsos, utpote viros Religiosos in vinea Domini pro animarum salute allaborantes, probe intelligere, decere quam maxime, et omnino etiam debere iuxta monitum Apostoli abstinere ab omni specie mali : quae mali non species modo, sed res ipsa manifesta est in descriptis circumstantiis facti de quo agitur. In oculos enim statim incurrit putida, imo vero etiam ridenda superstitio turcarum, qua opus implorant S. Antonii Patavini opinantes eum adhuc Camenecii vitam ducere ; qua oblationes mittunt ad finem dumtaxat temporalem obtinendum ; qua demum vel ipso sacrosancto Missae sacrificio, quo nihil in Ecclesia Christi augustius, abuti solent iuxta propriam exigentiam et intentionem, sane non rectam et intrinsecus superstitiosam. Omnino igitur cavebunt Patres praedicti ne oblationes a turcis recipientes, aut pro ipsis Missas offerentes, participes fiant superstitionis eorumdem, et cum conscientia usque modo turcicae superstitionis conscientiam propriam polluant, ut in simili proposito praecepit Apostolus et fidelibus qui haec noverint scandalo sint et offensioni, ipsisque turcis occasionem praebeant persistendi in suis erroribus et superstitionibus.

S. C. S. Officii 19 April. 1837. — Dubium de Missae applicatione.

Utrum possit aut debeat celebrari Missa ac percipi eleemosyna pro graeco schismatico, qui enixe oret atque instet ut Missa applicetur pro ipso sive in ecclesia adstante, sive extra ecclesiam manente?

R. Iuxta exposita non licere, nisi constet expresse eleemosynam a schismatico praeberi ad impetrandam conversionem ad veram fidem.

S. C. S. Officii 12 Iulii 1865. — An applicari possit missa ad infidelium intentionem.

Utrum liceat sacerdotibus Missam celebrare pro turcarum aliorumque infidelium intentione, et ab iis eleemosynam pro Missae applicatione accipere ?

R. Affirmative, dummodo non adsit scandalum, ac nihil in Missa specialiter addatur, et, quoad intentionem, constet nihil mali, aut erroris aut superstitionis in infidelibus eleemosynas offerentibus subesse.

S. C. S. Officii 7 Aprilis 1875. — De applicatione Missae pro illis qui in manifesta haeresi moriuntur.

1. An liceat Missam offerre pro illis qui in manifesta haeresi moriuntur, praesertim quando huiusmodi applicatio nota esset.

2. An liceat etiam in casu, quo huiusmodi applicatio Missae tantum sacerdoti, et illi qui dat eleemosynam nota esset.

R. Ad i. et 2. Negative.

S. Poenitentiaria Ap. 6 April. 1742. — Dubium quoad Missarum eleemosynas.

Missionarii, et Pastores catholici in Hollandia, aliisque regionibus haereticorum, et infidelium ditioni subiectis, cum osculo pedum, Sanctitati Vestrae humiliter exponunt: ad eorum notitiam devenisse Breve exemplare Sanctitatis Vestrae apud S. Mariam Maiorem editum die 30 mensis Iunii 1741, incipiens « *Quanta cura adhibenda est* » in quo clericis et sacerdotibus quibuscumque recipientibus eleemosynas, seu stipendia pro Missis celebrandis districte prohibetur, ne, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum, sive stipendiorum, aliis sacerdotibus committere possint celebrationem earumdem Missarum cum minori eleemosyna seu stipendio, adiuncta poena suspensionis, reservatae Sedi Apostolicae ipso facto incurrenda, prout latius in eodem Brevi exemplari continetur. Quoniam vero, Pater Sancte, in illis regionibus sub haereticorum, vel infidelium iugo nulla adsunt Beneficia ecclesiastica, seu certi redditus ad vitae substentationem, Pastoribus et missionariis catholicis a piis fidelibus dari solent pinguia Missarum stipendia et eleemosynae pro earumdem Missarum celebratione, ut ex ipsis stipendiis et eleemosynis sustentationem recipiant in defectum, ut supra, Beneficiorum, sive certorum reddituum ecclesiasticorum. Quandoque vero eadem stipendia, et eleemosynae dantur ratione quidem particu-

laris affectionis, vel gratitudinis erga illos missionarios, et Pastores, sed non sine respectu ad supradictam sustentationem ; multoties etiam, praecipue in exequiis, anniversariis, et maioribus festis, supradicta stipendia, et eleemosynae Missarum dantur per modum unius honorarii, quod occasione Sacramentorum Poenitentiae, et Sacrae Communionis ex. pia devotione fideles conferre solent. Quae cum ita sint, Pastores, et missionari nullum habuerunt scrupulum retinendi sibi ipsis partem stipendiorum et eleemosynarum, et demandare aliis sacerdotibus indigentibus, qui sub nomine *Sacellani,* sive *Coadiutores* assistunt, et vicem eorumdem missionariorum, et Pastorum gerunt, quando sunt absentes, vel morbo impediti, aliisque in similibus necessitatibus; quod si missionarii, et Pastores tenerentur totam deinceps tradere eleemosynam receptam pro celebratione Missarum sacerdoti substituto, qui Sacrificium offert, vel ipsi missionarii congrua substentatione privarentur, vel si partem et portionem dicti stipendii, sive eleemosynae dare nequirent sacerdoti celebranti praecipue pro Sacellanis, et Coadiutoribus ut supra necessariis, huiusmodi subsidium deficeret in illis regionibus, in quibus redditus certi, ac Beneficia pro Ministrorum Ecclesiae sustentatione deficiunt.

His igitur, aliisque particularibus circumstantiis sedulo perspectis, licet devotissimi S. V. oratores pro certo habeant, quod in Brevi exemplari supra commemorato pro celebratione Missarum, nullatenus comprehendantur, quominus tuto servare possint morem, et praxim usque adhuc observatam, nempe in dictis casibus retinendi sibi partem, sive portionem stipendii accepti pro celebratione Missarum, et cum minori eleemosyna aliis sacerdotibus Missas celebrandas committere, nihilominus veluti obedientissimi Catholicae Ecclesiae filii et metu suspensionis ipso facto incurrendae perculsi, demississime supplicant Sanctitati Vestrae pro opportuna declaratione.

R. SSmus D. N. Benedictus d. p. Papa XIV. vivae vocis oraculo benigne declaravit in prohibitione contenta in superius enunciato Brevi non comprehendi praedictos casus : et insuper mandavit hanc suae mentis declarationem praedictis Oratoribus, aliisque, quibus opus fuerit, per Officium S. Poenitentiariae esse significandum....

S. C. SS. Rit. 20 Martii 1875.
Dubium quoad tobaleas in administratione SS. Eucharistiae.

An in ministranda fidelibus sacra Communione liceat loco tobalearum linearum uti tabellis ex metallo, vel eiusmodi usus tolerari possit in iis Dioecesibus in quibus fuit introductus.

R. Non esse interloquendum ; nihilominus significetur Rmo Episcopo Alexandriae non esse improbandum usum tobalearum linearum.

S. C. SS. Rit. 21 Iulii 1855. — Dubia quoad conopaeum.

1. Utrum Tabernaculum, in quo reconditur SS. Sacramentum conopaeo cooperiri debeat, ut fert Rituale? Et quatenus affirmative: — 2. Utrum conopaeum istud confici possit ex panno, sive gossypio, sive lana, sive cannabe contexto? — 3. Cuiusnam coloris esse debeat? aliis opinantibus, ut Baruffaldus, conopaeum debere esse coloris albi, utpote convenientis SS. Sacramento ; aliis autem, ut Gavantus, eiusdem coloris cuius sunt pallium altaris et cetera paramenta, pro temporis iesuque ratione, praeter colorem nigrum, qui mutatur in colore violaceo in exequiis defunctorum.

R. Quoad primam quaestionem : affirmative. Quoad secundam : pariter affirmative. — Quoad tertiam : utramque sententiam posse in praxim deduci, maxime vero sententiam Gavanti, quae pro se habet usum ecclesiarum Urbis.

S. C. SS. Rit. 18 Martii 1878.
Dubium quoad celebrationem Missae coram SSmo Sacramento.

1. Quid sentiendum sit de usu semper invalescente celebrandi Missam coram SSmo Sacramento publice exposito in ecclesiis in quibus non adsunt alia altaria ; item et distribuendi S. Communionem in iisdem Missis, et extra Missam in eodem altari.

2. An usus conopaei super Tabernaculum nunc censeatur obligatorius, et an pretiosa ornamenta ipsius Tabernaculi dispensent.

R. Ad 1. Ad primam partem, non licere sine necessitate, vel gravi causa, vel ex speciali indulto. Ad secundam partem, negative-

Ad 2. Detur Decretum in Briocen. 21 Iulii 1855 ad XII (1).

(1) En Decretum: « I. Utrum Tabernaculum in quo reconditur SS. Sacramentum » conopaeo cooperiri debeat, ut fert Eituale; et quatenus affirmative : 2. Utrum cono- » paeura istud confici possit ex panno sive gossypio, sive lana, sive cannaba contexto. » R. Ad 1. et 2. Affirmative. „

S. C. SS. Rit. 7 Dec. 1641.
Dubium quoad communionem tradendam nocte natalis Domini.

Cum superioribus diebus consulta hac Sacra Rituum Congregatione : *An esset permittendum celebrari in media nocte Natalis Domini, post Missam decantatam* successive duas alias *Missas, et in eis Sacram Communionem exhibere fidelibus, illam desposcentibus,* respondisset non esse permittendum, sed omnino utrumque prohibendum ; nihilominus nonnulli Regulares asserentes hoc licere, supplicarunt audiri ; et S. C. ipsis auditis cum procuratoribus et advocatis, ad relationem Emi Paleotti, stetit in decretis et respondit iterum prohibendum tam sacerdotibus celebrare volentibus, quam confluentibus media nocte ad ecclesiam et Communionem deposcentibus.

S. C. SS. Rit. 28 April. 1868. — Nolana. — Dubia quoad Missas votivas.

1. An sacerdos, cui ratione infirmitatis, aliave rationabili causa, a S. Sede potestas facta est celebrandi Missam votivam de Beatissima Virgine, possit huiusmodi Missam celebrare etiam in Festis solemnioribus vel diebus privilegiatis, ex. gr. in Nativitate Domini, in festo Pentecostes, in Dominica Palmarum ? Et quatenus affirmative :

2. An teneatur adhibere semper colorem album, an respondentem Festo ?

3. An in Festis solemnioribus, in huiusmodi Missa votiva, teneatur addere *Credo* vel *Gloria* sive privatim sive publice celebret?

4. Quando in die, praeter Festum Sancti currentis diei, recurrit alia collecta de Sancto simplici vel de Feria, tunc Oratio eritne de Spiritu Sancto, prout praescribitur in Rubricis generalibus vel de Sancto simplici aut de Feria ?

5. Addenda ne erit huiusmodi Missae votivae collecta, si qua ab Ordinario loci praescripta est?

6. In die Nativitatis Domini potestne hic sacerdos tres Missas celebrare de Beata Virgine ?

Ad i. Affirmative.

Ad 2. Debet semper uti colore albo iuxta alias decreta.

Ad 3. Negative, praeter *Gloria* in sabbatis.

Ad 4. Debet tantum illas Orationes legere quae Missae votivae conveniunt.

Ad 5. Negative.

Ad 6. Negative iuxta alias decreta.

Decret. 8. C. S. Officii 29 Martii 1869. — Dubia quoad facultates sacerdotum qui transmarinum iter suscipiunt.

Quum identidem inter theologos fuerit disceptatum super facultate, qua ab Ordinariis locorum donari solent sacerdotes iter maritimum arripientes, excipiendi nimirum fidelium eiusdem itineris comitum Confessiones, nec una eademque ea super re fuerit doctorum, vel etiam Sacrorum Urbis Congregationum sententia, nuper vero pro parte Rmi Episcopi Nannelensis eadem quaestio proposita fuerit Supremae S. O. Congregationis iudicio, sub dubii formula : *An sacerdotes iter transmarinum suscepturi, facultate ab Ordinario loci, unde naves solvunt, donari possent ad excipiendas fidelium confessiones tempore navigationis ;* Emi. PP. Cardinales in universa Christiana Republica Inquisitores Generales, ut in re satis gravi, quae animarum bonum respicit, omnis in posterum dubitandi ratio, ac anxietatibus occasio removeatur, articulo formiter discusso, Feria IV die 17 Martii 1869 decreverunt: *Posse sacerdotes iter arripientes, ab Ordinariis locorum, unde naves solvunt, approbari, ita ut, itinere perdurante, fidelium secum navigantium Confessiones valide ac licite excipere valeant, usquedum perveniant ad locum, ubi alius superior ecclesiasticus iurisdictione pollens constitutus sit. Cavendum tamen ab ipsis Ordinariis ne eiusmodi facultatem tribuant sacerdotibus, qui idonei non fuerint recogniti ad tramites Conc. Trid. sess. 23 de Ref. cap. 15.* Quam resolutionem, referente R. P. D. Assessore S. O. in ordinaria audientia eiusdem feriae ac diei SSmus D. N. Pius d. p. Papa IX. plene approbare ac confirmare dignatus est. Atque ita Rmo Episcopo Nannetensi aliisque Ordinariis petentibus, iidem Emi PP. respondendum esse mandarunt.

S. C. S. Officii 28 Aprilis 1700 — Dubia quoad sollicitationem

1. Se per le parole *simulantes confessiones audire* (in Bulla contra sollicitantes) si ricerchi coputivamente la sollecitazione e la Confessione vera o simulata a segno che, non concorrendovi queste due circostanze, non vi sia l'obbligo di denunziare.

I. An per verba *simulantes confessiones audire,* in bulla contra sollicitantes, requiratur copulate sollicitatio et confessio aut vera aut simulata, ita ut nisi haec duo adiuncta concurrant, cesset onus denunciandi.

2. Se quando il confessionario det monasteri serve anche di col-

II. An quando exedra ad excipiendas confessiones est etiam locus

locutorio al confessore, in caso che seguano ivi sollecitazioni, vi sia obbligo di denunziare.

collocuüonis pro confessario, quatenus ibi fiant sollicitationes, onus exoriatur denuntiandi.

R. Ad 2. Sufficere concursum alterutrius.

Ad 2. Affirmative.

S. C. S. Officii 15 Sept. 1859 — Dubia quoad Sollicitationem.

1. Se possa ciascun confessore assolvere il sacerdote che abbia sollecitato nell'atto o luogo della sagramental confessione.

2. Quando debba reputarsi reo di peccato turpe un confessore, sicché se abbia assoluto il complice sia incorso nelle pene e censure inflitte dalle Costituzioni di Benedetto XIV che cominciano l'una *Sacramentum Poenitentiae* e 1' altra *Apostolici muneris.*

i. An quilibet Confessarius valeat absolvere sacerdotem, qui sollicitaverit in actu aut loco sacramentalis confessionis.

II. Quando Confessarius censeri possit reus peccati turpis; ita ut si complicem absolverit, in poenas et censuras incurrerit comminatas a Constitutionibus Benedicti XIV *Sacramentum poenitentiae* et *Apostolici muneris.*

Ad 1. Cum sollicitatio, dummodo fuerit simplex, nullo iure S. Sedi reservetur, nihil obstat quominus sacerdos sollicitans, aliunde rite dispositus, a quovis confessario absolvi possit.

Ad 2. Ad dignoscendum quando confessarius censeri debeat reus peccati turpis externi et in genere suo gravis, ita ut si attentaverit complicem absolvere , poenis et censuris per Constitutiones Benedicti XIV inflictis innodatus censeri debeat, consulat probatos auctores et praesertim S. Alphonsum de Ligorio.

S. C. S. Officii 18 Martii 1863. — Quoad inhabiiitationem ad Missam contra sollicitantes.

Esaminato se la pena di inabilitazione alla celebrazione della s. Messa, prescritta contro i rei di sollicitazione nel Decr. di Benedetto XIV sotto i 5 Agosto 1745 sia *latae sententiae,* o soltanto *ferendae, inerendo* alle precedenti

Quum perpendissent an poena inhabitationis, ad celebrandams.Missani, praescriptam contra reos sollicitationis per Decr. Bened. XIV diei 5 Augusti 1745 sit *latae sententiae* aut tantum *ferendae,* inhaerentes anteactis resolutionibus hu-

risoluzioni di questa S. G. Suprema, ed a dichiarazioni della S. Penitenzeria, gli Emi Inquisitori Generali ritennero che la pena suddetta è soltanto *ferendae sententiae.* Fattasi di ciò relazione al S. P. dall'Assessere del S. Off. ; S. Santità si degnò confermare questa dichiarazione, ed ordinare che essa sia notificata alla S. G. di Propaganda, e quindi la comunichi ai Vicarii Apostolici e Superiori delle Missioni, avvertendoli ad osservarla in pratica, non ostante qualunque altra risposta contraria che sia stata data in proposito.

ius S. G. Supremae et declarationibus S. Poenitentiariae, Emi Inquisitores generales, censuerunt, poenam praedictam esse tantum *ferendae sententiae.* Facta autem de hac re relatione S. Patri ab assessore S. Officii, Sanctitas Sua dignata est hanc confirmare declarationem, et ordinare, ut ipsa notificetur S. Congregationi de Propaganda, quae eam communicet Vicariis Apostolicis et Superioribus Missionum, eos monendo, eidem inhaerere in praxi, nonobstante quocumque alio responso contrario in subiecta materia dato.

Instr. S. C. S. Officii 20 Iulii 1890. — Normae pro examinibus poenitentum, quae denuntiant sollicitantes.

Non raro ad hanc Congregationem Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis transmittuntur ab Ordinariis vel a Sacra Poenitentiaria denunciationes contra confessarios sollicitantes poenitentes ad turpia, et saepe accidit, ut in denunciationibus ipsis inducantur aliae poenitentes vel uti certo ad turpia sollicitatae, vel tantum ex indiciis inductae, quae tamen obligationi de denuntiatione emittenda iuxta sacros Canones satis non fecerunt. Ne autem crimen tam infandum absque debitis animadversionibus maneat, Sacra Congregatio ad tramitem Apostolicarum Constitutionum indicit locorum Ordinariis, ut inductas poenitentes opportuno examini subiiciant, ut inde legales probationes in processualibus tabulis résultent.

Verum experientia compertum est huiusmodi examina non ita scite seu legaliter assumi a iudicibus delegatis ; ita ut saepius causas ipsas, alioquin graviores et in damnum ac scandalum fidelium vertentes, prosequi datum non sit.

Quapropter ne in posterum ex enunciatis defectibus in examinibus assumendis causae contra sollicitantes infectae remaneant, Sacra Suprema haec Congregatio opportunum, immo necessarium censet locorum Ordinariis instructionem iuxta decreta ac ordinationes alias editas

exaratam transmittere, qui examina poenitentum per generalia rite et legaliter prosequi valeant.

Praenotandum quod nimia circumspectione utendum est in personis ad examen invitandis; etenim non semper opportunum erit eas ad publicum Cancellariae locum convenire, praesertim si examini subiciendae sint vel puellae, vel uxoratae, aut famulatui addictae; tunc enim consultum erit eas vel in sacrario, vel alio iuxta prudentem Ordinarii seu iudicis aestimationem caute convocare ad earum examen assumendum. Quod si examinandae vel in monasteriis aut nosocomiis seu in piis puellarum domibus existant, tunc magna cum diligentia et diversis diebus iuxta circumstantias peculiares vocandae erunt.

Insuper animadvertant iudices ad examina assumenda deputati quod in eorum et Cancellarii seu Notarii, qui semper ecclesiastici esse debent, praesentia examinanda exclusive compareat absque socia, absque teste ; etenim omnia sub inviolabili secreto perfici necesse est.

Tandem de actibus inde assumptis Ordinarii debent transmittere ad hanc Supremam Congregationem exemplar authenticum et cum suo originali collatum.

Hisce generatim praemonitis, subnectitur norma examinis conficiendi.

NORMA EXAMINIS PER GENERALIA ASSUMENDI

Vigore epistolae Sacrae Supremae Congregationis datae sub die... (vel vigore Decreti illustrissimi ac Reverendissimi Domini Archiepiscopi Ordinarii) vocata personaliter comparuit coram Illustrissimo ac Reverendissimo Domino N. N. sistente in Cancellaria (vel in sacrario, aut in collocutorio monialium seu piae domus) in meique etc.

NN. nubilis (vel uxorata) degens in hac civitate N. N. in paroecia N. N., filia (vel uxor) N. N., aetatis suae.... conditionis civilis (aut agricolae, aut famulatui addicta) cui delato iuramento veritatis dicendae, quod praestitit lactis SS. Dei Evangeliis, fuit

Inter. An sciat vel imaginetur causam suae vocationis et praesentis examinis ?

Resp. . . . .

Inter. A quot annis usa sit accedere ad Sacramentum Poenitentiae?

Resp. . . . .

Inter. An semper apud unum eumdemque confessarium Sacramentum Poenitentiae receperit, vel apud plures sacerdotes: insuper an in una eademque, vel in pluribus ecclesiis?

....*Resp.*......•. . . . .-...

Inter. An a singulis quibus confessa est sacerdotibus exceperit sanctas admonitiones, et opportuna praecepta, quae ipsam examinatam aedificarent, et a malo arcerent, et quatenus etc.

Resp. . . . .

Notandum: si responsio fuerit affirmativa, id est si dicat, se bene semper fuisse directam, tunc interrogatur sequenti modo:

Inter. An sciat vel meminerit aliquando dixisse vel audivisse quod quidam confessarius non ita sancte et honeste sese gesserit erga poenitentes; quin murmurationes, seu verba contemptibilia contra ipsum confessarium prolata fuerint : ex. gr. quod ipsa examinata ab uno vel a pluribus poenitentibus, atque ab uno abhinc anno, vel a quatuor, aut tribus mensibus similia audierit?

Notandum: Si post hanc interrogationem et animadversionem examinata negare pergat, claudatur actus consueta forma, quae ad calcem huius istructionis prostat.

At si quidquam circa aliquem confessarium, iuxta ea de quibus interrogatur, aperuerit, ulterius interrogabitur prout sequitur:

Inter. Ut exponat nomen, cognomen, officium, aetatem confessarii, et locum seu sedem Confessionis; an sit presbyter saecularis vel Regularis, et quatenus etc.

Resp. . . . .

Inter. Ut exponat seriatim, sincere et clare ea omnia, quae in sacramentali confessione vel antea vel postea vel occasione confessionis audierit a confessario praedicto minus honesta: vel an ab eodem aliquid cum ipsa inhoneste actum fuerit nutibus, tactibus seu opere, et quatenus etc.

Notandum: hoc loco iudex solerter curabit ut referantur iisdem verbis, quibus confessarius usus fuerit, sermones turpes, seductiones, invitamenta conveniendi in aliquem locum ad malum finem, aliaque omnia, quae crimen sollicitationis constituunt, adhibita vernacula lingua in qua responsiones sedulo et iuxta veritatem exarabuntur; animum addat examinatae, si animadvertat, eam nimio timore aut verecundia a veritate patefacienda praepediri, eidem suadens omnia inviolabili secreto premenda esse. Denique exquiret tempus a quo sollicitationes inceperint, quamdiu perduraverint, quoties repetilae, quibus verbis et actibus, malum finem redolentibus, expressae fuerint. Cavebit diligenter ab exquirendo consensu ipsius examinatae in sollicitationem et a quacumque interrogatione, quae desiderium prodat cognoscendi eiusdem peccata.

Inter. An sciat vel dici audierit praedictum confessarium alias poe-

nitentes sollicitasse ad turpia; et quatenus eas nominet (atque hic iubebit nomen cognomen et saltem indicia clariora, quibus aliae personae sollicitatae detegi possint).

Notandum: Si forte inducantur aliae personae sollicitatae, erit ipsius iudicis eas prudenter advocare et singillatim examinare iuxta formam superius expositam.

Resp. . . . .

Inter. De fama praedicti confessarii tam apud se quam apud alios?

Resp. . . . .

Inter. An praedicta deposuerit ex iustitiae et veritatis amore, vel potius ex aliquo inimicitiae vel odii affectu, et quatenus etc.

Resp. . . . .

Quibus habitis et acceptatis dimissa fuit iurata de silentio servando iterum tactis SS. Dei Evangeliis, eique perlecto suo examine in confirmationem praemissorum se subscripsit, (si fuerit illiterata dicatur) et cum scribere nesciret fecit signum Gru^cis.

(subscriptio personae examinatae)

Acta sunt haec per me N. N. Cancellarium vel Notarium ad hunc actum assumptum.

S. C. S. Officii 2 Decem. 1874 — Dubium quoad confessionem sacramentalem ante baptismum.

An catechumeni confiteri possint sacramentaliter antequam baptizentur sive absolute sive conditionate,

R. Quoad confessionem ante baptismum absolute conferendum, *negative;* quod si nihilominus catechumenus velit sese confiteri, instruatur id nullatenus haberi posse sub ratione Sacramenti cum nequeat absolutio impertiri, nec teneri missionarium ad secretum servandum. Si vero agatur de iis qui debent baptizari sub conditione, tunc poterunt ad maiorem functionis ecclesiasticae facilitatem prius audiri sacramentaliter quoad eorum culparum accusationem; deinde post collatiotionem baptismi sub conditione confessarius, iterum reassumptis per summa capita cum poenitente iis de quibus iam accusationem fecerit, absolvat sacramentaliter pariter sub conditione.

Ex Litt. Ap. Gregorii XVI. 3 Feb. 1832 ad Archiep. Primatem Armen.
De Sacramentis Poenitentiae et Eucharistiae privatis domibus ministrandis.

Non mediocri animi nostri aegritudine accepimus isthic (Gonstan-iinopoli) Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta privatis in domibus crebro ministrari-, ad arcendos itaque abusus omnes, qui inde oriri facile possunt, tum zelum vel maxime excitamus, ut hanc rem maturo examine perpendas collatisque cum Ven. Fr. Archiepiscopo Sardio Vicario Ap. Patriarchali consiliis, piovideas diligenterque caveas ne id unicuique indiscriminatim permittatur, sed facultates huiusmodi iis tantum sacerdotibus concedantur, qui ea praediti sint pietate quae omnem abigat suspicionem, et in favorem eorum laicorum qui non solum bene morati sint, sed etiam locum habeant ad sacra mysteria rite obeunda aptum, et a profanis disiunctum usibus, ubi sacrum ministerium absque ullo profanationis periculo possit exerceri.

S. C. S. Officii J5 Sept. 1859 — Dubia quoad absolutionem dandam.

1. In quali casi possa dirsi che i penitenti siano in pericolo od in articolo di morte, sicché possano essere assoluti sopra ogni censura e peccato da qualunque sacerdote,

2. Se i Vescovi in virtù del Capo *Liceat* possano assolvere dai casi occulti riservati alla S. Sede dopo il Concilio di Trento, e nominatamente un confessore che abbia attentato di assolvere il complice nel peccato turpe.

1. Quibus in casibus poenitentes dici possint in articulo mortis, ita ut absolvi queant ab omni censura et peccato per quemlibet sacerdotem.

2. An Episcopi in vim capitis *Liceat* absolvere queant a casibus occultis, S. Sedi reservatis post Concilium Tridentinum, et nominatim confessorem, qui attentaverit absolvere complicem in peccato turpi.

R. Ad 1. A probatis auctoribus iudicandi normam sumat (Archiepiscopus) quibus in casibus revera dici possint poenitentes versari in articulo vel periculo mortis, adeo ut quilibet sacerdos a quibusvis peccatis et censuris eos absolvere valeat, et sub quibus cautionibus, si agatur praesertim de censuris, summo Pontifici reservatis, et consulat decretal. Clementis III relat, in Cap. XV *Cum desideres,* et C. 26. *Quod de his,* de sententia Excommunicat.

Ad 2. Non posse, iuxta resolutiones S. Congregationis Concilii Tridentini decretis interpretandis propositae, quae mense Ianuario anni 1589

Archiepiscopo Mediolanensi ita respondit: *Reservationes casuum de novo post Concilium non comprehenduntur in Cap. VI Sess. 24 Be reform, et praesertim super clausura monialium* ; et quaeitem die 2 Martii 1595 Episcopo Nucerino respondit: *Nosse debet Episcopus facultatem absolvendi sibi tributam decreto c. VI sess. 24 non extendi ad casus qui novis Summorum Pontificum Constitutionibus post Concilium Tridentinum fuerint Apostolicae Sedi reservati.*

Instr. S. C. S. Officii I Febr. 1871 — Ad Vic. Ap. Mysurien.
Interpretatio Bullae Apostolicae Sedis quoad magistratus catholicos etc.

Anxium te exhibebas circa magistratus catholicos et gubernii servos qui immunitatem asyli ecclesiastici violant, veritus nimirum ne omnes excommunicationi subiaceant quae in Constitut. *Apostolicae Sedis* 12 Octobris 1869 est quinta inter excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici reservatas, eaque est tenoris sequentis: *Immunitatem asyli ecclesiastici violare iubentes aut ausu temerario violantes.* Qua te anxietate ut eximerent Emi PP., audito etiam SSmi oraculo monitum te voluerunt in ea formula verba *ausu temerario* utrumque membrum complecti. Ex quo intelliges eum tantum excommunicationem incurrere, qui ab aliis minime coactus, prudens ac sciens, immunitatem asyli ecclesiastici aut violare iubet, aut exequendo violat ; quem porro utpote omnis excusationis expertem excommunicationi subiacere mirum esse non debet. — Deinde similem aperiebas sollicitudinem quoad eosdem magistratus et gubernii servos trahentes clericos ad suum tribunal propter violationem legis civilis, sive alio modo, quos omnes timebas excommunicatione esse irretitos, quae in dicta Constitut. *Apostolicae Sedis* est septima inter excommunicationes latae sententiae Romano Pontifici speciali modo reservatas. Sed in ea formula attendere debes verbum *cogentes,* quod sane indicat excommunicationem eos non attingere qui subordinati sint, etiamsi iudices fuerint, sed in eos tantum esse latam, qui a nemine coacti vel talia agunt, vel alios ad agendum cogunt, quos etiam indulgentiam nullam mereri facile perspicis.

Quaerebas insuper an ii qui praedictas (Constitutionis *Apostolicae Sedis)* censuras incurrerunt admonendi sint; quod porro minime constabat utrum de interno an de externo foro quaereres. Sed si de interno res est, licet theologi doceant aliquando (hoc est debitis factis exceptionibus, de quibus iidem agunt) dissimulari cum poenitente posse cum duo haec simul -concurrunt, bona fides et indubia praevisio nul-

lum ex admonitione fructum perceptum iri ; hic tamen.... sive ob personarum qualitatem quae excommunicationi subiiciuntur, sive ob qualitatem Constitutionis eamdem censuram inferentis, quae recentissima est ac plane notoria, difficile dari potest bona fides quae-admonitionem omitti posse suadeat. Quod si de externo foro sermo sit, distinguendum erit inter pastoralem admonitionem, ac iudicialem sententiam qua reum, de quo agitur, excommunicationem incurrisse ^declaratur. Sententiam hanc declaratoriam utrum ferri expediat definiri generatim non potest, sed facti personarumque circumstantiis sedulo expensis dignosci debet. Ad pastoralem vero admonitionem quod attinet, quid theologi doceant probe nosti, qui si deficiente probabili spe emendationis ac fructus, prudentique metu gravioris cuiuspiam mali concurrente, differri admonendi officium, quod ex proprio munere pastorem urget, posse consentiunt, nihilominus monent, si scandalum a pastoris silentio oriatur, intermitti illud non licere. Quod denique addebas *utrum habeas facultatem absolvendi a praedictis excommunicationibus,* censuerunt Emi PP. id a Te quaeri ob clausulas derogatorias, quae in Constitut. *Apostolicae Sedis* leguntur, nam ceteroqui quid facultatum tibi datum sit, nosse ipse debes. Itaque decreverunt ut declaratio circa praedictas clausulas de mandato Sanctitatis Suae ab hac Suprema Congregatione edita Tibi communicetur, scilicet: « SSmus per dictam Constitutionem « haudquaquam in animo habuit quidquam innovare quoad facultates « cuiuscumque generis ante eiusdem promulgationem a S. Sede elar- « gitas, sive eae sint quinquennales sic dictae, sive extraordinarie, sive « occasione praesentis Iubilaei editae, quas omnes mandat ac declarat « in suo pleno robore manere debere, durante tempore in respectivis « concessionibus aut indultis praefinito. »

Ex Litt. S. C. S. Officii IO Febr. 3871. — Correctio textus Bullae Apostolicae Sedis in art. 5 de censuris etc.

Nella redazione dell'art. 5 delle scomuniche *latae sententiae, Romano Pontifici reservatae* con la Costituzione Apostolica *Apostolicae, Sedis* dei 12 Ottobre 1869, essendo occorso un equivoco col proporre ed applicare le parole *ausu temerario* ai soli violanti l'immu-

In redactione art. o de censuris latae sententiae, Romano Pontifici reservatis per apostolicam Constit. *Apostolicae Sedis...* diei 12 Octobris 1869, quum ambiguitas incurrerit praeponendo et applicando verba *ausu temerario* violantibus tantum immunitatem, dum

nità, laddove secondo la mente pontifìcia dovea quella qualifica investire anche la prima categoria dei violanti, cioè *violare iubentes;* dietro proposta della Suprema il S. Padre nell'Ud. di Feria IV 15 Giugno dello scorso anno, si degnò ordinare che quell'articolo fosse restituito al suo genuino senso e valore, cosicché debba in seguito leggersi: *Immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare iubentes aut violantes.*

iuxta mentem Pontificis qualitas haec afficere debebat etiam primum violantium ordinem nempe, *violare iubentes,* ad propositionem Supremae Inquisitionis, SSmus Pater in audientia diei 15 Iunii anni praeteriti dignatus est praecipere quod articulus ille redderetur sensui genuino et valori proprio, ita ut in posterum legi debeat: *immunitatem asyli ecclesiastici ausu temerario violare iubentes aut violantes.*

S. C. S. Officii 5 Decembr. 1883 Ep. Petrocoricen.
Dubia quoad excommunicationem minorem etc.

1. Fere omnes Constitutionis *Apostolicae Sedis* commentatores docent, excommunicationem minorem vi huius Constitutionis abolitam esse. Utrum haec sententia tuto doceri possit in Seminario.

2. Iterum docent, illum confessarium excommunicationi non subiici qui complicem in peccato turpi absolvere fingit, sed reipsa non absolvit. Contrarium tamen declaravit S. Poenitentiaria die 1 Martii 1878. An potest orator permittere ut in suo Seminario doceatur praefata commentatorum sententia responsioni S. Poenitentiariae opposita?

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Negative. '— SSmus approbavit.

LITTERAE SS. D. N. Leonis Papae XIII ad Aloisium de Canossa Episcopum Veronen. et ad ceteros Episcopos Venetae provinciae. — De nova lege condenda, quae iubet praemittere matrimonio civilem nuptiarum ritum.

Dilecte Fili, ac Venerabiles Fratres
Salutem et Apostolicam benedictionem.

Il divisamente- di sancire una nuova legge, che imponga la precedenza del rito civile sulla celebrazione del matrimonio cristiano, ha meritamente eccitato la vostra pastorale vigilanza e con lodevole consiglio, prima di entrare in qualche determinazione all'uopo vi siete volti a questa Apostolica Sede, alla quale *propter potiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam.* Noi intenti sempre, per debito dei nostro supremo ministero, all' incolumità del gregge cristiano, tra le gravi ed incessanti Nostre cure, non lasciammo d'inculcare più volte la necessità di conservare al matrimonio cristiano il carattere santo impressogli dal suo divino Istitutore : tanto più che da esso dipende altresì la santità delle famiglie, la pace delle coscienze, la retta educazione della prole ed il benessere del civile consorzio. Specialmente nelle Nostre lettere encicliche *Arcanum divinae sapientiae* esponemmo di proposito con la maggior diligenza e pienezza la dottrina cattolica su tale argomento ; e Ci studiammo a un tempo di rammentare, sia il molto dalla Chiesa operato nella successione dei tempi

Novae condendae legis propositum , qua Catholici in Italia civilem nuptiarum ritum christiano matrimonio praemittere iubeantur, vestram pastoralem vigilantiam iure merito excivit; vosque idcirco prudenti consilio, antequam quidquam hac super re deliberaveritis, ad hanc Apostolicam Sedem, ad quam *propter potiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam,* vosmet convertistis. Nos ob supremum, quo fungimur, munus, incolumitati Christiani gregis continenter intenti, inter gravissimas atque continuas, quibus distinentur, curas, necessitatem Sanctum characterem Matrimonio Christiano ab divino eius institutor-e impressum tuendi, idemtidem inculcare nequaquam omisimus : praesertim quum in ipso et familiarum sanctitas, et animorum pax, et recta prolis institutio, ac demum humanae societatis salus in primis innitatur. — Speciatim vero in nostris encyclicis uteris « Arcanum divinae sapientiae » quoad potuimus, diligenter atque copiose catholicam doctrinam hac super re exprofesso ostendimus. Simul et in memoriam revocare curavimus,

per raggiungere e mantenere la nobiltà cristiana della unione coniugale, e sia ancora ciò che rispetto ad essa può legittimamente attribuirsi alla potestà civile. Se quanti udirono la Nostra parola fossero stati uomini di buona volontà, od anche in buona fede ingannati, avremmo giustamente sperato che la verità conosciuta, illuminando le menti, avrebbe indotto, se non a riparare immediatamente i torti già recati alla Chiesa con indebite ingerenze nel matrimonio dei suoi figli, almeno a cessare da peggiori oltraggi. Ma sì ostinato in alcuni è il mal talento di osteggiare tutto ciò che è cristiano, e proseguire nella triste opera incominciata di *laicizzare,* come dicono, la società, e vuol dire di renderla indipendente da Gesù Cristo e privarla degli immensi beneficii della Redenzione, che lungi dal risarcire danni già fatti e manifesti, ne minacciano di più gravi col disegno di legge ornai a tutti notissimo.

Non occorre qui ripetere per singolo gl' insegnamenti già dati, poiché sono sotto gli occhi vostri e dei fedeli : ma non è inopportuno dichiarare anche una volta, che il potere civile disponga pure dei civili effetti del matrimonio, ma

quam multa ad perficiendam et sartam tectam servandam christiani coniugii dignitatem ab Ecclesia subinde peracta fuerint, quaeque insuper officia, quoad ipsam, civili potestati iure tribui et concedi possint.

Si quotquot verba nostra vel audierunt, vel legerunt bonae voluntatis homines fuissent, aut etiam innocenter decepti, iure speravissemus fore, ut cognita veritas eorum mentes illuminans, sin minus ad iniurias per arbitrarios actus in Catholicorum coniugiis moderandis ab civili potestate Ecclesiae illatas protinus reparandas, saltem ad graviora probra avertenda, eos impellerei. Verum adeo obstinalam in quibusdam se prodit quidquid christianum est aversandi vesana voluntas, ac pessimum incoeptum opus prosequendi humanam videlicet societatem prorsus, ut aiunt, laicam, i. e. a Christo Domino extorrem , efficiendi, eamque praeclarissima christianae Redemptionis muneribus orbandi; ut potius quam illata damna affatim manifesta reparare studeant, graviora novae legis condendae proposito, iam omnibus apprime comperto, inferre minentur.

Singula hac super re per Nos iam alias exhibita documenta, quoniam adhuc ob vestros ac Fidelium oculos versantur, hic repetere supervacaneum arbitramur. At vero rursus declarare inopportunum non est, civilem potestatem, civiles con-

lasci alla Chiesa ciò che riguarda il matrimonio in se stesso ; ammetta il fatto del vero e legittimo matrimonio, quale fu istituito da Gesù Cristo e dalla Chiesa praticato, e indi prenda le mosse a concederne o negarne gli effetti che ne conseguono nella civil comunanza, imperocché è dogma di fede che il matrimonio dei cristiani fu elevato da N. S. Gesù Cristo alla dignità di sacramento ; nè questa dignità può, secondo la dottrina cattolica, aversi in conto di una qualità accidentale aggiunta al contralto matrimoniale, ma è a questo intimamente essenziale, dappoiché appunto lo stesso contratto per divina istituzione è divenuto Sacramento. Vana però sarebbe la distinzione tra il contratto ed il Sacramento , a volerne inferire che fra' cristiani possa darsi contratto matrimoniale valido, che non sia Sacramento. Onde nasce che, appartenendo esclusivamente alla Chiesa l'amministrazione dei Sacramenti, ogni ingerenza dell'autorità politica nel contratto matrimoniale, e non semplicemente nei suoi effetti, è sacrilega usurpazione.

iugii effectus statuere ac disponere quidem posse; sed quod ipsum Matrimonium proxime spectat, Ecclesiae sanciendum relinqui oportere: profiteatur eadem laica potestas verum ac legitimum Matrimonium esse, quod a Christo lesu institutum fuit, et ab Ecclesia reapse proponitur; indeque ad effectus, qui ex civium coniugiis in civili consortio consequuntur, sive denegandos, sive concedendos procedat. Dogma enim christianae Fidei est, Christianorum coniugium ad Sacramenti dignitatem a D. N. I. C. evectum fuisse. Nec vero huiusmodi dignitas, ut quaedam exterior ac simplex qualitas coniugali contractui superaddita habenda est; sed vero est eidem penitus essentialis; propterea enim idem contractus divino instituto Sacramentum esse coepit. Supervacua igitur esset distinctio inter coniugalem ipsum contractum et Sacramentum; quasi vero inter Christianos legitimus contractus nuptialis fieri possit, quin sit Sacramentum. Ex quo consequitur^ ut quum Sacramentorum administratio ad Ecclesiam unice spectet, omnem civilis potestatis arbitrarium actum in christianis coniugiis moderandis, praeter quam in civilibus eorum effectibus constituendis, sacrilegam alieni iuris usurpationem esse.

Ora una legge che prescrivesse la precedenza del rito civile sul vero matrimonio che si contrae innanzi alla Chiesa, avrebbe vera-

Iam vero lex, quae civilem nuptiarum ritum Matrimonio, quod coram Ecclesia initur, praemitti iuberet, ipsum profecto coniugalem contra-

mente per oggetto lo stesso contratto matrimoniale, e non soltanto i suoi effetti civili ; quindi lo Stato verrebbe con essa a disporre dell' amministrazione di un Sacramento. Niun' altra potestà, che quella a cui spetta siffatta amministrazione, può e deve giudicare delle condizioni richieste per celebrare il matrimonio, dell'attitudine e capacità dei contraenti e delle altre circostanze dalle quali dipende che il matrimonio si contragga lecitamente e validamente. Nè vale il dire che la potestà civile colla legge di precedenza del rito civile non tocca il Sacramento amministrato dalla Chiesa ; non lo nega e non lo riconosce, lasciando all'arbitrio dei contraenti di celebrare dopo il rito civile anche il matrimonio religioso. In verità cotesta legge punirebbe il matrimonio religioso, cioè il vero matrimonio, dichiarandolo implicitamente illecito, ove non sia preceduto dal rito civile, se pure non pretendasi punire un atto lecito. Colle pene che la disegnata legge minaccia, e che infliggerebbe ove, sanzionata che l'osse, venisse trasgredita, non riuscirebbe certamente a render nullo un matrimonio contratto secondo le leggi della Chiesa ; poiché trattasi di diritto naturale e divino, contro il quale non vi è potestà al mondo che possa prevalere : metterebbe però in opera tutti i mezzi per farlo considerare come nullo, per

ctum spectaret, non vero civiles tantummodo illius effectus; ac proinde civilis potestas in ipsam Sacramenti administrationem sese ingereret. Quaevis alia potestas praeter illam ad quam huiusmodi administratio spectat, de conditionibus ad matrimonium rite ineundum necessariis; vel utrum sponsi sint necne habiles et apti ad nuptias; tum denique de ceteris rerum adiunctis, ex quibus perficitur, ut matrimonium ipsum honeste ac sancte celebretur, iudicium ferre nec potest, nec debet. — Neque vero oggerere quidquam iuvat, civilem potestatem eâ lege, qua civilem ritum praemitti iubet, Sacramentum ab Ecclesia administratum nequaquam attingere ; quod quidem illa neque abnegai, neque agnoscit, sponsorum lubito relinquens, post civilem ritum matrimonium etiam, si velint, religiosum celebrare. Re-ipsa enim ista lex ecclesiasticum, id est verum, matrimonium poena afficeret, illud quodammodo illicitum declarans, si quando eidem civilis ritus neutiquam antecedat; nisi forte ^actus per se licitus atque honestus puniri velit. Poenis quidem, quas excogitata lex comminatur, quasque semel sancita, et a civibus neglecta infligeret, profecto coniugium iuxta Ecclesiae leges initum haudquaquam irritum redderet: naturale enim ac divinum ius agitur, cui nulla unquam mundana potestas praevalere potest ; omnibus tamenadminiculis

impedirne i doveri e frustrarne gli effetti che legittimamente ne conseguono, il che, se non fosse abbastanza'chiaro perse, diverrebbe al tutto evidente considerando per /poco un recente ingiusto e sacrilego provvedimento già preso per i matrimonii dei militari ; ai quali come, dopo essersi legittimamente uniti, ò imposta la separazione dalla loro consorte, così, prima di unirsi, si negherebbe la facoltà di congiungersi in matrimonio. Per tal modo in tempi di vantato progresso civile, si tornerebbe ad una antica e tirannica barbarie, che osava privare gli uomini di un diritto che loro viene di natura, e a cui disvellere tanto adoperossi la Chiesa : la sola differenza sarebbe, che allora negavasi agli schiavi di unirsi in legittimo matrimonio, ora si negherebbe ai militari e ad altre classi di persone, spogliandole della loro libertà e facendone schiavi.

Ma non è questa la sola ingiuria che si reca alla Chiesa colla proposta legge ; ve ne ha un' altra, egualmente gravissima. Ognuno sa che il nostro divin Salvatore commise alla sua Chiesa il giudizio ed il governo, non pure di tutto ciò che spetta alla fede, ma di quanto ancora riguarda la morale. La Chiesa fu da Lui istituita, affinchè fosse a tutti guida sicura ed infallibile nella via della eterna salute : e come a salvarsi non basta credere rettamente, ma è di più necessario

uteretur, ut illud tamquam nullum atque irritum haberetur, utque officia praepediret, et effectus, qui exinde consequuntur, quoad posset, frustraretur. Quod equidem, si cui satis compertum forte non esset, evidens illico fieret memoria repetenti recens, iniustum ac sacrilegum consilium quoad militum coniugia susceptum ¿ quibus uti, postquam nuptias inierint, separatio coniugalis indicitur; sic, antequam easdem ineant, nuptiae interdicuntur. Atque ita ad veterem efferamque barbariem, quae homines iure ab ipsa natura indito orbare audebat, et cui convellendae tantopere adlaboravit Ecclesia, regressi fuisse videmur ; hoc uno discrimine, quod tum mancipia, nunc vero milites, aliosque civium coetus, propria eos libertate expoliando, atque in mancipiorum conditionem redigendo, legitima coniugia inire vetantur.

Atqui nequaquam haec sola iniuria est, quae Ecclesiae per propositam legem infertur; est enim et altera aeque gravissima. — Cuique apprime compertum est, Christum Dominum non id solum, quod ad fidem, sed etiam quod ad morum honestatem pertinet, Ecclesiae suae decernendum ac disponendum commisisse. Ecclesia enim ab Eo instituta fuit, ut omnibus hominibus, in aeterna salute capessenda, certa dux esset, atque infallibilis: et quoniam ut quivis sal-

operare secondo la fede, così appartiene alla Chiesa il giudizio sulla legge morale e sui costumi, non altrimenti che sul deposito della fede. Ora è precisamente materia di morale e di costumi il vedere se in dati casi convenga stringersi in matrimonio ovvero astenersene. Lo slato di verginità è per sè più perfetto del coniugale, e sono sommamente a lodarsi coloro che ispirati dalla grazia lo abbracciano ; ma questa grazia di una perfetta continenza non è data a tutti, ed allora secondo l'Apostolo, *melius est nubere quam uri.* Può parimente accadere per la malizia e debolezza della corrotta natura, che riprovevoli pratiche fra due persone siano già troppo inoltrate, talché senza grave ingiuria e pregiudizio di una delle parti, o senza pericolo ancora dell'eterna salute di entrambe, non potrebbe omettersi il matrimonio. Se non che ad evitare nel contrarlo infamie e discordie nelle famiglie e tra le famiglie, converrà talvolta tutto conchiudere con somma sollecitudine e segretezza, rimettendo al più, ove diventi possibile, a miglior tempo la pubblicazione del seguito matrimonio.

Queste e simili giustissime considerazioni sfuggono ad uno Stato,

vus sit, recta Fides non sufficit, sed insuper opus est iuxta eamdem fidem agere; idcirco ad ipsam Ecclesiam de morali lege ac moribus, haud aliter ac de Fidei sanctae deposito, iudicium ferre omnino spectat. Iam vero internoscere ac iudicare, utrum in quibusdam rerum adiunctis coniugium inire, an vero potius ab eo abstinere conveniat, res est, quae ad moralem legem, morumque honestatem proxime spectat. Virginitas quidem nuptiis per se praestantior est, ac summopere laude digni sunt, qui illud vitae institutum, divinitus inspirati, amplectuntur; sed hoc perfectae continentiae munus haud omnibus conceditur; tum vero iuxta Apostoli effatum - Melius est nubere, quam uri - (I. Cor. "VII. 9.). Item aliquando humanae naturae malitia, vel fragilitate contingere potest, ut inhonestae consuetudines inter duos diversi sexus homines adeo iam inveteraverint, ut sine alterutrius iniuria damno ve, aut forte etiam sine utriusque amittendae salutis aeternae periculo, Matrimonium omitti^non possit. Attamen ut in eodem rite ineundo quaevis infamia, aut discordiae in familiis evitentur, interdum maxima celeritate, atque occultissime omnia peragere oportebit; ad opportunius interim tempus dilata atque reiecta, si quando fieri poterit, initi Matrimonii publicatione.

Hae nimirum, aliaeque his consimiles aequissimae animadversio-

che pretendendo di assorbire in sè tutti i diritti della famiglia e degli individui, non dubita di manometterli tutti, sotto pretesto di provvedere a sè stesso : e vi provvederebbe in verità sconsigliatamente. Ad uno stato poi che vuol prescindere da ogni legge divina e cristiana, importa nulla che si moltiplichino i peccati, o cercandosi illecite unioni, o perseverando in esse ; sebbene ragione, fede, storia dimostrino ad evidenza che la corruttela dei costumi snerva, guasta, consuma le società. Tanto è l'accecamento e l'odio di questi nuovi legislatori, che al punto stesso della morte, quando un' anima è vicina a presentarsi al tremendo giudizio di Dio, vorrebbero legare le mani al suo Ministro, non consentendogli di esercitare il suo ministero di riconciliazione, di pace e di salute, se non a dure condizioni, le quali spesso, a doverle rigorosamente osservare, esporrebbero quell'anima ad eterna ruina.

nes civilem Italiae Dominatum fugiunt; qui omnia sive cuiusvis familiae, sive quorumlibet civium propria iura ad se avocare atque absorbere contendens, omnia aeque, speciosa quidem sibi consulendi causa, pessumdaret: et reipsa, quamvis imprudenter, apprime sibi consuleret. Illius autem civilis Regiminis, quod divinam quamlibet atque christianam legem studiose negligerei, parvi refert peccata sive initis, sive continuatis illicitis coitibus,multiplicari; quamquam et ipsamet humana ratio, et christiana Fides, atque historia evidenter ostendant, morum corruptelam enervare, inficere, consumere hominum societates. Tanta autem est horum recentium Legislatorum obcoecatio, atque adeo implacabile odium, ut vel ipsa morte imminente, quando hominis anima tremendo Dei iudicio se brevi stitura est, eius Ministro manus quodammodo colligare audeant, eidem Ministerii sui, quod est conciliationis, pacis et salutis, exercitium interdicentes, nisi forte iniquis quibusdam conditionibus impositis, quae saepenumero, si reipsa adamussim observarentur, animam illam aeternae ruinae certo exponerent.

La Chiesa, che che sia per disporre un' autorità terrena, non verrà meno giammai alla sua divina missione, e mai non potrà rassegnarsi a lasciar perire le anime redente dal sangue di Gesù Cristo,

Ecclesia, quidquid terrena quaevis potestas aliquando forte constituat, ab officio sibi divinitus attributo nunquam deficiet; neque permittere unquam poterit, ut animae pretioso Iesu Christi sanguine re-

delle quali dovrà rendere strettissimo conto : nè, per vero dire, lo Stato ha punto di che temere, lasciandola agire con la libertà che è propria del suo salutare ministero. Se mal suo grado permette talvolta che si celebrino matrimonii occulti, come diconsi, di coscienza, ciò non accade che in casi di gravissima urgenza, richiedendolo la legge suprema della salute delle anime. Ma la Chiesa stessa ne ha fissate le condizioni, perchè tali casi siano rarissimi, ne ha prescritto i rimedii, affinchè nulla ne soffrano i contraenti e la prole, ed ha tutto minutamente ordinato a prevenire altri inconvenienti. Del resto nella sua legislazione e nella sua pratica ben essa deplora che vi siano siffatti casi, e procura per ogni modo che il matrimonio sia contratto pubblicamente con solennità. Basta in prova la sola costituzione *Satis vobis* del Nostro illustre Predecessore Benedetto XIV, il quale, dopo aver esposto ciò che i Concilii ed i Pontefici hanno saviamente stabilito per la pubblica solennità dei matrimonii, ed enumerati i mali che derivano dal trasandarla, ammette bensì qualche rarissima necessaria eccezione, ma volgendo la parola ai Vescovi, così li esorta : *Parem quoque, imo fortasse maiorem vigilantiam necesse est a vobis adhiberi, ne, post remissas denunciationes, celebretur matrimonium coram Parocho, vel alio sacerdote ab ipso Parocho vel*

demptae, quarum ipsi inexorabilis ratio reddenda est, aeternum pereant.

Nec enim vero civili Regimini, si eamdem Ecclesiam ex libertate frui sinat, quae salutari illius Ministerio omnino convenit, quidquam timendum est. Si quando namque occulta coniugia, seu ut vocant - *Matrimonia a conscientia* - celebrari, quamvis aegre, permittat, id nonnisi gravissima urgente necessitate accidit, quum suprema id ipsum salvandi animas lex expostulet.

At vero eadem Ecclesia quasdam conditiones servandas statuit, ut huiusmodi casus perquam raro contingant: remedia praescripsit, ne quod detrimentum sive sponsi, sive eorum futura proles exinde patiantur; omniaque ad alia quaelibet incommoda praepedienda opportune disposuit. Ceterum ea et legibus latis , et in sua praxi, hanc necessitatem quandoque contingere apprime deplorat, atque omni studio curat, ut Matrimonia semper, quoad fieri potest, palam ac sollemniter peragantur. Quod ut amplissime demonstretur, vel una sufficit Benedicti XLV. illustris praecessoris nostri Constitutio *f Satis vobis);* qui inibi postquam ea exposuerit, quae a conciliis et Romanis Pontificibus, quoad publicam Nuptiarum sollemnitatem sapienter constituta sunt, atque incommoda

a vobis deputato, praesentibus duobus vel tribus testibus confidentibus, ne ulla celebrationis notitia vel rumor oriantur. Id enim, ut ad praescriptum Sacrorum Canonum licite fieri possit, non satis est obvia quaevis et vulgaris causa, sed gravis, urgens, et urgentissima requiritur... Vestri Pastoralis officii paries versari debent in sedulo investiganda legitima et urgenti causa dispensationis, ne matrimonia occulte celebrata luctuosos habeant exitus, quos intimo cordis moerore recensuimus.

Stando così le cose, giustamente si può dimandare qual ragione possa avere lo Stato di imporre la precedenza del rito civile, imperocché il matrimonio contratto innanzi alla Chiesa dovendo regolarmente esser pubblico, non può sfuggire agli occhi dello Stato ; e questo colle leggi in vigore ha già provveduto, anche oltre misura, agli effetti civili , unicamente di competenza sua. Perchè dunque non contento

recensuerit, quae ex illius neglectu proveniunt, aliquam utique exceptionem raro admodum faciendam consentit, sed ad Episcopos sermonem convertens — « Parem quo-
« que, ait, imo fortasse maiorem
« vigilantiam necesse est a Vobis
« adhiberi, ne post remissas denun-
« elationes celebretur Matrimonium
« coram Parocho, vel alio Sacer-
« dote ab ipso Parocho, vel a Vo-
« bis deputato, praesentibus duo-
« bus, vel tribus testibus confiden-
tibus, ne ulla celebrationis no-
« titia, vel rumor oriantur. Id enim
« ut ad praescriptum sacrorum Ca-
« nonum licite fieri possit, non
« satis est obvia quaevis et vulgaris
« causa, sed gravis, urgens et urgen-
« tissima requiritur.... Vestri pa-
« storalis officii partes versari de-
« bent in sedulo investiganda le-
« gitima et urgente causa dispen-
« sationis, ne Matrimonia occulte
« celebrata luctuosos habeant exi-
« tus, quos intimo cordis moerore
« recensuimus. » —

Quae cum ita sint, iure cuique sciscitari fas est, quaenam iusta causa civili Regimini suppetere possit praecipiendi, ut civilis nuptiarum ritus praemittatur? Quum enim Matrimonium coram Ecclesia celebratum, iuxta eiusdem Ecclesiae praecepta, publicum esse debeat, id profecto civile Regimen latere non potest; et illud quidem legibus recens latis, iam satis (imo etiam ultra modum) civilibus nu-

neppure del così detto matrimonio civile, vorrebbe ora ingiungerne la precedenza? Per impedire forse i rarissimi matrimonii di coscienza, che la Chiesa stessa non permette, se non costrettavi da urgentissime cause? Ma la legge, ordinata di sua natura al bene comune, mal potrebbe occuparsi di casi singolari e rarissimi, dai quali non è a temere che sia turbata la pubblica pace e tranquillità, che è il proprio fine dell'autorità politica ; ed essendo la legge stessa ordinamento secondo ragione, non varrebbe mai ad impedire che in quei rarissimi casi, si faccia quanto la buona morale e la salute eterna delle anime esige, Se 1' indole stessa della legge minacciata non mostrasse per sè medesima a che finalmente miri, basterebbe osservare da chi è ispirata e promossa; giacché non ò un mistero, ma fatto pubblicamente noto, che la setta massonica avea da lunga pezza meditata questa nuova onta alla Chiesa ; ed ora per venirne a capo impone ai suoi adepti d'infliggerla. GÌ' intenti di questa setta malaugurata sono sempre e da per tutto gli stessi, cioè direttamente ostili a Dio ed alla Chiesa ; e poco a lei o nulla cale, non diciamo che le anime vadano perdute, ma che la società decada ogni dì più e precipiti, e la stessa decantata libertà sia oppressa, purché insieme con essa sia incatenata ed oppressa la Chiesa, e sia affievolito nelle mol-

ptiarum effectibus, qui procul dubio ad ipsum unice spectant, profecto consuluit. Cur igitur nunc, nec ipsomet, ut vocant, civili matrimonio contentum, hoc insuper praemitti iuberet ? Num forsan ut matrimonia, admodum rara, quae a conscientia nuncupantur, quaeque eadem Ecclesia nonnisi urgentissimis causis impulsa concedere solet, opportune impediat ? Sed lex quae natura sua ad commune bonum ordinatur, aegre prorsus inutili cura circa singulares, eosque rarissimos casus distinentur ; quorum causa metuendum non est, ne publica pax atque tranquillitas, quae quidem politicae auctoritatis proximus finis est, aliquando turbetur : cumque eadem lex sit quaedam iuxta rectam rationem ordinatio, ea impedire nunquam posset, quominus in hisce eventibus id peragatur, quod et optima morum regula, et animarum aeterna Salus omnino exigit. Etsi vero ipsamet huius legis, quae intentatur, indoles, quo tandem illa spectet, per se ipsa haud satis ostenderet ; a quonam eadem lex inspiretur ac promoveatur inspicere satis esset. Neque enim est arcanum mysterium, sed res omnibus plane manifesta, Sectam, quam Massonicam vocant, hanc novam Ecclesiae inferendam iniuriam iamdudum excogitasse: nunc vero ut id assequatur, suos asseclas hanc ipsam eidem infligere iubet. — Huius quidem nefariae Sectae consilia

titudini e spento a grado a grado il sentimento cristiano.

semper et ubique eadem sunt, Deo nimirum atque Ecclesiae infesta ; eiusque parvi aut nihili refert, haud equidem dicimus civium animas aeternum perire ; sed universam humanam Societatem in dies magis deficere ac tandem praecipitari ; ipsamque adeo decantatam libertatem omnino obrui atque opprimi, dummodo simul cum illa compendiatur et opprimatur Ecclesia, atque in populis christianus sensus debilitetur. ac pedetemtim extinguatur.

Per fermo non resta ornai che una amara ironia la parola di libertà in bocca a coloro che pretendono regolare a discrezione un diritto che ogni uomo ha da natura, l'esercizio del quale precede la costituzione della società civile: essendoché questa ha per immediati elementi le famiglie, le quali vengono formate e costituite dal legame coniugale. Più grave poi apparisce la violenza che si fa alle coscienze, quando una tal legge vuole imporsi ad una nazione cattolica ; la quale fedele alle avite tradizioni, e più prossima per singoiar privilegio, al centro dell'unità, sente più vivamente lese per quella legge le sue più sacre convinzioni e la sua fede. Nulla giova il ripetere che lo Stato lascia poi la libertà di unirsi in matrimonio anche innanzi alla Chiesa; poiché si lascerebbe con ciò uguale libertà di non presentarsi alla Chie-

Profecto iam aliud non est, quam amara ironia, libertas in ore eorum, qui pro suo ingenio ius moderari audent, quod quivis hominum sibi ab ipsa natura inditum possidet, et cuius exercitium ipsam civilis Societatis constitutionem praecedit ; quum huius proxima elementa singulae civium familiae sint ; quae quidem coniugali vinculo efformantur et constituuntur. Gravior autem, quae hominum conscientiis infertur, vis proditur, cum haec ipsa lex catholicae nationi vel invitae imponitur, quae insiitutis ac disciplinae a maioribus transmissis firmiter inhaerens, et catholicae unitatis centro, singulari Dei beneficio, omnium proxima, certa ac sacra animi sui sensa fidemque per istam legem vehementius laesa esse praesentia Nec vero adiicere quidquam iuvat, per civile Regimen cuique civium libertatem relinqui , Matrimonium, si placeat,

sa, introducendo per via di fatto l'erronea persuasione, che col solo rito civile si viva in legittimo matrimonio, mentre invero non si ha che un concubinato abbominevole. Senzachè, se poi la Chiesa, per giusti motivi, non potesse congiungere in matrimonio quelli che già sono civilmente legati, sarebbero essi costretti ad un celibato pel quale non hanno nè volontà ne vocazione, ovvero a condurre la vita in una illecita e scandalosa unione.

Nè già si usa violenza alla sola libertà dei contraenti, ma a quella pure dei testimoni ; e questa violenza è tanto più odiosa, in quanto che da confidenti ed amici, quali sarebbero scelti in casi di necessità, si vorrebbe convertirli in vili delatori a tradimento dell'amicizia. Somma finalmente sarebbe da riputarsi la tirannia esercitata contro i Ministri del Santuario, non peraltro vessati e puniti che per aver prestato il loro ministero ad un atto di assoluta pertinenza dell'autorità ecclesiastica, e per motivi sacrosanti di moralità e di eterna salvezza delle anime ; per avere cioè agito secondo la coscienza e il dovere. E quasi fosse poca offesa alla libertà comune quella che nasce dalle determinate prescrizioni della legge, si vuole accrescerla colla inaudita severità delle pene comminate : severità che appalesasi partigiana ed ostile, quando si esercita da uno Stato che pre-

etiam coram Ecclesia deinceps celebrandi ; par enim hac ratione libertas haud se Ecclesiae sistendi linqueretur, inducta hoc ipso facto nefaria opinione, solo ritu civili legitimum iniri coniugium, cum id reipsa, si quis ea utatur, aliud non sit, quam abominandus concubitus. Praeterea si quando Ecclesia iustis de causis matrimonio eos iungere nolit, nequeat, qui civili ritu peracto, utcumque copulati sunt, iidem tum vel caelibes permanere , ad quem vitae statum suscipiendum nec propria voluntate trahuntur, nec divinitus vocantur ; vel in illicito atque infami concubinatu degere vitam profecto adigerentur. Neque vero sponsorum tantummodo, sed et testium libertati vis infertur; quae quidem vis eo odiosior est, quo hi ex. amicis ac familiaribus, quales urgente necessitate deligi solent, in vilissimos delatores, atque amicitiae proditores per istam legem vi, ac minis, ni deferant, propositis, converterentur. Summa demum reputanda' esset tyrannides in sacros Ministros exercita, qui non aliam ob causam vexati plecterentur, quam quod proprio officio in muneribus , quae ad ecclesiasticam auctoritatem absolutissime spectant, exercendis, et quidem ob sanctissimas honestatis servandae , atque aeternae animarum salutis curandae rationes, perfuncti essent; id est quia iuxta rectam conscientiam suo iidem officio satisfecissent.

tende nel resto della sua legislazione mostrarsi informato alla mitezza dei costumi e dei tempi. Esso appunto che abolisce o mitiga il castigo dovuto a gravissimi delitti, si avvisa intanto di aggravar la mano solamente per opprimere i fedeli ed i sacerdoti, i quali seguendo la voce della propria coscienza, ubbidiscono a Gesù Cristo ed alla sua Chiesa. E quanto ai parroci, a nessuno può sfuggire l'affettata ignoranza o la contraddizione dei legislatori ; che mentre fanno le viste di compatirne la povertà, e danno a intravedere provvedimenti diretti a migliorarne la condizione, deliberano poi di sottometterli a multe enormi, che non potranno mai soddisfare.

Quasi vero communi libertati parva esset offensio, quae ex certis huius legis praescriptionibus exoritur, eamdem severissimis etiam intentatis poenis Legislatores augere student. Quae quidem severitas partium studiosam atque hostilem se prodit cum ab eo civili Dominatu exeiitur, qui in ceteris suis legibus, iuxta morum ac temporum rationem, mitem se facilemque iactat. Ipsemet enimvero, qui poenas gravissimis facinoribus debitas vel abolet, vel mitigat, idem manus ut catholicos tantummodo ac sacerdotes, opprimat, qui quidem conscientiae vocem auscultantes, Iesu Christo eiusque Ecclesiae morem gerunt, saeviendo premere non veretur. Quod vero ad Parochos attinet, affectata Legislatorum ignorantia, vel aperta sibi ipsis contradictio neminem latere potest : qui dum Parochorum inopiam commiserari simulant, multa sive iam statuta, sive brevi statuenda proferunt, iactant, eiïutiunt, quibus affatim per se provisum fore aiunt, ut illorum vitae conditio melior reddatur : Parochos ipsis gravissimis interim mulctis, quas iidem fortasse nunquam solvere poterunt, subiiciendos deliberant.

Ecco pertanto in breve il giudizio che deve portarsi sul nuovo disegno di legge, di cui Ci occupiamo. Esso usurpa i diritti della Chiesa, ne inceppa la salutare azione, e ne stringe sempre più

En itaque paucis verbis iudicium, super novae huiusmodi condendae legis, cle qua hic per Nos agitur, proposito omnino ferendum. Hoc siquidem Ecclesiae iura sibi usurpât : salutarem illius actio-

le catene con grave danno delle anime. Lede la giusta libertà dei cittadini e dei fedeli, promuove e sanziona unioni illegittime ; apre la via a nuovi scandali e disordini morali. Turba la pace delle coscienze, e rende più acuto il dissidio tra la Chiesa e lo Stato : dissidio al tutto contrario all'ordine stabilito dal Creatore, meritamente biasimato e deplorato da tutti gli animi onesti, e del quale per certo non fu mai vera causa la Chiesa.

nem compedit et vincula, maximo animarum detrimento, magis magisque constringit : iustam aequamque laedit civium et Catholicorum libertatem : illegitimas consuetudines promovet et sancit, novis demum scandalis, ac moralis ordinis perturbationibus latam viam pandit; animarum insuper pacem turbat acriusque reddit Ecclesiam inter et Civile Regimen dissidium; dissidium, inquam, quod rerum ordini a Deo Creatore constituto prorsus oppositum ; quod omnes honesti cives iure merito improbant atque deplorant, et cuius profecto vera causa nunquam Ecclesia fuit.

Voi dunque, Venerabili Fratelli, che avete già appreso il pericolo, confortati ora dalla Nostra parola, unite la vostra voce alla Nostra, per istruire il gregge alle vostre pastorali cure affidato sulla natura della divisata legge, sul vero scopo a cui tendono i suoi promotori, sui gravi danni che recherebbe se fosse sancita, affinchè i fedeli non si lascino abbagliare alla falsa luce, in cui coloro ipocritamente la presentano, nè ingannare ai vani sofismi, onde tentano sostenerla, infondete loro coraggio, acciocché per tutti i mezzi che tuttavia sono lor consentiti, facciano risonare altamente i loro reclami dettali dal dovere di difendere la tranquillità ed il decoro delle famiglie, da quanto vi ha di nobile e di onesto nella loro natura, e

Vos igitur, Venerabiles Fratres, qui periculum iam animadvertistis , nunc vero verbis hisce nostris confirmati, nostrae et vestram vocem, ut gregem pastorali curae vestrae commissum, quaenam sit vera huius legis indoles edoceatis, opportune a d i i c i t e ; quinam praeterea scopus, quo eiusdem auctores spectant, quamque gravia damna, eadem lex, si quando sancita esset, afferret; ne Fideles fucata luce, qua hi eam simulate exhibent, sibi mentis oculos perstringi, neque fallacibus sophismatibus, quibus eamdem sustentare adnitantur, se decipi sinant. Animum iisdem Fidelibus addite, ut omnibus, quibus adhuc uti sibi licet, adminiculis, questus suos, familiarem tranquillitatem decusque protuendi iure officioque, potissima naturae suae

da quanto vi ha di vero e di forte nell'avita loro fede. Facciano sentire che, se sono pronti a rendere a Cesare quello che è di Cesare, non soffriranno mai che si tolga a Dio quel che è di Dio ; e se desiderano diportarsi da' buoni cittadini nella loro patria terrestre, molto più anelano alla patria celeste, ove son chiamati a divenire *cives sanctorum.*

Pel vostro Clero poi, che dà insigni e costanti prove di zelo e di abnegazione, abbiate parole di rincoramento e di carità, perchè nella presente lotta si mostrino degni di Colui che, immolando sè stesso per la salute del mondo , li elesse all" alto ufficio di cooperatori a sì grande opera. Abbiano sì la prudenza di evitare inutili conflitti, ma professino del pari la fortezza di porre gl' interessi di Gesù Cristo, della sua Chiesa e delle anime al di sopra di tutti gli altri. Quando la procella incalza, deve il nocchiero raddoppiare di vigilanza e di alacrità per cessare il naufragio ; ed è questo il tempo, in cui chiunque ha qualche parte nel sacro Ministero deve dire coll'Apostolo : *Libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris.*

dignitate atque honestate, ac demum prestantissima suae Fidei veritate atque excellentia dictatos, quo altius fas est elevent. Palam profiteantur se quamvis ad reddendum Caesari quod Caesaris est, utique parati sint : nunquam tamen passuros esse, ut quod Dei est, Deo auferatur ; et si ut boni cives in terrestri patria se gerere cupiunt, multo magis coelestem Patriam, quo ut sint *Sanctorum cives* advocantur, se expetere.

Vestro autem Clero, qui publica fortiaque zeli et virtutis testimonia populo praebet, vivacioris exhortationis et charitatis verba proferte, ut in hac colluctatione Christo dignos se exhibeant, qui pro mundi salute se ipsum in Cruce immolavit, ipsosque ad tam praeclarum munus fungendum vocavit, atque in hoc adeo excellenti opere perficiendo sibi Socios adlegit. Prudenter quidem se gerant, ut inutiles conflictus évitent : sed pari virtute se praeditos prodant, ut et Dei gloriam, et Ecclesiae dignitatem, et animarum salutem celeris rebus omnibus anteponant. Quando procella vehementius saevit ac furit, tum Nauclerus vigilantiam alacritatemque congeminet oportet ; atque hoc adamussim, tempus est, qui ii, qui in Sacro Ministerio consortes sunt, cum Apostolo dicere debeant. - « Ego autem libentissime impendam, et superimpendar ipse pro animabus vestris » -. 2. Cor. XII 15.

A tale effetto, implorando su di voi tutti, Diietto Figlio Nostro e Venerabili Fratelli, la pienezza dei celesti favori, vi compartiamo con effusione di cuore l'Apostolica benedizione.

Vaticano, li 8 febbraio 1893.

LEONE PP. XIII.

Cuius rei obtinendae gratia Deum, ut super vos omnes, dilecte Fili, ac venerabiles Fratres, munera sua copiosissime effundat, obsecrantes, Apostolicam Benedictionem toto ex corde vobis impertimus.

Ex Aedibus Vaticanis, die VIII Februarii Anno MDCCCXCIII.

LEO PAPA XIII.

EX S. CONGREGATIONE CONCILI

NUCERINA ET MARSORUM

DECIMARUM

Die 2S Ianuarii 1893.

Sesia. 25 cap. 25 De reformat.

COMPENDIUM FACTI. Postulata geminali praestat, quibus Episcopi Dioecesium nucerinae et Marsorum in respectivis status suarum ecclesiarum relationibus ad S. C. C. elapso anno transmissis in *cap. LY De Postulatis,* relate ad decimarum exactionem S. C. C. iudicium exquirendum censuerunt.

Scripsit itaque Nucerinus Praesul : « Quum italicae leges, quae decimas aboleverunt aliqualem compensationem dederint parochis, valde diíííicile est persuadere incolis sibi adhuc manere onus decimas solvendi, nisi velint aut idem onus redimere, aut circa illud compositionem fecere. Ex altera parte, parochus plerumque est creditor decimarum in foro externo et index in foro interno eorum qui praedictis obligationibus non satisfecerint. Nonne, penes rudes praesertim, putaretur indecorum et periculosum si inabsolutos dimitteret plerosque

suos parochianos eo quod non sibi dederint, saltem per compositionem, quantum ipse velle putaret? Quaenam ergo erit instructio practica de compositione stabilienda, vel de absolutione neganda iis qui neque compositionem fecerint ? »

Et Episcopus Marsorum adiecit : « Decimae sive dominicales sive praediales, nec a parochis, nec ab aliis solvuntur etiam post S. Poenitentiariae Instructionem diei 2 Septembris 1887 omnibus notam. Quid faciendum petimus. »

Disceptatio Synoptica

VOTUM CONSULTORIS. Quaestio ad solvendum proposita, ait Consultor, salebrosa est, et quamdam redolet difficultatem, certo non insuperabilem, quam tamen me ancipitem detinuisse candide fateor. Praxim respicere quisque videt, et cum de agibílibus agitur, res semper nodosa proponitur; difficile enim est extrema vitare, mediamque viam tenere. Agitur in praesenti quaestione de parocho qui in foro externo ius habet decimas percipiendi, et in foro sacramentali, morosos invenit, qui nec decimas solvunt, nec saltem cum eo compositionem inire procurant. Cum autem decimas parocho debitae sint, *materialiter* naturali et divino iure, *formaliter* et quoad quantitatem iure tantummodo ecclesiastico, poteritne inabsolut os dimittere, qui munus suum exequi negligunt, putantes fortassis legem italicam decimas abolentem non esse iniustam, eiusque vi a tali obligatione esse immunes %

Haud ignoro, prosequitur Consultor, quosdam esse Theologos et Canonistas, qui ex parte parochi ius decimas repetendi, et eas solvendi munus ex parte fidelium ita defendunt, ut in nullo casu parocho liceat aut dissimulare, aut reticere ; et fideles ab obligatione eas solvendi numquam esse immunes. Decimas enim merito considerarunt ut Deo debitas: proinde parochus omnia exequi tenetur, ut ius obtineat suum ; et fideles ad debiti solutionem, debent omni modo compelli. Unde ad rem nostram quod attinet, distinguere solebant: aut peccatum, seu non solutio *notoria* est, aut *occulta:* si *no-*

torta est, notorie parochus poterit sacramenta negare : si *occulta,* scilicet in foro sacramentali agnoscit decimas non fuisse solutas, debitores inabsolutos dimittere debet.

Innitebantur doctrinae Tridentini Concilii sess. XXV cap. 12, decernentis, non solventes non debere absolvi, *nisi plena restitutione secuta, cum decimarum solutio debita sit Deo non homini.* Quam dispositionem urget Concilium, subiungens, *eas non dantes aut dare impedientes, rem alienam invadere.*

Nec ut iniusta, vel plus aequo rigorosa videtur haec dispositio ; nam ante Tridentinum in Decretalibus, et in Sexto, tit. de Decimis, passim eadem *non ab hominibus, sed ab ipso Domino institutas esse* asseritur, et retinendas ut verum et proprium debitum : negligentes autem, multoque magis eas dare nolentes, omni ecclesiastica severitate esse cogendus. Et ne quis ab hoc onere causam se eximendi praetendat, Decretales affirmant, esse *debita privilegiata, quae census atque tributa praecedunt,* quemadmodum decernitur in cap. *Cum non sit in homine XXXIII.* Haec aliaque dura verba ibi leguntur, ex quibus abunde patet, Ecclesiam in hac re severitate uti, quia decimas non solvens in segetem divinam manus immittit. Quid ergo mirum si antiqui Canonistae, atque Theologi, eo usque procedunt, ut decimas non solventes in omni casu inabsolutos dimittendus esse edoceant.

Verum severitas ista cum grano salis, ut dici solet, est accipienda : et nisi me mea fallit opinio, in casu speciali proposito, attentis adiunctis, parochum inabsolutos dimittere non posse puto, quos decimas non solvisse cognovit in foro sacramentali.

Praemitto heic agi non de iis, qui satis intelligunt decimas esse solvendas, sed de rudibus, qui legem italicam decimas abolentem, iniustam atque sacrilegum esse non capiunt, immo de iis agitur, quos si parochus dimitteret inabsolutos scandalum, paterentur, quasi vellet absolutionis beneficio privare non solventes, et validiori modo temporalia cu-

rare prae spiritualibus, is taque ad instrumentum lucri educere.

Angelicus D. 2. 2. q. 83. a. 8 ad 5, temporalia aliquando dimittenda esse docet, *ratione scandali quod oritur ex ignorantia et infirmitate, nec admonitione efficaciter dissipari potest.* Quae conclusio ab eodem Angelico firmatur sapientissima determinatione Apostoli Pauli, qui Corinth : 1. 9. licet non ignoraret, eum qui altari inservit, de altari vivere debere, et spiritualia seminanti carnalia debita esse, tamen hac potestate noluit uti, ne offendiculum daret Evangelio Christi, et interim edoceret Evangelii ministros, qua temperantia, discretione, prudentia temporalia repetere debeant, ab iis quibus Sacramenta dispensant. Qua auctoritate utitur Angelicus Doctor, ut explicet, curnam Ecclesia aliquando recedat a decimis percipiendis ; et ut advertit Caietanus in commentario eiusdem loci *satis datur intelligi, quam partim ab Ecclesia debeant temporalia aestimari, et quam facile debeat talia dimittere, ne fideles incidant in tentationem, et in laqueum diaboli.*

Alibi, scilicet qu. 87 a 1 ad 5, idem affirmat. Praemittit, *quod ministri Ecclesiae maiorem curam debent habere spiritualium bonorum in populo promovendorum, quam temporalium colli g endor um.* Porro decimae licet sint debita sacra, tamen bonorum temporalium indolem et naturam non amittunt. Proinde in quantum temporalia sunt spiritualibus subordinari et subiici, nemo ibit inficias. Unde si spiritualia negantur, quia decimae licet requisitae non solvuntur, inordinatio non ferenda, nec tolleranda inde proveniret. Principium ineluctabile est temporalia spiritualibus subdi, et quoties ex temporalibus repetitis spiritualia emittuntur, repetitio aut prudenter differenda erit, aut penitus negligenda, ne requisitis minoribus bonis, maiora nobilioraque, spiritualia scilicet amittantur.

Porro in facti specie, relator postulati affirmat, non deesse fideles, qui onus solvendi decimas negligunt, nec cum parocho compositionem inire procurant, ideo quia ad illud

onus se obligatos non esse putant, et interim ab hac animi sententia certo non recta, licet sit bonae fidei partus, nulla admonitione dissipari potest. Iam si tales inabsolutos dimitteret, unice quia decimas non solvisse cognoscit in foro sacramentali, et ad hoc munus implendum nequit allicere, scandalum praebere mihi videtur, quasi temporalia spiritualibus anteponat. Haec circumstantia gravis, adeo Doctori Angelico vim fecit ut loco citato subiungere non dubitaverit : *Apostolus noluit uti potestate a Domino tradita, ut scilicet acciperet stipendia victus ab iis quibus Evangelium praedicabat:, ne daretur impedimentum Evangelio. Et similiter, laudabiliter ministri Ecclesiae decimas. . . . non requirunt, ubi sine scandalo requiri non possunt propter dissuetudinem, vel .propter aliam causam.* Scandalum ergo, quod rudes paterentur iuxta Angelicum, aliosque Theologos et Canonistas merito consideratur tamquam sufficiens ratio ut decimarum exactio prudentissime differatur. Ita Caietanus 1. c. Layman lib. VI. cap. V. n. 4, et signanter Ioannes Aloysius Ricci decis. 195 part. 4 ex decisionibus Curiae Neapolitanae.

Quod scandalum tur pius efficitur, eo quia a parocho exhibetur, qui ex officio fideles eius sollicitudini et curae concreditos ad sacramenta recipienda frequentiori quo possunt modo allicere tenetur. Interim eos summo bono privat, et sanctificationis media ideo eis recusat, ut a se damnum temporale nulliusque valoris avertat. An expediat, et parocho conveniens sit haec agendi ratio, iudicate Sapientissimi Patres.

Ille ipse qui speciem facti proponit, et postulat quid sit agendum in praxi iure ac merito advertit indecorum esse et inconveniens, parochum creditorem Poenitentiae sacramentum administran tem, inabsolutos dimittere debitores suos. Dedecori ab eo advertito, inordinatione!!! addo, quae inde descenderet. Nam parochus constitueretur et esset iudex in propria causa, quod non licet unquam, quamvis alias sit iudex.

Rationibus allatis aliam subiungere liceat quae si non

eiusdem roboris est eiusdemque efficaciae, non contemnendam puto. Ideo enim Angelicus Doctor et cum eo Theologi non intimae notae, ut Lay man post Caietanum et Suarez, ex una parte affirmant, Praelatos Ecclesiae peccare, si ad decimas solvendas negligentes atque morosos, omni quo possunt modo non cogunt ; ex alia posse ad tempus remittere, et prudenter dissimulare docent, quoties sufficiens ratio aliter insinuare videtur, quia credibile non est Ecclesiam velle ut tanto rigore decimae a fidelibus exigantur. Quod si ad haec gravamina addimus, quibus fideles a gubernio italico praemuntur ultra facultates suas, Ecclesia utpote bona mater quae ad indulgentiam demonstrandam exhibendamque perpetuo movetur et inclinatur, ut occurrat inopiae suorum, eosque ab oneribus allevet, convenit non repetere, sed remittere decimae solutionem. Abhorret enim a quovis imponendo gravamine pia mater, nec fideles suos de sua agendi ratione conqueri posse patitur, et quantum in se est, quamcumque iustae lamentationis removet occasionem. Porro non iniuste de ipsa conqueri possent, si gravaminibus gravamina adderet, dolorem dolori adiiceret, pauperioresqne redderet fideles, quos amore tanto prosequi confitetur, si adeo rigorose exigeret decimae solutionem, et non solventes ab usu sacramentorum repellerei.

Dicet forte aliquis : Decimae adeo debitae sunt, ut eas remittere a parochi potestate non pendeat et fidelibus eas solvendi onus semper incumbat. Unde qui eas dare recusant, et parochus repetere negligens, mortifere peccant. Et revera cum Ecclesiae debitae sint, parocho nunquam licet res Ecclesiae alienare, ut aperte colligitur ab Extravagante *Ambitiosa?. :* fidelibus autem prohibitum e-i detinere res sacras. Quibus omnibus addendum est inconveniens non ferendum ; scilicet si parochus remisse se habet in decimis repetendis, ius praescriptionis fideles-in posterum non incongrue allegaren!, sicque a debito sacro solvendo postea totaliter eximerentur.

Difficultas certo spernenda non est. Adverto iterum de-

cimas *materialiter* et secundum substantiam debitas esse. iure naturali atque divino; *f o-/ «maliter* et secundum quotam, iure ecclesiastico tantum. Iamvero gubernium decimis iniuste abolitis, compensationem substituit, si non ad unguem, partialem saltem. Ipse parochus promissam compensationem repetere potest, salvo semper decimandi iure, nec adfirmata iustitia abolitionis, ut constat ex recenti instruct. S. Poenitentiariae, data die 2 Sept. 1889. Iamvero quod est de iure naturali atque divino, nullo unquam tempore remitti potest, non ita quod debitum est ecclesiastico iure. Quoties enim motivum grave occurrit, Ecclesia non obligat cum gravi incommodo. A fortiori quando debitum ecclesiastici iuris offendit naturale atque divinum, quia in collisione, posterius utpote maius atque nobilius praevalere debet et vincere. Iamvero indecorum esse vidimus, et scandalum parere decimarum repetitionem in administratione sacramenti poenitentiae ; expedit ergo eas remittere, quia scandalum removere si adest, expedit magis quam observantia ecclesiastici iuris. Parochus sine dubio peccaret, si absque ulla causa validâque ratione, decimis renuntiaret, non vero concurrente causa, qualis in proposito casu advertitur. Fideles autem cum bona fide procedant, non formaliter, sed materialiter peccant, quemadmodum materialiter peccare dicuntur qui obligationi in solidum restituendi satisfacere nolunt, qui eamdem in damno inferendo contractam capere nequeunt.

Neque dici potest, parochum alienare res Ecclesiae. Proprie non aliénât, sed circumstantiae singulari coacte obedit, quae aliter insinuât. Seu melius ut monet Suarez, illa non repetitio, et silentium prudens quoad decimas Ecclesiae debitas *non est alienatio honorum Ecclesiae, sed aliquorum reddituum y* quos ex iusta *causa non exigit.*

Nec timenda praescriptio, quae locum habet in foro externo, non interno. Insuper ut quis minorem quantitatem integra decima praescribere possit, semper constare debet de possessione, quae in hoc sita est, ut rectori decimam integram repetenti, negata sit, illeque acquieverit. In casu non

cedit, sed tantum silet. Porro nulla praescriptio, nullaque consuetudo, etiam longissima, praeiudicare debet iuri acquisito, illudque extinguere, quando circumstantia singularis, et vis maior impedit repetitionem.

Propter haec argumenta postulato proposito respondendum censeo, parochum prudenter dissimulare debere, et decimas non solventes, dimittere inabsolutos non expedire.

Quibus praenotatis, suppositum fuit enodandum

Dubium

An et ([liae agendi ratio sive ab Episcopo Nucerino sive ab Episcopo Marsorum tenenda sit in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii die 28 Ianuarii 1893 re discussa, hoc dedit responsum : *Provisum per Instructionem S. Poenitentiariae diei 2 Septembris 1887* (1).

(1) En Instructio, de qua sermo est. Recole etiam Litteras Emi Poenitentiarii maioris, in subiecta materia, quas retulimus Vol. XX, 203.

INSTRUCTIO

Ad Ordinarios locorum in Italia post editam civilem legem super decimarum abolitione.

Ut cleri indemnitati et conscientiis fidelium nuper per promulgationem et executionem legis civilis decimas abolentis in commune discrimen adductis, quantum in praesens fieri potest, consulatur, sacra Poenitentiaria benigne sic annuente Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa XIII, sequentes regulas cum Episcopis aliisque in Italia locorum ordinariis communicat.

I. Imprimis ordinarii, quibus id modis opportunum duxerint, fideles edoceant, ius percipiendi decimas eoclesiae a potestate civili auferri minime potuisse, ideoque fideles ad eas solvendas non secus atque antea omnino teneri, nec quamquam ab onere et obligatione huiusmodi liberari nisi per solam ecclesiasticam auctoritatem posse.

2.. Igitur quo facilior pateat fidelibus via suae consulendi conscientiae, seseque ab onere decimarum solvendarum in perpetuum liberandi, iidem ordinarii eos excitabunt, ut ad iustam decimarum redemptionem, vel etiam, ubi casus ferat, ad aequam super illis compositionem admitti petant. Quem in finem sacra Poenitentiaria de speciali et expressa apostolica auctoritate necessarias et opportunas facultates omnibus in Italia locorum ordinariis harum tenore litterarum tribuit ad quinquennium dumtaxat valituras.

3. Facta autem decimarum redemptione vel compositione pretium earumdem, prudenti ordinariorum iudicio, iuxta peculiaria cuiusque casus adiuncta determinandum, cum stet loco sortis decimarum, collocetur in tuto, honesto et fructifero investimento; fructus vero applicentur beneficiis vel piis locis, quae damnum passa fuerint.

4. Qui decimas nec redegerint, nec super illis ullo modo se composuerint, *et cathedrali aut quibuscumque aliis ecclesiis vel personis, quibus legitime debentur integre persolvere noluerint, non absolvantur nisi plena restitutione secuta* (Conc.

ACERRARUM

PRAEBENDAE POENITENTIARIAE

Die 23 Iulii 1892.

Per Summaria precum

COMPENDIUM FACTI. Die 14 Maii, nuperrime elapsi ad S. C C. litterae pervenerunt, in quibus Episcopus Acerrarum sequentia exposuit ac postulavit: Capitulum Cathedralis constare duodecim canonicis, inter quos tres dignitates et poenitentiarius, qui numerum duodecimum implet. Cuique dignitati et Canonico propriam esse et distinctam praebendam.

Praeter haec extare massam communem, quae, detractis expensis, dividitur inter canonicos et dignitates, excepto poenitentiario, qui fundatus est anno 1828. Omnes canonicos cupere hac massa frui, etsi ista praebeat tantum libel. 100 canonicis quolibet anno ; et poenitentiarium ipsum optare praebendam canonicalem, tum ut vitet officium laboriosum, tum ut ad massae participationem admittatur. Hanc agendi rationem populo offerre admirationem, neque permittere ut habeatur poenitentiarius maturus et optima experientia imbutus, hinc expetere facultatem, inaudito capitulo, cooptandi poenitentiarium inter canonicos ad dictam massam participantes ; et hanc rem facile nunc fieri posse eoquod duae vacant praebendae: aut efficiendi ut ultimus canonicus careat distributione hac donec ab alio sufficiatur in ultima praebenda.

Trid. sess. 25 de reform, c. 12), salvis tamen regulis a probatis auctoribus traditis circa illos qui inopia vel paupertate laborant.

5. Noverint insuper ordinarii tolerari, ut vel ipsi vel parochi aliique, quorum interest, a gubernio petant compensationem pro damno sibi illato, ita tamen ut in huiusmodi petitione nihil contineatur, qviod ad ius de decimis disponendi in laica potestate probandum trahi possit, et expresse significetur compensationem peti titulo tantum legitimae indemnitatis.

7. Denique non omittent singuli ad s. Sedem referre, quanto damno decimarum suppressio suis dioecesibus fuerit.

Ex sacra Poenitentiaria die 2 septembris an. 1887.

CARD. MONACO P. M.

HYPP. CAN. PALOMBI *Secretarius.*

Disceptatio Synoptica.

GRATIA DENEGANDA VIDETUR. Quamvis propositum Episcopi Acerrarum prima fronte laudabile appareat, haud tamen iuri congruere undequaque videretur. Sane si poenitentiarius, veluti primo loco Praesul expostulat, ad participationem communis massae una simul cum undecim canonicis admitteretur, portiones fructuum his debitae imminutionem aliquam perferrent, ac idcirco, contra textum ..in *cap. Si quando, de Rese iptis,* iura primaevis canonicis quaesita laederentur. Haec autem laesio non quidem relate ad singulos beneficiarios, sed in damnum capitularis coetus etiam eveniret, quoties canonicorum novissimus a quota participationis massae communis excluderetur. Etenim contra legem fundationis esset, massae reditibus canonicum aliquem antiquae erectionis privare, eosdemque fructus poenitentiario, cuius fundator nih.l in massam «contulit, adscribere. Ad rem Card. De Luca *De canon, disc 12 n. 13:* « dum novis canonicis proprii ac particulares fructus .assignati sunt, illis contenti esse debe it, neq e praetendere possunt participationem massae antiquae, ubi praesertim ©rectio, seu consensus erectioni praestitus a capitulo ion est purus, sed cum praeservativa proprii praeiudicii. » Cui consonat Hota in Novarien. *Praecedentiae, 3 Iulii 1713 co* ***•an*** *Lancetta, et die 11 Decembris eiusdem anni coram Ba 'ia ligo.* Ceterum cum, ad sensum *cap. Ditatus, de p^ieb.* in fructibus beneficii viritim dividmdis communio sociorum requiratur, -eaque in themate inter poenitentiarium et ceteros canonicos nullimode existat, proposito Episcopi Acerrarum aperte iuris dispositiones obsisterent.

Praeterea Antistitis petitio exhorbitans videri forsan j-osset, eo quod eam excipi postulat, quin capituli sententia a S. C. -exquiratur. Porro *cap. Etsi, de iis quae fiunt a p vie', sine cons. cap.* aperte praecipit capitulum audiendum esse « maxime •super illis quae ipsa capitula contingere disnoscuntur. » Et quamvis S. C. quandoque consensum capituli suppl -re con-

sueverit, attamen ab illius praxi omnino alienum est aliquid decernere, quin prius interesse habentes audiantur iisque congruum tempus ad deductiones suas exhibendas concedatur.

GRATIA INDULGENDA VIDETUR. Nihilominus ex adverso animadvertere praestat cum Card. Petra *ad Const. II. Innocent. VI. n. 24, tom. 4.* absonum videri, quod theologus vel poenitentiarius, qui maius onus subeunt, minora emolumenta, quam ceteri simplices canonici, in perpetuum habeant. Qua de causa et S. C persaepe indulsit, ut ambo praebendam opulentiorem semel optare possent, vel etiam iterato, sicut ceteri canonici, hac tamen addita lege, ut quando ad aliquam ex pinguioribus deventum fuerit, isthaec poenitentiario vel theologo destinata in perpetuum intelligatur. S. C. in Mele vitalia, *29 Februarii 1726.* Regien. *Optionis, 7 Iunii et 12 Iulii 1755,* Volterrana, *Iuris optionis 20 Iulii 1793,* Bellunen. *25 Aprilis 1864* etc. Lucidi *tom. 1 cap. 3 n. V.* Porro cum in Cathedrali Acerrarum praebenda poenitentiaria minoribus quam ceterae reditibus et emolumentis fruatur, illius augmento consulendum esse ad iuris tramites videretur. Eo vel magis quia, ut Episcopus refert, misera conditio, in qua versatur canonicus poenitentiarius, frequentibus vacationibus causam praebet, quae profecto salutifero muneri ab eo explendo et proinde sensui Tridentinorum Patrum omnino adversantur.

Neque ad huiusmodi gratiae concessionem necesse videretur capituli consensum vel saltem sententiam exquirere. Siquidem ea provisione, praesertim quae secundo loco ab Antistite proponitur, nullum detrimentum ceteris canonicis obvenit, atque aliunde compertum est, bonum publicum fidelium privatorum bono praevalere debere. Insuper cum ex iis quae innuit Episcopus, probabiliter, propositae innovationi obstaret capitulum, cumque illius dissensus iuxta deducta irrationabilis appareat, causa sufficiens adesset ad consensum per S. C. supplendum, uti colligitur ex Sabinen. *2 Iunii 1796,* aliisque relatis in folio Matheranen. *Erectionis Canonicatuum, diei 25 Ianuarii 1738* etc. Quod facilius forsan indulgendum esset, attenta Tridentini mente quae, ut docet Card. De Luca

De benef. disc. 28 n. 2, voluit, omnes provisiones quoad praebendam poenitentiariam sive in prima, sive in successivis vacationibus, Ordinario, absque ulla capituli participatione, competere.

Quibus praenotatis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re cognita sub die 23 Iulii 1892 censuit respondere: *Non expedire.*

LIMANA

SERVITII CHORI QUOAD DISTRIBUTIONES

Die 27 Augusti 1892.

Sess. 24 cap. 12 de reform.

COMPENDIUM FACTI. Cum anno 1543 Praesul Hieronymus De Loyaza auctoritate fretus Romani Pontificis Pauli III, atque catholico Hispaniarum rege favorem praebente, cathedrale capitulum Limae primum instituit, voluit ut stipendia seu reditus omnes canonicorum in quotidianis distributionibus consistèrent. Ita ut absentium distributiones, praesentibus accrescerent.

Haec eadem praeterea etiam clarioribus verbis sancita reperiuntur in choralibus regulis vulgo *consuete* nuncupatis, quas s. Turibius Limanus Archiepiscopus capitulo ecclesiae suae, anno 1593 observandas tradidit. Haud tamen ex actis colligere fas est ad quam pecuniae summam distributiones pro singulis canonicis horis assignatae modo pertingant. Apostolicus enim Peruviae Delegatus id tantum monendum ducit ; olim decimas constituisse massam capitularem, nunc civilis gubernii praestationem, irregulariter redditam.

Praeterea adnotandum est, vi praefati decreti erectionis, licuisse olim canonicis vacationes chorales ad quatuor menses protendere, usque dum anno 1583 Limensis Synodus eas ad mensem tantum cohibuit. Postea vero, ut in adnotationibus

regularum choralium legitur vacation.es tridentinae, idest trium mensium constitutae sunt. Duae insuper admittuntur legitimae abessendi causae, videlicet infirmitas quae voce-*Patitur* in libris capitularibus designari solet, et privilegium seu *Rech.* Adversus praebendatum, qui ficte sese aegrotum diceret, graves constitutae fuerunt mulctae.

Verumtamen, huiusmodi haud obstantibus se veris constitutionibus, plures abusus in chorale servitium metropolitanae ecclesiae Limanae sensim irrepserunt. Apostolicus Delegatus refert, duram esse legem qua rit ut canonicus vel totum acquirat vel totum amittat : ex quo, forsan accidit ut canonici viginti abhinc annis non solvant fallentias. Huiusmodi abusum perpendens capitulum in capitularibus comitiis dierum 11 et 12 Decembris elapsi anni, ac cupiens efficax remedium iisdem afferre, mandatum dabat Decano suo Episcopo titulari Marcopolitano preces S. C. C porrigendi ut quotidianae distributiones ad tertiam dumtaxat redituum partem, iuxta Tridentini decretum reducerentur, atque absolutio et condonatio pro praeterito benigne concederetur. Apostolicus Peruviae Delegatus-antequam hasce preces S. C. transmitteret, Archiepiscopum Limanum audiendum curavit, qui tamen, veluti ex inferius dicendis clarius patebit, votum prompsit capituli petitionibus contrarium.

Disceptatio synoptica.

QUAE FAVENT CAPITULI PETITIONIBUS. AC in primis Capituli Decanus animadvertit, quod licet S. Tridentina Synodus *Sess. 21 cap. 2 De reform,* expresse decreverit servandas esse consuetudines « earum ecclesiarum, in quibus non residentes seu non servientes nihil, vel minus tertia parte percipiunt, » nihilominus ut canonicos aliosque beneficiarios ad chorale servitium debifa assiduitate peragendum excitaret satis esse tenuisse, ut tertia tantum pars fructuum in quotidianas distributiones converteretur. Hinc adnotat, petitionem capituli Limani non modo iuris dispositionibus nulli-

mode adversari, sed imo forsan illis prae vigenti inibi disciplina, plenius congruere. Memorat enim ex S. C. C. praxi exploratum esse, quod ubi praebendae fructus omnes vel fere omnes consistant in distributionibus quotidianis, ut in casu de quo agitur, duae ex tribus earum partibus assumere debeant naturam praebendarum, tertia vero distributionum, quatenus haec strictiori sensu accipi solent. Fagnanus in *cap. de Cetero de cler. non resid.* Schmalzgrueber *Ius Can. eod. tit. n. 49.* S. C. C. in Herden. *3 Martii 1792,* in Firmana *6 Maii 1843 § Tandem,* in Tranen. *20 Decembris 1892* etc.

Ulterius, si verba Tridentini expendantur, aperte inde colligitur, S. Synodum, cum distributionum legem invexit, id praecipue intendisse ut choro addictos de negligentibus faceret diligentes, de tardis assiduos. Iamvero cum huiusmodi finis in capitulo Limano ob severiorem disciplinam obtineri nequeat, ne saluberrima dispositio suo robore destituta evadat, appositione iuris communis iuxta petita consulendum esset. In quam sententiam et S. C. descendisse videtur, cum die 24 Augusti 1867, in prorsus simili casu, capitulo SS. Conceptionis de Chile, ubi reditus canonicorum in quotidianis tantum distributioaibus consistebant et huiusmodi praxis plura incommoda attulerat, indulsit ut distributiones ad tertiam dumtaxat fructum partem reducerentur. Quod autem in themate nimis rigida disciplina occasionem ad legem infringendam praebeat, ita capituli Decanus ostendere nititur; quum fructus beneficiales omnes tribuantur distributionibus, deest praebenda; et ideo canonici omni destituuntur emolumento, tempore vacationum conciliarium. Nam ex Ecclesiae iurisprudentia hoc tempore distributiones canonici non lucrantur, quamvis totus reditus ab eisdem distributionibus confletur, et contraria inolita fuerit consuetudo. Quae consuetudo viget in hoc capitulo; quia canonici per 90 dies a choro aberant, cunctos percipiendo reditus. Qua de re cognita disciplina Ecclesiae universalis praxis capitularis corrigenda est ; quia per eam canonici deberent aut non

frui vacationibus, aut per harum vacationum tempora totis reditibus valedicere.

Commemorat praeterea idem Decanus, iam ab anno 1871 huiusmodi rem a Capitulo ad examen fuisse revocatam atque ad hoc preces die 15 Septembris illius anni Delegato apostolico fuisse exhibitas ab omnibus canonicis subscriptas, quos inter tunc et hodiernus Archiepiscopus accensebatur. Res tamen ex nonnullis causis infecta remansit. Recentiori autem aevo negotium resumptum fuisse, ait, postquam nonnulli canonici a collegis deputati omnia diligenter expenderint et in hanc conclusionem devenerint: magis expedire capitulo eidem , ut, nuncio misso antiquae disciplinae, praxis sumatur Concilii Tridentini, servatis servandis, quoad distributiones quotidianas. Cohaerenter ad huiusmodi votum a capitido deinde resolutum fuisse , prout iam superius dictum est; talemque resolutionem nedum a maiori et saniori parte capitularium, sed etiam a totalitate capituli praesentis approbatam dicendam esse, et quidem sine ulla absentium contradictione.

Hisce distinctius adnotatis, ad praeoccupandam difficultatem, de qua inferius, vix addendum videtur, exploratum in iure esse, quod uno tantum casu in capitulo requiritur consensus singulorum, quando nempe directe et separatim agitur de negotio singulorum seu quando hoc negotium concernit singulos canonicos separatim, et eorum praeiudicium singulariter et primario attingit, secus si secundario : Barbosa *De Canon, et Digna. cap. 38 n. 13.* In ceteris autem casibus attendendam non esse nisi maiorem et saniorem partem capituli praesentis, exploratum pariter in iure est : et maior quidem pars censetur ubi maior est numerus votantium, sanior vero quae constat viris dignitate, aetate, prudentia, pietateque magis conspicuis. Cfr. Reifienstuel *lib. 4 Decret, tit. 11 de his quae fiunt etc. n. 20.* Porro cum in themate de votantium numero iam supra dictum sit, hic addam solummodo, quod relatus votantium numerus reputandus quoque sit veluti sanior pars, respectu capituli, universim sumpti. Etenim inter

praefatos votantes recensentur canonici Magistralis et Lectoralis, aliique tres in dignitate constituti, ex quibus duo charactere episcopali insuper condecorantur.

Demum quae hucusque allata sunt pro prima precum parte, alteram quoque earumdem precum partem benignitati EE. VV. commendare videntur. Ex relatis siquidem factorum adiunctis plane apparere, ait Decanus, nedum praxim harum distributionum hoc in capitulo antiquam esse, sed etiam eius durationem explicari tantum posse ex difficultatibus, quas secumfert antiqua disciplina ; per quam canonicus aut totum percipit, aut totum amittit reditum.

QUAE ADVERSANTUR CAPITULI PETITIONIBUS. Neutram nihilominus precum partem excipiendam esse autumat Archiepiscopus, qui ad id urget imprimis ipsam circa distributiones legem a Concilio Tridentino sancitam in *cap. 3 sess. 21 de reform.* — ibi — « Statuit sancta Synodus, in Ecclesiis tam Cathedralibus quam Collegiatis, *in quibus nullae sunt distributiones quotidiana?, vel ita tenues, ut verisimiliter negliguntur,* tertiam partem fructum et quorumcumque proventuum et obventionum... separari debere et in distributiones quotidianas converti____» Ex qua quidem lege manifeste liquere, separationem tertiae partis fructuum etc. eiusque constitutionem in quotidianas distributiones locum non habere in illis ecclesiis, in quibus distributiones ultra dictam tertiam partem constabiliti reperiuntur, vel etiam prout in themate fructus omnes et proventus locum earumdem distributionum tenent. Idque clarius adhuc manifestum fieri ex eo quod eadem S. Synodus *loc. cit.* expresse addit : « salvis tamen consuetudinibus earum Ecclesiarum, in quibus non residentes, seu non servientes, nihil, vel minus tertia parte percipiunt. »

Hisce in iure ita se habentibus, ponderandum in facto esse subdit Limensis Praesul, peculiarem distributionum disciplinam in sua metropolitana ecclesia vigentem, ex statutis indoli personarum accomodatis fuisse inductam; ita ut si contra ac eadem statuta decernunt, distributiones ad tertiam

fructuum partem coarctaretur, hae verosimiliter negligerentur. Nam canonici innixi certitudini duarum partium ex reditibus alia negotia sequerentur, posthabendo chori servitium.

Neque praetereundum est, Statuta eiusmodi sancita fuisse, cognita indole personarum loci huius.

In quibus statutis eo vel magis insistendum esse putat, quia non integrum capitulum favet modificationi huic, sed minor pars: nec satis perspici datur capituli mens in duobus praecipuis motivis, quibus eiusdem preces pro nova introducenda distributionum disciplina innituntur. Haec duo siquidem haud cohaerere videntur: velle nempe ut reditus fixus in duabus fructuum partibus pro diligentibus et negligentius constituatur; ac simul ut maiori diligentia in posterum adimpleatur chorale servitium, constabilita ad id tertia tantummodo fructuum parte in quotidianas distributiones diligentibus erogandas. Subiungit eapropter Archiepiscopus :... duriorem efficacioremque credimus antiquam disciplinam, per quam poena gradatim applicatur negligentiae maiori aut minori.

Huc igitur rebus perductis, ita quoad primam precum partem concludit idem Archiepiscopus, innixus huius praxis bonitati, per quam Ecclesiae decori et consulitur, et uti decet asservatur memoria S. Turribii praedecessoris nostri, censeo repetendum sit cum S. Stephano I Papa *nihil innovetur, praeter id quod traditum est.* Nam per tercentum annos nemo cogitavit immutare statuta haec, sed religiose servata fuerunt.

Quoad alteram vero precum partem animadvertere satis ducit Limensis Praesul : mihi videtur non omnes praebendati indebite percepisse quotidianas distributiones ; proinde illi tantum qui hoc vitio gravantur recurrant singillatim pro absolutione.

Idque rationi consonum videtur, tum quia haud conveniens forsan esset, ut sanatio omnibus indistincte concedatur sine cognitione causarum, quae diversae pro singulis esse possunt et maiorem vel minorem indulgentiam mereri; tum

quia ex aliquorum culpa totum capitulum negligentiae nota inustum appareret.

Hisce utrinque animadversis, propositum fuit diluendum

Dubium

An et quomodo precibus capituli ecclesiae metropolitanae limensis annuendum sit in casu.

RESOLUTIO. Sacra Cong. Concilii re cognita sub die 27 Augusti 1892 censuit respondere : *Affirmative in omnibus, iuxta preces capituli, praevia absolutione quoad praeteritum.*

EX QUIBUS COLLIGES : I. Dispositionibus iuris plenius congruere ut tertia fructuum pars in quotidianas distributiones convertatur, ceu iubet Tridentinum.

II. Tali dispositione Tridentinum intellexisse, canonicos, aliosque beneficiatus excitare ad chorale servitium debita assiduitate peragendum.

III. Consuetudinem in themate, quamvis duriorem, suo robore destitutam videri, ideoque oportuisse ut res ad ius commune revocaretur, iuxta petita a Canonicis.

S. IACOBI DE CHILE

INDULTI

Die IO Decembris 1892

Per Summaria Precum

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Iosephus Raymundus Saavedra, ecclesiae metropolitanae S. Iacobi canonicus, cum iam 70 aetatis annum exegisset atque diutino et insanabili laboraret morbo, exhibita medicorum fide, ab Archiepiscopo petiit, ut exemptus a chorali servitio declararetur. Re quidem vera Archipraesul, audito Capitulo atque exquisito voto promotoris fiscalis curiae, innixus quorumdam Doctorum sententiae ac ibi inolito usui, decreto diei 7 Ianuarii labentis

anni canonico Saavedra indultum a choro abessendi concessit, addita tamen conditione, quod orator, iuxta consuetudinem in ea metropolitana ecclesia vigentem, sibi in munere hebdomadarii et in altaris servitio aliquem ex canonicis substituere^ Hanc vero conditionem aegre tulit canonicus Saavedra, qui idcirco penes Archiepiscopum institit, ut eam deleret. Cumque Antistes in decretis stetisset, Capitulum, rem S. Sedis iudicio esse deferendam censuit, et S. C. C. adiit humiliter petens: « 1. An canonicus Saavedra ad explendum munus hebdomadarii et servitium altaris, non secus ac ceteri canonici cogi possit in casu. 2. An consuetudo immemorialis huiusce Capituli, vi cuius canonici legitime impediti praefata munia obire tenentur, tamquam obligationem inducens censeri debeat. »

Disceptatio Synoptica.

QUAE FAVENT CANONICO INDULTARIO. Praemittendum est, Capitulum S. Iacobi, tum in collegialibus resolutionibus, cum in petitione S. C. exhibita, vim assertae consuetudinis prorsus denegare, atque idcirco canonico Saavedra in omnibus favere. De huius vero adversa valetudine minime ambigi posse videretur, cum ex allegatis medicorum testimoniis et ipso Archiepiscopi decreto satis comprobata appareat. Neque forsan inutile erit hic animadvertere, in Capitulo S. Iacobi de Chile nullam extare communem massam, proindeque illi qui vices canonici legitime absentis gereret, neque" distributiones, neque alia emolumenta assignari posse.

His adnotatis, Capitulum auctoritatem invocat S. Tridentinae Synodi, quae *Sess. XXIV, cap. 12 De reform.* decrevit : « Omnes vero divina per se, et non per substitutos, compellantur obire officia et Episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti assistere et inservire etc. > Ex quibus verbis scatere existimat, onera canonicorum esse personalia, ideoque illum qui iusta ex causa .perferre ea nequeat ad perferenda per alium haud esse cogendum. Quibus robur addere

conatur allegationibus plurium Doctorum, videlicet Garcia *De Beneficiis p. 3, cap. 2, n. 197.* Fagnani *in cap. Nulla De concess. Praeb. n. 73,* Reiffenstuel *lib. 3. Decret, t. 4 De Cler. non resia,. §. 4, num. 123* et De Herdt *Praxis Capit. p. 4, cap. 28, § 10, n. 4:* qui unanimiter tradunt, praebendatum infirmum ad choralia onera per substitutum obeunda minime teneri.

Neque in themate consuetudinem obstare canonici autumant. Omissa enim inquisitione quoad existentiam assertae consuetudinis, tuentur illam quae afflicto afflictionem adderet et menti Tridentinorum Patrum adversaretur irration abi lem et omni robore destitutam esse. Unde et ad rem legi recolunt apud Ferraris *Voc. Canonicus, art. 5, n. 40.* « Canonici ex iusta causa absentes non tenentur relinquere substitutum, ac per hunc interim servire, non obstante immemorabili consuetudine. » Quod vero S. C. C. praxim attinet, recolam tantum Forolivien. *diei 27 Maii 1829,* in qua, cum quaereretur an clericus Belli canonicus Foroliviensis Ecclesiae, qui ex Apostolico indulto studiorum causa a chorali munere exemptus fuerat, debuisset per alium onus ferre recitationis hebdomadariae per turnum et celebrationis missae conventualis, licet Capitulum obstaret, allegans immemorabilem consuetudinem, responsum prodiit: « *Oratorem non teneri.* »

QUAE ADVERSANTUR CANONICO INDULTARIO. Ex altera vero parte observari posset, superius recensitis Tridentini verbis eos designari, qui ex negligentia et absque legitima causa frequenter choralia officia per substitutum obire solent, hancque interpretationem praxi plurium capitulorum apprime cohaerere. Neque magis ad rem facere videntur congestae ex Doctoribus auctoritates, quae dum infirmum generice a chori servitio per alium praestando eximunt, haud tamen peculiariter loquuntur de missa conventuali et hebdomadam munere per turnum adimplendo. Quin imo de his omnino ius silere videtur, et rem statutis capitularibus et consuetudinibus esse moderandam. Ad rem Barbosa *De Canonicis, c. 31 :*

« qui tenetur per se celebrare iustam habet excusationem si legitime impediatur, adeo ut tunc nec adstringi valeat ad celebrandum per alterum ; qui vero per se vel per alium obligatus est celebrare, etiam si iusto detineatur impedimento, tamen adhuc tenetur per alium adimplere. Ita Navarr. *in mar. cap. 25, n. 154.* Unde merito, ut nullo casu omittat canonicus adimplere onus sibi iniunctum missarum decantandarum, licet infirmus sit vel ex iusta causa absens, solet statuto caveri, ut per se vel per alium sui similem huic oneri satisfaciat. » Ex quibus saltem desumitur, in plerisque Capitulis, illud ipsum in constitutionibus praecipi, quod in metropolitana S. Iacobi de jOhile vi consuetudinis immemorabilis peragi solet.

Post haec igitur et ea corruere dicendum esset, quae contra eamdem consuetudinem in medium prolata fuerunt. Porro cum canonici ipsi huius consuetudinis existentiam fateantur eamque immemorabilem proclament, profecto de illius legitimo imperio haud esset ambigendum. Quanta autem huiusce consuetudinis sit vis in re de qua agimus deprehendi potest ex Tudertina in *lib. 1, Decret. S. C. pag. 86* his verbis relata: Est antiqua constitutio in dicta ecclesia ut canonici qui infirmantur, durante eorum infirmitate, percipiant fructus tam praebendae quam quotidianarum distributionum, sed consuetudo introducta est ut ipsi infirmi fructus tantum praebendae consequantur, non autem quotidianas distributiones: quaeritur in hoc casu an constitutio vel potius consuetudo sit servanda. Sequens vero data fuit responsio : « *Consuetudinem, si legitime praescripta sit, tollere constitutionem.* »

Quibus praenotatis quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii sub die 10 Decembris 1892 censuit respondere: *Ad utrumque affirmative.*

EX S. CONGR, EPISC. ET REGULARIUM

FBRRARIBN.

FUNERUM

COMPENDIUM FACTI. Comitissa ahina Mazza, ex paroecia Ecclesiae Cathedralis, sub die 18 aprilis 1891 e vivis ei ita, volente fratre, ad Ecclesiam S. Spiiillis Minorum Observantium delata fuit, ut ibi exequiae persolverentur. Quibus expletis dictae Ecclesiae S. Spiritus Rector, solemni pompa et magna comitante civium turba, at **pie** excluso defunctae parocho, cadaver ad publicum coemeterium detulit.

Defunctae parochus, ratus agendi rationem Rectoris Ecclesiae S. Spiritus iuri conformem haud fusse, supplici porrecto libello, S. C. Episc. <-t Regul: a hit, s< lutionem petens duorum dubiorum, de quibus ermo mox instituitur.

Disceptatio Synoptica

IURA PAROCHI ECCLESIAE CATHEDRALIS. Defunctae parochus contendit, Rectorem Ecclesiae S. Spiritus, se invito, iure haud potuisse cadaver ad publ b-um «'oem Iurium deferre, duplici de causa; seu I° defectu sepulcri geililitii; oratione solemnis pompae, qua cadaver ad c<•enieteiii m delatum fuit.

Non poterat praeprimis ratione sepdori gentilitii, quia admisso etiam, quod familia M izza, ant act s temporibus, iure sepulturae in Ecclesia S. Spiritus gai td-ref: modo huiusmodi ius amissum fuisset, nedum ex p **iri** e ipsius familiae, nedum ex parte M.norum Obs >rva ltium, erum ratione contrariae consuetudinis ind ictae.

Sane huiusmodi ius a n ssum fuisse aut mat ex parte familiae Mazza, ex eo quod ipsa, cu >< '**i**-c te npore uiili, seu sub dominitione Pontificia, us • haue .nerii, huic privilegio valedixisse censendum est. Sci **ter** , sponte et

voluntarie, per decursum 80 annorum et amplius, suo iure usam haud fuisse, fidem facit testis Tommasi, qui refert, quemdam Iosephum Mazza ab anno 1813 sepulcrum gentilitium in municipali coemeterio extruxisse ; et ex hac die usque ad nostra haec tempora, familiam Mazza iugiter solitam fuisse cadavera suorum defunctorum in crypta gentilitia sepelire.

Secundo loco hoc ius amissum fuisse subdit ex parte Minorum Observantium, cum ipsi a pluribus annis marte proprio, novum pavimentum ita extruxerint, ut tumulatio in antiquis sepulcris gentilitiis impossibilis prorsus evaserit, iam per se patet Religiosorum privilegium et ius extinctum permansisse; notum cum sit, quod: « *privilegili ut cessat ac extinguitur extincta re, cui inhaeret*». Ferraris. V. *Sepultura.*

Verum dato parumper, quod, non obstante nova pavimenti constructione, contradictum hoc privilegium haud amiserint : nihilotamensecius animadvertit, quod in themate Rector Ecclesiae S. Spiritus nullum ius iactitare valet super cadavere defunctae Sabinae, ratione sepulcri gentilitii in praedicta Ecclesia existentis, quia ex parochialibus regestris manifestum erumpit, quod comes Antonius defunctae maritus, *in electo sepulchro* publici coemeterii tumulatus fuit. Iamvero, ait, neminem latet quod ex iuris canonici censura, *mulier sepeliri debet in sepulcliro mariti, etiamsi habeat sepulchrum maiorum.*

Ultimo tandem loco parochus urget eiusmodi ius amissum fuisse rati me constantis consuetudinis in urbe ferrarien. existentis, vi cuius cadavera defunctorum prius e domo ad Ecclesias etiam Regularium privatim referuntur, ut ibi officia funebria expleantur, et deinde solemni pompa ab Ecclesiis ad coemeterium publicum cum assisterliia proprii parochi, qui emolumenta percipit.

Nec de huiusce constantis consuetudinis existentia ullo pacto dubitari posse ; quandoquidem nedum plures testes, omni exceptione maiores ac, sive honestate, sive aetate ac

factorum scientia, fide digni; verum etiam ipse Eminentissimus Episcopus testimonium perhibet.

Consuetudine vero in vado posita, parochus perpendit, tritum in iure esse consuetudines locales in funerum materia vim legis habere : « In funerum materia quamplurimum duci solent consuetudines locorum peculiares, ita ut, si rite introductae, praescriptae et probatae fuerint, vim legis obtineant ». Acta S. Sedis Vol. 13 pag. 179.

Verum , hisce omnibus praetermissis , Parochus asserit Rectorem Ecclesiae S. Spiritus, cadaver defunctae Mazza ad coemeterium solemni pompa deferre haud potuisse quin iura parochialia laederet. Nihil enim in iure tam exploratum est, quam quod defuncti cadaver a parocho sepeliri, a quo sacramenta recepit. Siquidem parochi, quoad sepulturam, *habent intentionem in iure fundatam.* Ferraris *V. Sepultura Cap.20;* cui concinit Barbosa *De potestate Parochi part. 3, c. 36.*

Quin subsumere valeat : « quod iura parochialia exercere nequeant in Ecclesia Regularium : quandoquidem observat, tralatitium in iure pariter esse : « primam reviviscere iurisdictionem territorialem parochorum, quando cadavera exeunt ex Ecclesiis exemptis, ob facilem uniuscuiusque rei ad sua principia regressum, et quia, iuxta forensium adagium, locus regit actum.

Idque confirmari inquit ex resolutione S. C. Episc, et Regul. diei 20 augusti 1878 in cmsa contra R. P. Guardianum Capuccinorum agitata, ubi legitur : « Associationem cadaverum usque ad sepulturae locum adnumerari inter iuria parochialia; ideoque regulariter associatio fieri debet a parocho proprio in cuius paroeciae fines quis decessit et in qua sacramenta recepit. Proinde iniuria Rmi PP. Capuccini associationem cadaveris ad sepulturam peregissent, etiam si locus sepulturae pro illo defuncto realiter esset in Ecclesia eorundem Patrum, quia associatio cadaveris inter parochi iura cooptatur. »

Nec refert quod S. C. C. dubiis a Religiosis Ordinis Praedicatorum propositis respondere censuerit, posse praefa-

tos Religiosos, sine Parochi interventu, processionem ordinare et cadaver defuncti Religiosi cum stola et cruce conventuali ad coemeterium associare ; quandoquidem ipsa S. Congregatio hanc clausulam restrictivam adiecit, scilicet: « Dummodo cadaver deferatur absque solemni pompa, recto tramite a familia regulari proprii conventus tantum. »

Cum itaque in facto consistat, quod Rector Ecclesiae s. Spiritus cadaver defunctae Mazza ad coemeterium detulit more nobilium, solemni pompa ac intervenientibus, praeter Religiosos proprii Ordinis, RR. PP. Cappuccinis et Sodalibus Confraternitatis Bonae Mortis cum Cruce et intorticiis, nec non 60 famulis proceram urbis ferrarien., iisque omnibus cum cereis accensis, parochus concludit associationem defunctae Mazza a Rectore Ecclesiae s. Spiritus peractam, utpote mox citatae resolutioni contrariam, sustineri non posse.

Nec valeret opponere, agi in themate non de regularis, sed de saecularis funere. Parochus enim, innixus doctrinae a Vecchiotti traditae *Instit. canon. Vol. 2, cap. 5. § 62* sustinet, idipsum affirmari posse de associationibus defuncti saecularis : « Ex decisione quae respicit funus defuncti regularis, argumentum duci potest, ut idem prorsus affirmetur de funere saecularis, qui apud regulares electum sibi vel gentilitium sepulchrum habet >.

In tuto autem posito, quod ad Cathedralis Ecclesiae parochum pertinebat ius associandi ad coemeterium cadaver comitissae Mazza, quisque ingenio suo facile percipit, Rectorem Ecclesiae s. Spiritus teneri omnia emolumenta, occasione huiusmodi funeris ab ipso percepta, Cathedralis Parocho restituere, ex eo quod contra ius et indebite percepta fuerunt. Idque etiam in casu, quo praedicta emolumenta bona fide consumpta fuissent; ceu docet S. C. C. in pluribus resolutionibus et praesertim *in Gallien, seu Urbinaten. Iuris tumulandi 30 augusti 1817 ad secundum dubium ¡ in Ariminen. Iuris tumulandi et funeris 18 decembris 1824 ad tertium dubium; et Ilcinen. Funerum et emolumentorum 20 iulii 1878 ad secundum dubium.*

Nec a doctrina SS. Congregationum difformem esse dispositionem Synodi dioecesanae Mattei. Ea siquidem, *Appena. III, part. 3 n. 15,* praescribit: « ut defuncti haeredes proprio parocho oblationes et emolumenta, spolium dicta, persolvant, quae ipsi competerent, si defunctus in Ecclesia parochiali tumularetur.

IURA RELIGIOSORUM. EX altera vero parte P. Procurator generalis, praemonito, exploratum in facto esse, quod •nobilis familia Mazza in Ecclesia s. Spiritus sepulchrum gentilitium habuit et hactenus habet, quodque idcirco ipsi ius sepulturae competit, in dicta Ecclesia existentis : argui posse autumat P. Guardiano Ecclesiae s. Spiritus ius competere cadaver defunctae Comitissae ad publicum coemeterium deferendi, ac proinde ipsum P. Guardianum non esse redarguendum, ex eo quod praefatae Comitissae cadaver ad coemeterium reapse detulerit.

Quod ut evincat in medium profert resolutionem a S. C. Episc, et Regul. die 17 septembris 1880 datam in *una Cavensi et Sumen.,* in qua agebatur de Sodalitio s. Philippi Neri, quod Cappellani cum sepultura in Ecclesia Minorum Observantium habebat.

Porro tunc propositis dubiis :

» 1. An et cui ius competat comitandi cadavera ab Ecclesiis Regularium, quo collata fuere ad explenda funebria, ad commune coemeterium, ubi sepeliri debent.

» 2. An Parochi ius habeant percipiendi emolumenta, quae ab haeredibus dantur sacerdoti isti comitanti cadavera ad coemeterium.

» 3. An Religiosi in associatione cadaverum, de quibus agitur, arcessere debeant Parochum pro comitandis defunctis ad coemeterium,

» 4. An Regulares incedere possint cum stola et cruce conventuali usque ad sepulchrum.

S. Congregatio dicta die 17 septembris 1880 respondere censuit : « Ad primum affirmative, favore Regularium. Ad

secundum negative. Ad tertium negative. Ad quartum affirmative : sine pompa et recto tramite ».

Quibus positis, P. Procurator perpendit P. Guardiani Ecclesiae s. Spiritus agendi rationem praedictis resolutionibus undequaque conformem fuisse; ideoque vel momento temporis in dubium revocari haud posse, ius ipsi competere cadaver defunctae Mazza ad commune coemeterium deferendi.

Post haec gradum facit ad diluendas difficultates ex adverso oppositas ; ac praeprimis denegat, familiam Mazza ammisisse ius sepulturae, quo antea fruebatur, ex eo quod per lapsum 80 annorum huiusmodi iure uti omiserit. P. Procurator enim asserit familiam Mazza hoc iure usam amplius non fuisse a die, qua lege civili vetitum fuit, quominus defunctorum cadavera in Ecclesiis sepelirentur.

Quo posito, autumat familiam Mazza ius sepulturae haud amisisse, tum quia lex civilis vim non habet abrogandi ius canonicum, quod propterea integrum remansit; tum quia tritum in iure est, quod, *contra non volentem agere* non currit praescriptio; tum denique quia in themate agitur de iuribus facultativis, quae, iuxta vulgatum adagium, neque mille annorum non usu amittuntur.

Idem P. Procurator denegat pariter ius tumulandi in Ecclesia s. Spiritus in tenues auras abiisse, quia ob novum pavimentum in dicta Ecclesia a Minoribus Observantibus extructum, tumulatio in antiquis sepulchris gentilitiis impossibilis evaserit. Observat enim, quod tumulationes, post peractum etiam pavimentum, uti antea, possibiles sunt, quia sepulchra gentilitia intacta remanserunt.

Quo vero ad solemnitatem et pompam, qua cadaver Comitissae Mazza ad coemeterium delatum fuit, P. Procurator contendit pompam civilem a pompa ecclesiastica distinguendam esse, ut inde inferat, Regularibus pompam ecclesiasticam, non vero civilem vetitam esse. Cum haec huiusmodi haud sit, ut a Regularibus impediri valeat.

Porro quod ex parte Religiosorum cadaveris associatio itd coemeterium recto tramite et sine pompa peracta fuerit,

nullo pacto ambigi posse videtur, cum in facto consistat, quod P. Guardianus cum stola et cruce conventuali cadaver ad coemeterium detulit.

Tandem quoad emolumentorum quaestionem, quae ex adverso dicuntur a P. Guardiano percepta fuisse, P. Procurator sustinet ea restitui haud oportere, etiam in hypothesi, quod cadaveris associatio non ad P. Guardianum, sed ad Parochum spectaret. Canon enim iuris est, tum tantum decerni oportere sive fructuum sive emolumentorum restitutionem, cum evidentissima mala fides in fructuum vel emolumentorum perceptione interfuerit.

Iamvero, ex hactenus discursis, tam longe abest, quod evidentissima mala fides in themate intercesserit; ut potius iure dicendum sit, quod P. Guardianus in plena bona fide versaretur, cum emolumenta percepit.

Mox dictis si addatur huiusmodi emolumenta a P. Guardiano percepta fuisse pro labore et opere ab ipso impenso et praestito, eo vel magis manifestum erumpit, modo ipsorum restitutionem frustra peti ob vulgatum axioma per omnium ora volitans: *omnis labor optat praemium. Glossa in cap. Charit. 12j (pu. 2.*

Quibus pro utraque parte perpensis, fuerunt proposita diluenda sequentia

Dubia

1. *An P. Guardiano Minorum Observantium, in Conventu s. Spiritus degentium, competeret ius associandi ad commune coemeterium cadaver defunctae Sabinae Mazza in casu?*

Et quatenus negative :

2. *An et quaenam emolumenta Parocho Ecclesiae Cathedralis restituere teneatur in casu?*

RESOLUTIO. S. Congregatio Episc, et Regul. re maturo examini subiecta, sub die 11 martii 1892 prudentissimum responsum dedit: << Dilata. Fiant reassumptiones et scribatur Emo Archiepiscopo ad mentem. Mens est: an reapse legitima adsit consuetudo associandi cadavera a domo ad Ecclesiam modo privato, et huic asssociationi interveniat Paro-

chus: an solemnis associatio ab Ecclesia ad coemeterium teneat locum associationis a domo ad Ecclesiam; et an Parochus intervenire soleat: an casu, quo ius funerandi regularibus competat, adsit consuetudo, vi cuius proventus solemnia associationis ad coemeterium spectent ad Parochum. »

CAUSAE PROSEQUUTIO. MOX adducto S. C. rescripto Emus Archiepiscopus obsequens, retulit: 1. Antiquam esse in urbe ferrarien. consuetudinem, ut defunctorum cadavera a domo ad Ecclesiam sive a defuncto, sive a superstitibus electam •*privatim;* ab Ecclesia vero ad coemeterium *solemniter* eveherentur : 2. In utroque casu cadavera cum Parochi interventu iugiter deferri; 3. Ad Parochum omnes proventus pertinere, qui vel ex usu, vel ex lege debentur ; hac tamen differentia inducta, quod in funeribus, quae *privatim* a domo ad Ecclesiam ducuntur, Parochus tenuem recognitionem tantum percipit; 4. Funus solemne modo locum tenere illius, quod olim e domo ad Ecclesiam tantum peragebatur. Ita ut *unicum* funus e domo ad coemeterium, modo quoque, solemniter ducitur, quoties peculiaris Ecclesia electa haud fuerit r 5. Funus *solemne* haberi, quoties sodalitia, vel familiae Religiosae invitatae fuerint, et cadavera curru primae vel secundae classis evehuntur : 6. Huiusmodi consuetudinum *legitimitatem,* quoad funera in genere, sancitam esse a Synodo Dioecesana anno 1781, seu ante coemeterii municipalis erectionem celebrata ; quo vero ad funera quae ad coemeterii Ecclesiam ducuntur, statutam esse praescriptionibus ab Archiepiscopo Fava anno 1817, seu post coemeterii erectionem promulgatis : 7. In vim consuetudinis in praedicta urbe vigentis, Parocho candelae et mtorticia cedunt, quae in cadaveris delatione, vel delatione expleta, offeruntur. Quod si officium funebre non in defuncti paroecia, sed in qualibet alia, etsi Regularium, Ecclesia peragitur, antequam solemnis ad coemeterium delatio locum obtineat, tunc Parocho quarta tantum pars candelarum competit, quae tum super altaria, tum circa feretrum arserunt.

Hisce habitis, enodanda reproposita fuerunt

Dubia

I. *An P. Guardiano Minorum Observantium Conventus s. Spiritus competeret Jus associandi ad commune coemeterium cadaver defunctae Sabinae Mazza in casu?*

Et quatenus negative :

II. *An et quaenam emolumenta Parocho Ecclesiae Cathedralis restituere teneatur in casu?*

RESOLUTIO. S. Congregatio Episc, et Regul. re perpensa sub die 10 mensis martii 1893 proposita dubia demittere censuit sequenti responso :

Attentis consuetudine et constitutionibus synodalibus

Ad 1um *negative et restituenda esse parocho omnia emolumenta percepta in associatione ab Ecclesia ad coemeterium; et pro quarta varie cerae funeris in Ecclesia, Regulari peracti.*

Ad 2um *affirmative pro omnibus emolumentis.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. In funerum materia magno in pretio habendas esse leges synodales et consuetudines locorum peculiares, quae vim legis obtinent, dummodo rite introductae, praescriptae et probatae fuerint.

II. Defunctorum cadavera a parocho sepeliri oportere, a quo sacramenta receperunt; et parochum quoad sepulturam habere intentionem in iure fundatam.

III. Primam reviviscere iurisdictionem territorialem parochorum , quando cadavera exeunt ex Ecclesiis exemptis, ob facilem uniuscuiusque rei ad sua principia regressum.

IV. Religiosis ius competere, sine Parochi interventu, processionem ordinandi et cadaver defuncti Religiosi cum stola et cruce conventuali ad coemeterium associandi, dummodo tamen cadaver deferatur absque solemni pompa, recto tramite a familia regulari proprii conventus tantum.

V. Et ex funere defuncti Regularis argumentum duci posse, ut idem prorsus affirmetur de funere saecularis, qui apud Regulares electum sibi, vel gentilitium sepulchrum habet.

VI. Hinc omnia emolumenta, quae occasione associationis ab Ecclesia ad coemeterium percepta fuerunt, utpote contra ius et indebite percepta, defuncti parocho restituenda esse una cum quarta parte cerae funeris in Ecclesia Regulari peracti.

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

DUBIUM de matrimoniis coram ministro acatholico contractis.

Die 18 Maii 1892.

Dubium S. Sedi propositum : *Quid faciendum sit de iis Catholicis, qui secundum veterem Dioecesium nostrarum* (id est in Borussia existentium) *usum, licet coram ministro acatholico matrimonium contraxerint, a confessariis sine spedali facultate absolvendi ad sanctissima Sacramenta admissa, sunt?*

S. Congregatio Sanctae Romanae et Universalis Inquisitionis die 18 maii 1892 respondit : *Qui matrimonium coram ministro haeretico ineunt, censuram contrahere : Ordinarios autem vi facultatum quinquenncdhim nedum posse eos absolvere, sed etiam alios subdelegare ad eosdem absolvendos. Qui vero hucusque nulla praevia a censuris absolutione, ab huiusmodi culpa absoluti sunt, iuxta exposita non esse inquietandos.*

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

URBIS ET ORBIS Decreta de pio Exercitio quindecim Sabbatorum in honorem B. Mariae Virginis sub titulo sanctissimi Rosarii.

I.

Abhinc pluribus annis Sodales Confraternitatum sub titulo SSmi Rosarii consueverunt singulare pietatis obsequium Beatissimae Mariae Virgini tribuere quindecim Sabbatis haud interruptis vel immediate ante festum eiusdem B. Mariae Virginis sub memorato titulo, vel etiam quolibet infra annum tempore. Haec autem pia praxis, sacris iam Indulgentiis a Summis Pontificibus pro supradictis tantummodo Sodalibus ditata, in eo sita est, ut nempe singulis praefatis Sabbatis sodales accedant ad sacramenta Confessionis et SSmae Eucharistiae, simulque aliquem devotionis actum eliciant in honorem quindecim Mysteriorum, quae recensentur in marialibus precibus SSmi Rosarii.

Modo vero quum apud Christifideles usus exhibendi huiusmodi obsequium B. Mariae Virgini frequentissimus invaluerit, preces delatae sunt SSmo Dno Nostro Leoni Papae XIII, ut etiam Christifidelibus devote peragentibus hoc pium exercitium caelestes Indulgentiarum thesauros benigne reserare dignaretur. Porro Sanctitas Sua, cui summopere cordi est, ut erga Bmam Virginem sub titulo SSmi Rosarii cultus foveatur et pietas, relatas preces in Audientia habita die 21 Septembris 1889 ab infrascripto Secretario Sac. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae peramanter excepit, et alia quacumque abrogata Indulgentia, quae fortasse pro universis Christifidelibus eidem pio exercitio quomodolibet fuerit adnexa, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, qui in singulis haud interruptis quindecim Sabbatis vel immediate praecedentibus idem festum B. Mariae Virginis sub titulo SSmi Rosarii, sive etiam quolibet infra annum tempore, vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti tertiam saltem SSmi Rosarii partem devote recitaverint, vel aliter eiusdem SSmi Rosarii mysteria pie recoluerint, *Plenariam Indulgentiam,* defunctis quoque applicabilem, semel tantum in uno ex supradictis Sabbatis, uniuscuiusque arbitrio eligendo, benigne concessit; in reliquis vero quatuordecim Sabbatis *Indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum,* animabus in Purgatorio detentis item applicabilem, clementer elargitus est. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sac. Congregationis die 21 Septembris 1889.

Pro Emo ac Rmo Dno C. CARD. CRISTOFORI, *Praefecto*

A. CARD. SERAFINI EP. SAB.

L. % S.

f ALEXANDER EPISCOPUS OENSIS, *Secretarius.*

II.

Ex decreto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, edito sub die 21 Septembris 1889, SSmus Dnus Noster Leo PP. XIII Indulgentiarum thesauro benigne ditavit singulare pietatis obsequium quod Christifideles tribuunt Beatae Mariae Virgini sub titulo SSmi Rosarii quindecim Sabbatis haud in-

terruptis vel immediate ante festum eiusdem B. Mariae Virginis sub memorata invocatione, vel etiam quovis anni tempore. Verum experientia compertum est plerosque inter fideles, ii potissimum qui ad classem operariorum pertinent, feriatis diebus admodum difficile huiusmodi pium exercitium in honorem Deiparae Virginis praestare posse, proindeque Indulgentiis eidem adnexis omnino privari. Quae SSmo Dno Nostro preces admotae sunt, ut quoties Christifideles legitimo impedimento detineantur quominus praefatum pium exercitium die Sabbati peragere valeant, eis daretur absque Indulgentiarum iactura illud explere die Dominica. Has porro preces relatas in audientia habita die 17 Septembris 1892 ab infrascripto Secretario eiusdem Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, idem SSmus peramanter excipiens, pro gratia annuere dignatus est; aliis ceteroquin servatis conditionibus in supradicto Decreto iam praescriptis pro Indulgentiis assequendis eidem pio exercitio attributis. Praesenti in *perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 17 Septembris 1892.

FR. A. CARD. SEPIACCI *Praef.*

L. & S.

f ALEX. ARCHIEP. NICOP. *Secretarius.*

DECRETUM Tertii ordinis saecularis S. Francisci Assisiensis.

Huic Sacrae Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae sequentia dubia, quae Tertiarios Saeculares S. Francisci Assisiensis aliorumque Ordinum respiciunt, dirimenda sunt proposita :

I. *An Tertius Ordo Saecularis S. Francisci teneatur lege illa a Clemente Papa VIH in Constitutione* « Quaeritur » *d. d. 7 Decembris 1604 statuta, qua praecipitur unam tantum Confraternitatem et Congregationem eiusdem nominis et instituti erigi posse in singulis civitatibus et oppidis ?*

II. *Utrum ad erigendam novam Congregationem Tertii Ordinis sive in Ecclesiis Regularium sive non Regularium necessario requiratur consensus Ordinarii loci?*

III. *Utrum Episcopus loci visitare possit Tertiariorum Congregationes etiam in Regularium ecclesiis ?*

IV. *An religiosi, qui sua iam vota nuncupaverunt in proprio Instituto approbato vel ab Apostolica Sede, vel ab Ordinario loci, ante decretum in una Veronensi editum sub die 16 Iulii 1886 et iam Tertio Ordini S. Francisci adscripti reperiebatur, post praefatum Decretum adhuc pergant ad eumdem Tertium Ordinem pertinere eiusque gratiis et privilegiis gaudere ?*

V. *An saeculares Tertiarii Franciscales ingredientes religiosum aliquod institutum, etiam ante religiosam professionem teneantur dimittere habitum Tertii Ordinis, et hoc ipso non amplius per fruantur eiusdem gratiis et privilegiis?*

VI. *An idem Veronense Decretum vim legis habeat etiam pro Tertiariis ceterorum Ordinum, puta Ordinis S. Dominici, SSmae Trinitatis etc. ?*

VII. *Possunt ne fideles, qui ad unam Congregationem Tertiariorum pertinent, transire ad aliam pariter erectam in eodem vel alio loco, quin Indulgentias et Privilegia amittant*[1] *?*

VIII. *An Tertiarius Franciscalis possit transire ad alium Tertium Ordinem alterius Regulae eoe. gr. ad illum S. Dominici etc. et vicissim ?*

IX. *An fideles, qui inter Tertiarios unius Ordinis fuerint cooptati, cooptari etiam valeant inter Tertiarios alterius Ordinis, puta S. Dominici, vel SSmae Trinitatis etc., ita ut aliquis Christifidelis evadere simul possit Tertiarius Fraaciscalis, S. Dominici, SSmae Trinitatis, Ordinis Carmelitiei, et ita porro ?*

X. *An expediat concedere omnia privilegia, gratias et indulgentias a Summis Pontificibus directe et speciatim primo et secundo Ordini S. Francisci concessa extendi etiam ad omnes qui Tertio Ordini saeculari nomen dederunt*[1] *?*

XI. *An expediat concedere Indulgentiam* Portiunculae *nuncupatam, ab omnibus fidelibus toties die 2 Augusti lucrandam, quoties quamcumque visitent ecclesiam, in qua legitime erecta est Congregatio Tertii Ordinis Saecularis S. Francisci ?*

XII. *An expediat concedere Tertiariis saecularibus S. Francisci ut lucrari valeant Indulgentias tam omnibus fidelibus Ecclesias Franciscales visitantibus concessas, quam illas quae Tertii Ordinis saecularis sunt propriae, ea conditione, ut Ecclesiam parochialem visitent in omnibus illis locis, ubi neque Ecclesiae Franciscales primi, secundi aut tertii Ordinis regularis, neque Oratoria publica tertii Ordinis saecularis aut alia*

Ecclesia in qua canonice erecta sit Congregatio tertii Ordinis saecularis existant?

XIII. *An tertiarii saeculares S. Francisci degentes in locis, ubi nulla adsit eorumdem Tertiariorum constituta Congregatio, recipere valeant Benedictionem papalem bis in anno eisdem concessam a quocumque sacerdote, eo quod vel nequeat accedere, aut saltem difficilis sit accessus ad locum in quo a sacerdotibus debita facultate munitis praefatae benedictiones impertiuntur ?*

XIV. *An saltem expediat praedictis Tertiariis Franciscalibus saecularibus, bis in anno, loco Benedictionis nomine Summi Pontificis recipiendae, duas alias Absolutiones seu Benedictiones concedere eum adnexa, plenaria Indulgentia?*

XV. *Ex Constitutione* « Misericors Dei Filius » *Tertiarii Franciscales gaudent Indulgentiis Stationum Vrbis. Iam vero ex opere cui titulus* « Raccolta di Orazioni e pie opere ecc. » *ad acquirendas Indulgentias stationales praeter conditiones consuetas sincerae contritionis, confessionis et communionis* « a seconda della Indulgenza da lucrarsi » *sufficit visitatio solius ecclesiae ubi est, vel supponitur esse Statio. Quaeritur utrum hoc etiam valeat pro indulgentiis Stationum, quae in supradicta Constitutione Tertiariis conceduntur, ita tit a Tertiariis sit peragenda Confessio ei Communio suscipienda eo tantum in casu, quo concessa est indulgentia plenaria, non vero quando concessa est partialis ?*

XVI. *Utrum, demptis Tertiariis saeetdaribus S. Francisci et Servorum B. Mariae Virginis, quibus per Constitutionem* « Misericors Dei Filius » *et Rescriptum diei 15 Decembris 1883 respective provisum est, Tertiarii saeculares aliorum Ordinum gaudeant communicatione Indulgentiarum sive eum respectivo Ordine, ad quem pertinent, sive cum aliis Tertiariis et eorum Ordinibus ?*

XVII. *Utrum tuta sit opinio, quae docet: Indulgentiis pro Ordine communicante per revocationem Pontificiam sublatis, ceteri quibus illae per communicationem factae sunt propriae, iis frui nihilominus pergant, nisi revocatio expresse etiam ad eos dirigamur ?*

XVIII. *Utrum Tertiarii saeculares cuiusvis Ordinis Indulgentiis tantum gaudeant, quae sibi directe concessae fuerunt, vel aeque principaliter cum aliis concessae fuerunt, dummodo non sint revocatae ?*

Et Emi ac Rmi Patres in generalibus Comitiis ad Vaticanum habitis rescripserunt die 10 Ianuarii 1893.

Ad L *Negative.*

Ad II. *Affirmative.*

Ad III- *In iis quae ad disciplinam et directionem internam spectant negative, in reliquis affirmative.*

Ad IV. *Negative.*

Ad V. *Negative ante professionem.*

Ad VI. *Affirmative.*

Ad VII. *Affirmative ex rationabili eausa.*

Ad VIII. *Generatim negative.*

Ad IX. *Negative.*

Ad X. *Negative.*

Ad XI. *Negative.*

Ad XII. *Supplicandum SSmo pro gratia.*

Ad XIII. *Negative.*

Ad XIV. *Supplicandum SSmo pro gratia.*

Ad XV. *Affirmative.*

Ad XVI *Negative, nisi constet de speciali Indulto.*

Ad XVII. *Negative, imo falsa.*

Ad XVIII. *Affirmative.*

Factaque de iis omnibus Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione in Audientia habita die 31 Ian. 1893 a me infrascripto Cardinali S. Congregationis Praefecto, Sanctitas Sua resolutiones Emorum Patrum ratas habuit et confirmavit, et petitas gratias in perpetuum benigne concessit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 31 Ianuarii 1893.

FR. A. CARD. SEPIACCI, *Praefectus.*

L. * S.

ALEXANDER ARCHIEP. NICOPOLITANUS, *Secretarius.*

LAUDEN. Decretum.

Episcopus Laudensis sequentia dubia solvenda proposuit huic Sacrae Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae, quae respiciunt legem distantiae in erigendis et aggregandis Confraternitatibus servandam.

I. *An adhuc vigeat Constitutio Clementis VIII, qua statuitur ut Archiconfraternitates et Congregationes primariae in singulis civitatibus, oppidis vel locis unam tantum Confraternitatem et Congregationem sibi adiungere et aggregare possint?*

II. *Utrum aliqua sit lex prohibens ne plures, licet in diversis locis, eiusdem nominis Confraternitates canonice erigantur et Archiconfraternitati aggregentur, nisi certa inter eas intercedat loci distantia?*

III. *Utrum legis ordinatio de una tantum in singulis civitatibus etc Confraternitate Archiconfraternitati aggreganda, deque certa inter ipsas Confraternitates loci distantia servanda similiter valeat pro Confraternitate aliqua SSmi Sacramenti, quae Archiconfraternitati in Urbe apud S. Mariam supra Minervam creatae aggregari velit ? Pro negativa sententia haec adduci potest ratio : compluribus in locis huiusmodi Confraternitates SSmi Sacramenti in singulis ac vicinissimis paroeciis institutas esse, privilegiisque ac indulgentiis Archiconfraternitatis gaudere absque ulla aggregatione, sed virtute solius decreti canonicae erectionis.*

IV. *Utrum denique concessio pontificia statuens Sodalitia Filiarum Mariae ubique locorum erigi ac Sodalitati primariae in Basilica. S. Agnetis extra moenia Urbis existenti aggregari posse, sit extendenda ad alias quoque Confraternitates et Congregationes, ea praesertim de causa quod hisce nostris temporibus maxime optandum sit, ut ubique locorum Confraternitatum ac Congregationum multiplicetur erectio, quam etiam Apostolica Sedes iterum atque iterum commendavit?*

Et Emi Patres in Comitiis ad Vaticanas Aedes coadunatis die 10 Ian. 1893 propositis dubiis responderunt :

Ad I. *Affirmative nisi speciali S. Sedis indulto aliae fuerint canonice erectae.*

Ad II. *Ex praxi existente in erigendis Confraternitatibus et in aggregandis distantiam unius leucae esse servandam.*

Ad III. *'Dentur Decreta diei 23 Aprilis 1676, et 22 Apr. 1752.*

Ad IV. *Negative, et consulendum SSmo ut dignetur extendere praefatam concessionem pro Confraternitatibus erigendis m locis distinctis, id est in distinctis dioecesibus vel communitatibus.*

In Audientia vero habita die 31 Ianuarii 1893 a me infrascripto Cardinali Sacrae Congregationis Praefecto, facta de iis

omnibus relatione, Sanctitas Sua responsiones Emorum Patrum confirmavit simulque petitam gratiam, de qua in dubio IV, benigne concessit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 31 Ianuarii 1893.

FR. ALOISIUS CARD. SEPIACCI *Praef*

f ALEX. ARCHIEP. NICOPOLIT. *Secretarius.*

EX SACRA CONGREGATIONE RITUUM

NEAPOLITANA Decretum beatificationis et canonizationis ven. servi Dei fr. Modestini a Iesu et Maria sacerdotis professi ordinis minorum excalceatorum strictioris observantiae s. Petri de Alcantara provinciae neapolitanae.

Instante R. P. Fr. Iulio a Iesu et Maria Sacerdote Professo et Postulatore .Generali Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Minorum Excalceatorum Strictioris Observantiae S. Petri de Alcantara, quum a me infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Praefecto, loco et vice Emi ac Rmi Dñi Cardinalis Thomae Mariae Zigliara Causae Ponentis seu Relatoris, in Ordinariis Sacrae ipsius Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis sequens dubium propositum fuerit, nimirum : « *An sententia Iudicis Ordinarii super Cultu praefato Ven. Servo Dei nunquam exhibito, seu super partitone Decretis fel. rec. Urbani Papuae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur ?* » Emi et Riñi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus rite perpensis, et audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara S. Fidei Promotore rescribendum censuerunt : *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam.* Die 14 Ianuarii 1893.

Facta postmodum de his per meipsum subscriptum Cardinalem Sanctissimo Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit die 4 Februarii anno eodem.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA, *Praefectus.*

L. ✠ S.

VINCENTIUS NUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

EX S. CONGREGATIONE INDICIS

Feria VI, die IO Martii 1893.

Saera Congregatio Eminentissimorum ae Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONE PAPA XIII Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, mandavit et mandat in Indicem librorum prohibitorum referri quod sequitur Opus a Sacra Romanae et Universalis Inquisitionis Congregatione damnatam atque proscriptum Decr. fer. IV, Die 1 Martii 1893.

G. Maggio. — *Pio IX accusato dai nemici di Rosmini.* — Piacenza, Tipografìa F. Solari, di Gregorio Tononi, 1892 sub hoc etiam alio titulo : C. Maggio. — *Leone XIII si può accordare con Pio IX nella causa Rosminianaì* — Alla venerata memoria di Antonio Stoppani. — Lecco, Tipografìa del Commercio dei Fili. Grassi, Via Cavour N. 15, 1893.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedictum Opus damnatum atque proscriptum, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut editum legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus illud tradere teneatur, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO LEONI PAPAE XIII per me infrascriptum S. I. C a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc

Datum Romae die 10 Maii 1893.

CAMILLUS Card. MAZZELLA Praefectus

Loco Sigilli

FR. HYACINTHUS FRATI O. P. *a Secretis.*

EX S. CONG. DE PROPAGANDA FIDE

INSTRUCTIO S. Congregationis de Propaganda Fide ad Episcopos Indiarum orientalium super gentium conversionem.

Qum postremis hisce annis Summus Pontifex Leo Pp. XIII. ad istas Indiarum Orientalium regiones apostolicae Suae sol licitudinis curam convertens ecclesiasticam in iis Hierarchiam instituit, non hoc sibi tantum proposuit ut rei christianae ornamento et dignitati prospiceretur, sed potissimum ut novo firmata praesidio novisque viribus aucta fecundiore cultu ea vigeret et incrementa maiora susciperet. Id quidem probe senserunt harum regionum Antistites, qui praesertim in Synodis hac illae in India post id temporis per opportunitatem convocatis, praeclara quaedam de gentium conversione sanxerunt. Verum ut temporum rerumque opportunitati quae benignissimo Dei consilio offertur, par respondeat etiam in agendo alacritas animorum et felix tandem rerum eventus, advigilare potissimum S. haec Congregatio debet, cui propagandae per orbem fidei cura et officium est concreditum. Et sane ad sedulam hanc vigilantiam cum ipsa rei gravitas, tum praesertim catholicarum Missionum in India conditio vehementer impellit.

Multa quidem ibi solerter constituta ac perfecta sunt ut quibus in locis per europaeos colonos invecta fides consedit spiritualia fidelibus auxilia suppetant. Horum numero accensendae potissimum sunt plures illae stationes quae frequenti sacerdotum ministerio, sacris aedibus, scholis, aliisque aptis ad fidem fovendam institutis satis instructae conspiciuntur. Ex indigenis etiam ad fidem conversis coaluere non paucae eaeque spectabiles christianorum societates, in quibus iampridem enatis ac subinde felici progressione auctis omnis iam fere impenditur opera missionariorum, quos cura stationum europaearum reliquos fecerit. Hi quoque christiani indigenae im-

pense exculti istorum Antistitum et eorum quos socios sacri ministerii habent sollicitudinem exercent et testantur ; meritaeque proinde ipsis ab hoc S. Consilio habentur cum laude gratiae.

Verum maiora iam aggredi decet; amplificandi scilicet inter ethnicos christiani nominis fines, innumerabilique hominum multitudini superstitionis tenebris etiamnunc obsitae fidei lumen invehendum. Id quidem alicubi impigre iam feliciterque praestatur, superatisque ingentibus difficultatibus non pauci infidelium manipuli ad christianam fidem pietatemque traducuntur. Sed quod adhuc aliquorum est laus, id iam oportet ut ceterorum etiam sit labor et decus. Constat enim in quibusdam Indiae provinciis parum ab inito hoc saeculo rem christianam inter ethnicos profecisse, ita ut Indorum plerique, tanta hominum multitudo, nullam adhuc allatam sibi opem ab Evangelii praeconibus senserint, tristique superstitione omnes fere detenti Nomen illud invocare non possint, quod unum datum est hominibus ad salutem. *Quo?7todo enim invocabunt in quem non crediderunt ? aut quomodo credent ei quem non audierunt ? quomodo autem audie?it sine praedicante?* (i)

Porro haec tot misere pereuntium animorum ruina maximam semper huic S. Congregationi curam iniecit; nec eadem umquam pro opportunitate destitit Missionum Moderatores modo singulos modo universos hortari ut adducendis ad fidem ethnicis pro virili parte incumberent. Verum quominus id ex voto succederet plura interiecta sunt obstacula. Ad haec tamen vel removenda vel superanda oportet tandem adniti, ut innumerae gentes a tam diuturna inferni hostis servitute vindicatae in Evangelii lucem et libertatem perducantur.

Haec igitur S. Congregatio per has litteras adeundos censuit singulos Indiarum Orientalium Antistites; iisque peculiares quasdam rationes proponit, quas ipsi pro muneris sui officio inire teneantur ad promovendam gentium conversionem.

(i) Rom. X, 14,

I. Ac primo id in unaquaque Dioecesi praestandum erit, ut.Missiones aliquot statuantur, quae infidelium conversionem uti *proprium peculiaremque finem* sibi praestitutum prosequantur. Quibus vero in Dioecesibus eaedem iam extant curandum est ut primo quoque tempore multiplicentur, ac sensim ad universum Dioecesis territorium extendantur. Seligant ad id Episcopi quae videantur aptissima loca; in quorum delectu id maxime curabunt ut ab europaeorum stationibus dissita sint. Cum vero experimento compertum sit huiusmodi missiones facilius constitui ac vigere ruri in parvis oppidis, eo operam suorum missionariorum potissimum convertant Episcopi, unde uberiores fructus percipi posse videntur.

Apostolicos viros, qui his missionibus praeficientur, ab aliis negotiis curisque expeditos esse oportet, ut totos se infidelibus evangelizandis possint impendere. Cuius rei gratia iubet S. Congregatio ut in singulis Dioecesibus serventur decreta providissime conscita in Synodis Columbensi, Bangalorensi et Allahbadensi in India habitis anno 1887, ut scilicet: *unusquisque Episcopus curet ut Missionarii singuli linguam propriam cuiusque regionis apprime addiscant, et duos saltem ex eis deputet exclusive ad evangelizationem paganorum* (Conc. Columben. n. III, § **3;** Conc. Bangaloren. n. III, § **3;** Conc. Allahabaden. n. III, § **3).**

Hanc quorumdam missionariorum designationem ad ethnicos convertendos faciendam in unaquaque Dioecesi S. Congregatio praecipit, etiamsi id minus commodum accidere videatur, iam constitutis fidelium communitatibus, ad boni Pastoris exemplum, qui nonaginta novem oves relinquere in deserto non dubitat ut deviam quaerat et reducat.

Missionariorum vero nomina, quos ad id operis destinaverint, significabunt Episcopi huic S. Consessui sexto post mense ab hisce litteris acceptis; atque hanc consuetudinem semper posthac servabunt, quoties statis temporibus de suae Dioecesis statu referre debebunt.

Cum autem infidelium conversio multis laboribus sit ob-

noxia, multamque prudentiam ac patientiam postulet, deligantur ad id munus qui apostolicis virtutibus rerumque usu prae ceteris videantur spectabiles. Hi vero ad praemoliendam rem animosque ethnicorum conciliandos studeant caritatis officiis eos delinire, suoque simul exemplo ac magisterio praeseferant eam gravitatem, scientiam ac sanctitatem ut traditae ab ipsis doctrinae virtus et auctoritas consistat. Quod vero attinet ad ipsam Evangelii praedicationem animadvertant *hanc praecipuam apostolatus partem impleri non solum publice et in Ecclesiis, sed praesertim in domibus familiisque privatis* (1): id etiam prae oculis habentes : *in praedicando non subtilitate sermonis sed simplicitate evangelica esse utendum; honorifice pro suo quemque gradu et benigne omites gentiles excipiendos esse, eorum infirmitatibus esse parcendum, eorumque dubia amice et clare et absque oslentatione esse solvenda* (2).

Ceterum quid maxime conferat ad varias gentes pro cuiusque ingenio permovendas res et usus ostendet, cum saepe a parvis" magnarum rerum momenta pendeant. Ne despondeant proinde animum apostolici viri, si initio eorum conatus aut nullos aut levioris momenti successus habere videantur. Non ideo ab incepto desistendum, imo etiam adnitendum est magis ; aliae ad proventum viae tentandae, nec quidquam inexpertum omittendum, donec propitia humanis laboribus Dei gratia adspiret, quae una dat incrementum semini, quod humana utique severit industria ac rigaverit. Ubicumque fere peracta ita res est, constanti animo accurataeque sollertiae cessere tandem difficultates, nec felici successu destituta expectata est.

II. Licet vero Missionum proventus ac reditus tenues admodum prae necessitatibus esse soleant, caveant tamen Antistites ne totos illos impendant usui ac beneficio dumtaxat

(1) Instruct. S. Congregationis de Prop. Fide ad Vicarios Apostolicos Sinarum, anno 1883.

(2) Ibid.

fidelium ; sed quantumcumque demum sit annua summa redituum, sic eam ad varios ministerii sui usus partiantur, ut infidelium conversioni procurandae portio semper aliqua constet. Ouod ut facilius praestent maxime ab aedificiorum sumptu cultuque nimis exquisito abstineant, ut quae supervacaneis pompis decorique minime necessario subtraxerint, impendant levandis gravissimis necessitatibus, nullo nobiliori ornamento Christi Ecclesiam decoraturi quam populorum sibi commissorum fide christianisque virtutibus.

Quoniam vero divinae providentiae consilium id praestituit, ut humana quoque ope consentaneisque naturae modis fulciri atque eniti ad altiora debeamus, meminerint Episcopi sui quoque muneris officiique propriam eam curam esse debere, quae temporalia Missionum bona respicit.

Sane pleraeque nunc in India Dioeceses cum proprios vix reditus habeant, corrogata tantum aliunde stipe externisque subsidiis sustentantur ; id vero nec satis amplum nec satis certum. Quapropter cum etiam futuros Missionum casus longe prospicere oporteat, Sacra Congregatio istorum Episcoporum mentem revocandam censuit ad necessitatem providendi ut proprios certusque proventus aliquando habere Dioeceses in India possint. Curandum est igitur ut stabili quodam patrimonio eaedem instruantur, quemadmodum ad exemplum anteactae aetatis ceptum alicubi in hac ipsa Indiarum regione feliciter est. Ceterum cum tot quae urgent praesentissimae necessitates prohibeant quominus ingens pecuniarum summa conferri ac seponi ad hoc opus queat, id solum S. haec Congregatio ab ipsis Episcopis postulat ut vel tenues quasdam summas identidem per opportunitatem reservantes ad futura Missionum incrementa dubiasque temporum vices, tuto collocare studeant. Hanc autem pecuniae collocationem quonam potissimum modo fieri expediat, singulorum Episcoporum pro cuiusque Dioecesis adiunctis erit inquirere. Ea tamen huic S. Congregationi videtur prae ceteris ratio consulenda ut agri ac fundi rustici per opportunitatem coemantur, qui postea aut

in utilitatem Missionis excolantur, aut indigenis christianis locentur ad culturam.

Denique hac in re studeant Episcopi ea servare quae S. Congregatio Vicariis Apostolicis Indiae per litteras datas die 8 Septembris anno 1869 commendabat his verbis: *Ut autem omnium ecclesiasticorum redituum administratio ordinate procedat, in unoquoque Vicariatu Consilium eidem administrationi constituendum est... Quod quidem Consilium ex nonnullis prudentioribus Missionariis a Vicario Apostolico designandis constare debet, cum quibus ipse Vicarius in- negotiis gravioris momenti aget, eorumque audiet consilia, et cum sermo sit de novis Ecclesiis aut domibus, Collegiis, scholis fundandis numquam aget contra maioris saniorisque Missionariorum partis consilium.*

III. Quod vero ad sacrorum administros attinet, in quibus praecipuum est Missionum robur et firmamentum, in primis parem eorum numerum ex Europa habere curent Episcopi, pro cuiusque Dioecesis amplitudine et incolarum frequentia. Quod etiam praecipuae curae esse debet Moderatoribus Institutorum et sacrarum Sodalitatum, quibus contigerit alicuius Dioecesis culturam esse commissam. Animadvertant porro Moderatores huiusmodi gravissimo se obstringi officio ne penuria operariorum eae Missiones laborent, quas a S. Congregatione excolendas acceperint. Eos proinde obligatio in primis tenet missionarios eo numero suppeditandi, qui ad Missionis necessitates satis sint; tum etiam eorum partes erunt alia humana praesidia atque opes diligenter comparare, quibus Missio indigeat. Quod si impar suis viribus susceptum onus deprehendant, ne graventur S. hanc Congregationem certiorem reddere, ut quod magis e re christiana fuerit ipsa provide statuat.

Quibus vero animi corporisque dotibus instructi esse debeant ii quibus apostolicum munus inter exteras gentes defertur, Sacra Congregatio ita declarabat ad primos Vicarios Apostolicos Seminarii Parisiensis anno **1659** scribens: *Hoc itaque in primis curandum est ut magno studio perquirantur*

ac secernautur viri aetate ac corporis valetudine sustinendis laboribus idonei, tum vero, quod pluris est, non mediocri caritate ac prudentia insigniti; quas virtutes non aliorum iudicium et coniectura, sed diutttmus rerum usus ct experientia, aliis mulieribus cum laude peractis, probaverint; qui secretorum sint capaces tenacesquc custodes; qui gravitate morum, comitale, mansuetudine, humilitate, patientia et omni virtutum exemplo christianae fidei quam ore profitentur opem adsiipulentur; qui denique ad evangelicae caritatis normam ejformati, aliorum se ingenio ac moribus accommodantes, nec sociis quibuscum vixerint graves, nec exteris inviti ingratique reddantur, sed cum Apostolo fiant omnia omnibus.

IV. Verum id pro explorato sacrorum Antistites habeant, una tantum missionariorum europaeorum ope progredi, prouti oportet, rem christianam inter gentes minime posse. Cum enim indigenae eo numero Christo aggregati fuerint, ut iis excolendis omnem missionariorum, qui non ita multi haberi ex Europa possunt, operam attribuii oporteat, iam vix ullus reperietur qui subveniat reliquis infidelibus; omnemque fere Missionis progressum conquiescere ac subsidere necesse est. Proinde numquam se satis propriae Dioecesi consuluisse existiment Episcopi, nisi indigenis clericis instituendis adsiduam, eamque solertissimam operam dederint. Tanti id momenti ab hac S. Congregatione ducitur ad stabile Missionum bonum, quanti nihil fortasse aliud. Ex innumeris huc spectantibus sanctionibus gravissimisque documentis, quae a Romanis Pontificibus alias per se, alias per Sacrum hoc Consilium edita, Sanctae Sedis hac in re miram prorsus sollicitudinem testantur, referre hic solum iuvat ea quae Sacra Congregatio anno 1659 Vicarios Apostolicos Tunquini ac Cochinchinae monebat, scilicet: *potissimam rationem Episcopos in illas regiones mittendi fuisse ut omnibus modis ac rationibus curarent iuventutem illam sic instituere, ut sacerdotii capaces redderentur, et ab eis consecrarentur, ac suis locis per vastissimas easdem regiones collo-* < *carentur rem illic christianam summa diligentia iis dirigen-*

tibus curaturi; itaque hunc in finem incumberent, *ïtt ad sacros ordines quamplurimos et quam aptissimus adducerent, instituèrent et suo tempore promoveant.* Et haec quidem peculiaris cura ad clerum indigenam in regionibus Indo-Sinicis efformandum adhibita, merito inter causas recensetur, cur Missiones illae tot gravissimarum persecutionum impetum fortiter sustinuerint, triumphalique martyrum sanguine fecundatae uberes prae ceteris fructus ediderint.

Toties iteratis hortationibus novum nunc addit S. haec Congregatio incitamentum ; atque istius regionis. Episcopis denuo praecipit ut impensius etiam quam adhuc praestitum universe fuerit, sua studia intendant ad indígenas clericos et numero plures et ecclesiasticis virtutibus instructus efformandos ; et in ipsis exordientis in India Ecclesiae praecipuam procul dubio spem locatam esse arbitrentur. Porro indigenarum horum clericorum numerum una cum numero fidelium succrescere apta proportione oportet, ita scilicet ut pastorum copia suppetat iis qui ad Christi caulas accesserint, et apostolici viri quibus id fuerit demandatum, novis subinde accedentibus operariis, ad promovendam ultra inter ethnicos fidem adlaborare commode possint.

Aucto hac ratione clero illud etiam emolumentum obveniet , ut missionum centris ac subsidiariis stationibus sensim multiplicatis, facilius sacerdotis ministerio frui fidelibus liceat, qui nunc saepe locorum distantia ac difficultate itinerum diutius quam par est spirituali illo pabulo destituuntur, quo nisi identidem recreetur languescit cum pietate virtus.

Hanc igitur quae una patet fidei late provehendae viam, auspice hac S. Congregatione, ingrediantur sine ulla cunctatione Episcopi, bonaque cum spe secuturi prospere eventus. Constat enim nec adeo infrequentes penes Indos esse qui ecclesiasticae militiae nomen dare velint, nec parum opis ad sacrum ministerium haberi in iis, qui rite fuerint ad id instituti. Ceterum cum Christus Ecclesiam suam fundaverit ut omnes gentes ambitu suo complecteretur, non est dubitandum

quin praeclara charismatum dona possint penes omnes populos efflorescere, Eius Spiritu afflante, qui ubi vult spirans infirmas naturae vires erigit ut ad ardua quaeque consurgant. Id potius curandum est ut quae Deus humanae permisit industriae fideliter exequamur. Mature igitur e catholicis puerorum scholis seligantur ii pueri qui ingenio, pietate, moribus praecellere videantur, quique ecclesiasticae vocationis indicia praeseferant. Huiusmodi gratiae germina accuratior educatio foveat atque explicet in apto aliquo Dioecesis Collegio, unde postea quj digni fuerint existimati in Seminarium cooptentur, ut eorum ecclesiastica institutio iis modis eaque ratione perficiatur, quam Ecclesia legibus praescripsit et quae ad finem aptissima rerum usu Episcopis innotuerit; ita ut indigenae clerici ad omnem scientiam pietatemque informati pari educationis cultu cum advenis sacerdotibus conferri possint, et quibuscumque ecclesiasticis muniis obeundis idonei evadere queant. Commemorare hic iuvat Synodos Columbensem, Bangalorensem et Allahbadensem, de quibus supra mentio incidit, quibusque omnes Indiarum Missionum Antistites, licet non omnibus singuli, interfuerunt, decrevisse inter cetera ut *unaquaeque Dioecesis proprium habeat Seminarium pro instituendo clero indigena. Quod si aliqua Sedes suffraganea ex defectu reditîium Seminarium instituere nequeat, Episcopus teneatur suis expensis alumnos indígenas mittere ad Seminarium Metropolitanum* (nn. III, §§ 2).

V. Sacerdotibus indigenis, quorum tanta est necessitas, proximi utilitate succedunt ex ipso laicorum indigenarum coetu selecti catechistae. Quanto emolumento futurum sit in Missionibus huiusmodi genus hominum, plurium locorum ac temporum experientia demonstrat. At vero adiutrix eorum opera praesertim missionarios europaeos iuverit, qui ad ethnicorum conversionem incumbant. Indigenae enim homines cum faciliorem ad populares suos aditum habeant, viam communient Sacerdoti, qui opportune iam comparatos animos proclivioresque minus aegre ad evangelicae doctrinae veritatem deducet.

Huiusmodi autem catechistas probatis omnino moribus esse oportet, idoneaque christianorum mysteriorum scientia praeditos; ea vero gravitate simul atque humanitate ut et conciliare sibi animos possint eosque cum doctrina tum exemplo permovere. Ut tales eos effingant sedulam Episcopi operam impendent, eos a pueris diligenter instituentes. Illud etiam S. huic Congregationi consilium summopere probaretur, alicubi iam magna cum utilitate executioni mandatum, ut quemadmodum clerici in Seminario, sic in Collegio apte ad hunc finem designato catechistae instituerentur.

VI. Inter haec quae breviter hactenus commemorata sunt istorum Episcoporum officia ad rei christianae profectum, illud silentio praeteriri non debet, quod est de instituenda iuventute praecipuum. Quanti momenti sit recta adolescentium institutio ad fidem disciplinamque christianam alte in populorum mentibus cordibusque defigendam, non est cur hic pluribus declaretur. Ut enim nulla magis quam puerilis aetas in omnem partem flecti effingique potest, sic quae tunc suscepta fuerint vitae instituta procedentes aetatis vices haud facile dimovebunt. Iis igitur praesertim in locis ubi primum sata Evangelii doctrina fuerit, firmissimum enascenti fidei praesidium scholae suppeditabunt, per quas recentium fidelium sobóles christiana disciplina mature instituta stabilis veluti nucleus constituitur, qui novis christianorum accessionibus gradatim postea augeatur.

Tum etiam ex apte instructis scholis ea inter alias plurimas manabit utilitas, ut non mediocres catholico nomini per eas concilietur auctoritas, cum soleant indigenae isti homines, atque adeo ipsi civitatis magistratus, vel maxime ex huiusmodi institutis cuiusque religionis dignitatem dimetiri. Sed forte id prae ceteris permovere debet istos Antistites, quod hac ratione maxime obsisti possit haereticorum in India conatibus, qui, Christi nomine simulato, non paucos verae Ecclesiae praereptos sibi per iniuriam aggregant. Id autem cum humanis aliis quibus abunde instructi sunt praesidiis, tum potissimum ope scholarum praestant; illectamque specie

scientiarum ac litterarum iuventutem falsa sua doctrina imbuunt, et haeresum contagione inficiunt. Et quod summopere est dolendum, non desunt e catholicis qui istiusmodi praeceptoribus suos liberos, penuria catholicarum scholarum, educandos tradunt.

Haud sane latet S. hoc Consilium plura istic naviter praestita iam fuisse ut iuventutis educationi prospiceretur ; sed dum collatae in id operae debitae laudes impenduntur, stimuli simul admoventur ut incepto perficiendo alacriter insistant Episcopi. Igitur in id ipsi élaborent ut in singulis Missionibus schola constituatur, in quam convenire debeant catholici pueri ad litterarum et christianae professionis rudimenta addiscenda. In urbibus vero amplioribus magisque conspicuis Dioecesis locis gymnasia etiam iuventuti pateant, ubi liberalioribus disciplinis navare operam possint adolescentes, qui pro suo ingenio aut ampliori quem obtinent in civitate loco in id adspirent. Atque haec quidem Instituta ipsa sibi necessarios proventus sufficere saepe poterunt.

Maximae item utilitatis Collegia erunt, ubi pueri ob oculos Moderatorum commorantes, diligentior! etiam ratione institui ad pietatem et litteras queunt; atque inde maxime prodire poterunt qui postea sacerdotum aut catechistarum vicem, pro rei dignitate, expleant.

Licet vero Instituta huiusmodi pro cuiusque regionis modo excitari in omnibus Dioecesibus debeant, tamen in iis praesertim ubi urbium amplitudo et celebritas, maior ac provectior civilis cultus id postulare magis videatur.

Quod vero attinet ad praeceptores, studeant Episcopi in suas Dioeceses advocare religiosos viros ac mulieres ex iis Sodalitatibus, quae ad iuventutis educationem ex instituto incumbunt. Si vero res postulaverit, iis addi adiutores poterunt ipsi indigenae laici, non mediocri usui futuri.

VII. Haec autem omnia, quae S. Congregatio uti opportunissima ad fidem sive tuendam sive amplificandam subiicit, prae oculis habeant isti sacrorum Antistites in Synodis Pro-

vincialibus proxime convocane!is; eaque collatis consiliis curent sancire decreta, quae propositis rationibus exequendis certo stabilique modo provideant.

Id enim in animum inducant Missionum in India Moderatores, S. hanc Congregationem non hortari modo, sed praecipere ut iis opere praestandis animum applicent, quae praesertim de *ethnicorum conversione* et *de cleri indigenae institutione* praesentes litterae denuo prosequuntur.

Huic S. Congregationis mandato, quod Summi Pontificis aperta voluntas et auctoritas firmat, libentes volentesque obsequantur tamquam nutui ipsius Christi, pro quo legatione funguntur; ipsos quidem certissimo atque amplissimo laborum praemio manente, quemcumque demum eorum opera fuerit sortita exitum. Sed et hunc, Deo bene iuvante, felicem omnino erecto in spem animo expectent. Praesertim cum ingentes difficultates, quibus obsepta res est, nonnihil fortasse temporum opportunitate molliantur. Quippe pacata in India omnia, patefacta itinera, Episcoporum praesidio res christiana ornata ac munita, adsiduoque novorum institutorum appulsu, vetera, gradatim minus firma, cum patria superstitione nutant.

Ne desint igitur occasioni qui acceperunt *ministerium verbi . . . . testificari Evangelium gratiae Dei* (i) coram gentibus; sed quae vicissitudine et humanitate progredientem temporum ultro oblata sunt commoda, ad Iesu Christi gloriam aeternamque animorum salutem nobili conatu transferant.

Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide die 19 Martii anni 1893.

(i) Act. XX, 24.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

MASSILIEN. Decretum beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Ioannis Baptistae Gault, Episcopi massiliensis.

Illustris Galliarum Natio, a suscepta christiana fide semper viros edidit praeclaros. Quos inter recensendus est Ioannes Baptista Gault, qui non modo in Oratorii Congregatione, cui nomen dedit, sed etiam in Episcopatu Massiliensi nobilissimis christianarum virtutum exemplis sacerdotale ministerium mirifice exornavit. Natus Turonibus die 29 mensis Decembris anno 1595, Henrico IV in Gallus imperante, animam Deo reddidit Massiliae die 23 mensis Maii anno 1643. Non una cum mortali vita huius praeclarissimi Praesulis obruit memoria ac nomen, sed adeo potius eius sanctitatis fama percrebuit ac longe lateque ad haec usque tempora diffusa est, ut ad ordinariam Inquisitionem super eadem sanctitatis fama, nec non virtutum et miraculorum in Curia ecclesiastica massiliensi deventum sit. Qua rite expleta et ad Sacram Rituum Congregationem delata, Sanctissimus Dominus Noster LEO PAPA XIII indulsit, ut dubium de signatura Commissionis introductionis Causae eiusdem Famuli Dei agi posset in Ordinario ipsius Sacrae Congregationis Coetu absque interventu et voto Consultorum. Hinc ab Emo ac Rmo Dno Card. Lucido Maria Parocchi huiusce Causae Ponente seu Relatore, instante Rmo Dno Alberto Battandier, Protonotario Apostolico, ipsius Causae Postulatore constituto, attentisque Postulatoriis Litteris plurium Emorum ac Rmorum S. R. E. Cardinalium, nec non pene omnium Sacrorum Galliarum Antistitum aliorumque Virorum tam ecclesiastica, quam civili dignitate insignium, in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, sequens dubium discutiendum propositum est, nimirum: « *An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* » Et Sacra eadem Congregatio, omnibus mature perpensis, et audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: « *Affirmative si Sanctissimo placuerit.* » Die 14 Ianuarii 1893.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro LEONI PAPAE XIII per meipsum infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congre-

gationi Praefectum relatis, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habens, propria manu dignata est Commissionem introductionis Causae Ven. Servi Dei Ioannis Baptistae Gault, Episcopi Massiliensis praedicti signare die 4 Februarii anno eodem.

CAI. CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C. PRAEF.

L. & S.

VINC. Nussi S. *R. C. Secretarius.*

Synopsis vitae servi Dei ioannis Baptistae Gault.

Antiqua in primis perfunctisque publicis muneribus apud Gallos clara fuisse fertur familia Gault urbis Turonensis. Iacobus Gault in uxorem duxit Margaritam Poitevin, aeque nobilis generis feminam, atque ex eorum coniugio Ioannes Baptista primam lucem Turonibus aspexit die 29 Decembris anno 1595, Henrico IV in Gallus imperante. Eodem die quo in lucem editus est, sacro regenerationis lavacro susceptus fuit in Ecclesia Parochiali sancti Saturnini, et sacro chrismate inunctus, quum primum ad rationis usum pervenit. Eius mater, quae ad pietatem summopere proclivis erat, et devotos erga Catholicam Religionem sensus fovebat, vel ab infantia studuit in pueruli animum religionis praecepta instillare, eumque ad virtutem educare; nihilque piae matri iucundius fuit, quam puerulum sanctissima Iesu et Mariae nomina edocere, quae ille infantili innocentia et suavitate repetere satagebat. Inter virtutes, quae in puero magis emicuerunt, morum bonitas ac indolis mansuetudo se explicuit, quae eum toto vitae cursu prosequuta est. Hinc e veniebat, ut si quid asperi vel a familiaribus, vel a sociis in puerilibus ludis pateretur, nunquam vel minimum doloris signum ederet, id quod omnium erga eum amorem et admirationem conciliaverat.

Ut decimum aetatis annum attigit, Patribus Societatis Iesu erudiendus traditur in Collegio Lugdunensi. Sed paterna in domo rudimenta latinae linguae iam edocto, facile ei fuit grammaticae studium absolvere, et statim se adiicere ad humaniores litteras excolendas. Eius vitae ratio, quae hactenus omnibus admirationi erat, quaeque ceteris discipulis ut perfectum exemplar proponebatur, adeo tunc temporis iuxta pietatem omnem, et rectas vivendi regulas composita evasit, ut eius magistri nullum alium discipulum habuisse asscrercnt, qui suis animis tantam consola-

tionem afferret. Studio perfectionis magis in dies inflammatus, et puritatem quam maxime diligens, ex assensu illius, qui ab eius confessionibus erat, votum perpetuae castitatis emisit, quod is fatebatur magnae sibi fuisse utilitatis inter ardua pericula, quibus ille se reperit. Nec minor eius fuit in pauperes commiseratio; aliorum enim miseriarum cogitatio ita eius animum ab omnigenis solatiis alienum reddebat, tantaque fuit liberalitate, ut quidquid pecuniae pro suis recreationibus et solatiis illi obveniret, in pauperes erogaret. Nec tamen ab indefessa studiorum occupatione unquam destitit, sed tam assidue, tamque ardenter studiis incubuit, ut noctes duceret insomnes ad scholasticos labores ad exitum perducendos. Quum vero Ioannes noster se ad Rethoricae studium praepararet, id contigit, quod eius patientiae operosum exercitium praebuit. Eius enim frater, Eustachius nomine, qui longo tempore itinera susceperat, ut patri satisfaceret qui eum negotiis destinarat, Lugdunum rediit, eumque exoravit, ut pro ipso magistri vices gereret. Onus susceptum is optime perfecit, et Eustachius paucos post menses idoneus fuit, ut una cum ipso studiorum curriculum prosequeretur. Postea semper comites in suis studiis fuerunt, eorumque mutuus fraternus amor ab omnibus commendabatur. Amoena litterarum studia, quae duorum fratrum ingenia exercuerunt, eorumque curam et aemulationem excitaverunt, iam locum arduis Philosophiae spéculationibus relinquebant. Quare ambo ad Ficchine Collegium se contulerunt, quod Patres Societatis Iesu moderabatur, ubi Philosophicum studium aggressi sunt, cursuque confecto Ioannes idoneus a magistro habitus fuit,' qui eius munus in docendo susciperet.

Dum tanto animi ardore duo fratres studiis intenti erant, Deus, cuius in arbitrio sunt viae hominum, super ipsos suos oculos posuerat, eosque ad vitam religiosam vocaverat. Huic divinae vocationi alacri animo respondentes, sese totos Theologicis facultatibus dare decreverunt. Quum eo tempore Parisiis doctissimis viris Sorbona floreret, et electa iuvenum ingenia eo undique confluerent ad Theologiam addiscendam, duo fratres nihil haesitantes Sorbonam ceteris Universitatibus praetulerunt. Diu noctuque sacris studiis addicti, tam splendida de suis ingeniis experimenta praebuerunt, ut praeter omnium condiscipulorum et ceterorum admirationem etiam aliquis professor praedicem non dubitaverit, Deum peculiares d*¹-Ioanne Baptista dis-

positiones habere, et fore aliquando tempus quo ipse ceu fulgidum candelabrum in Ecclesia Dei luceret. Nihil iis in sorbonica Universitate desiderandum relinquebatur, ubi paullo post eamdem facultatem Ioannes summa cum laude alios edocuit. Sed enim duo fratres veritatis cupidi Romam pergere curarunt, ut ibi in veritatis centro suorum studiorum perfectionem assequerentur. Omnibus difficultatibus, etiam ex re familiari obvenientibus, superatis, Romam pervenerunt. Facilius quis poterit sibi cogitatione fingere, quam ab alio possit exprimi eorum gaudium, eorum pietas, quum ante conspectum tot se Christianae religionis monumenta exhibuerunt, cuius religionis tam fervens amor erat in eorum animis. Assiduitas in studiis, in Ecclesiis frequentia cum maxima animi modestia coniuncta omnium oculis enitebat, atque etiam prima dignitate fulgentium qualis fuit Cardinalis Barberini, qui praesertim Ioannem Baptistam sua aestimatione et favore semper prosequutus fuit. Post decem et octo menses, quo Romae moratus est, ubi sacris in scientiis sic profecerat, ut de locis theologicis publicum periculum non sine omnium plausu fecerit, cum fratre in patriam revertit, matrique, cui haud multo ante coniux obierat, animum aperuit se ad perfectioris vitae institutum suscipiendum Oratorii Congregationem delegisse, cui una cum Eustachio nomen dare statuerat.

Quanta animi laetitia piissima mater eiusmodi filiorum consilium, qui in viduitate unicum ei erant solamen, acciperet, ex eo patet quod illico ac libenter eorum desideriis obsequuta est, nefas esse cogitans Dei voluntati obsistere, voluitque Lutetium Parisiorum eos ducere et Cardinali de Beruhe tradere, qui memoratam Congregationem instituerat. Tyrocinii cursum Ioannes noster maximo pietatis ardore suscepit duo et viginti annos natus, parifique fervore absolvit, catholicae legis praeceptis coenobiique constitutionibus exactissime servatis. Deinde quum sacros omnes ordines antea suscepisset, ac postea decem dies in solitudine et rerum spiritualium commentatione transegisset, totius anteactae vitae confessione insimul praemissa, in Trecensi civitate ad sacerdotium evectus est summa non eius modo, sed matris etiam laetitia animique voluptate, ac tam pie sacris primitus operatus est, ut mater sacrae huic caeremoniae adstans sibi animo effmxcrit in aeternae beatitatis splendore filium iam cum Deo coniunctum inspicere.

Sacerdotio aiictus vires suas cogitationesque omnes ad chrh

stianas virtutes impensius excolendas direxit et ordinavit, atque ex eo tempore tam eximia in Deum charitate inflammatus apparuit, ut eius gloriae animarumque salutis unice esset studiosus; quin immo promptum se paratumque declarabat ad quoscumque suscipiendos labores vel pericula adeunda in regionibus infidelium, pro quibus sanguinem effundere non dubitasse!. Huiusmodi cum esset animo instructus, sibique proposuisset maiores in solida virtute processus in dies facere, diligentissime studuit cunctas cupiditates cohibere, atque idcirco ne a carnis illecebris et inferioribus animae viribus vinceretur, plurimis poenitentiis ultro susceptis corpus suum edomare consuevit, quibus Cardinalis de Beruhe modum imposuit, ne quid detrimenti eius valetudo caperet.

Haec autem praeclara fuere illius sanctimoniae primordia, quam deinceps Gallia universa aliaeque nationes in Dei Famulo admiraturae erant. Siquidem ob egregias animi dotes quibus exornabatur, gravia illi obeunda munera in Congregatione Oratorii commissa sunt, quae sapientia prudentiaque mirabili semper exercuit. Ad haec sacrae Missiones accessere, ad quas pro sempiterna proximorum salute acriter se impelli sentiebat, sed eas tamen non suscipiebat nisi superiorum iussu, quos summo obsequio prosequebatur. Nihil se ei tam arduum, aut tam extimescendum obiecit, quod a suscepto officio deduceret, nihil quod ardentem eius zelum retardaret. Famis, sitis, frigoris et viarum incommoda suscipienda erant? Fortiter superavit. Haereticorum iniuriae subeundae? Aequo animo tulit. Quicumque esset locus qui eius curae evangelizandos committebatur, eo ibat alacriter, neque ullam excusationem, ullam querimoniam interponebat, licet debili uteretur valetudine. Ad pietatem excitandam, ad devios in virtutis semitam reducendos assiduam concionibus et exhomologesibus excipiendis operam navabat, atque ad eos praecipuam suarum curarum partem transferebat, qui magis spirituali auxilio indigerent.

Qua de re haud pauca fuere charitatis opera quae Deo adiuvante explevit. Nimirum post commorationem in civitate Caenomani, ubi ab Episcopo rogatus in sacra theologia doctoris munus obivit, Matritum missus fuit, ibique, Congregationis domo instituta, quatuor annos transegit praeclarissima exerens charitatis specimina in nosocomio Gallorum, in quo omni ope pauperes aegrotantes adiuvit. Aliud praeterea opus, salebrosum

sane et perdifficile, Servi Dei industriae et laboribus committitur, quum ex superioris mandato Divionem petiit Oratorii domum conditurus. Huic muneri explendo dum ille incubuit ardenter, tot et tam graves in ipsum difficultates et obstacula excitata sunt, ut in eo esset ut ab incoepto desisterei, sed eius constantia animique fortitudo tandem evicit; nam plurimis ad Deum precibus effusis eorum etiam voluntatem sibi conciliavit qui maximopere eius facinori adversabantur. Memoriae itaque traditum est, ea in civitate eximiam eius charitatem ceterasque virtutes mirum in modum enituisse. Scilicet de rebus divinis ad populum sermonem habere, confessionis et eucharistiae sacramenta administrare, aegrotos invisere omnique ratione iis opitulari, carceribus inclusos solari ac ad patientiam fidemque adhortari quotidianum eius vitae exercitium fuit. Sed enim dum heic vehementer insudat ac adlaborat cum ingenti animorum utilitate, triste ad eum nuncium pervenit, eius matrem lethali morbo Turonibus affectam in vitae exitu reperiri. Confestim ad ipsam advolat Ioannes, sed quum sensibus omnibus destitutam invenisset, consolationem solummodo habuit extremis religionis subsidiis ei opitulandi ad mortem rite obeundam.

Quum insuper in Caenomani civitate Oratorii domus esset instituta, Dei Famulus eius Praeses declaratur, qui ut in urbem pervenit, ingenti omnium plausu et laetitia exceptus est ob sanctitatis famam, quam inibi de se iam antehac reliquerat. Interea temporis quoniam Flandriae Episcopi exoptabant in suis etiam regionibus Oratorii Congregationem propagari, Cardinalem de Beruhe enixe rogarunt, ut ibi Oratorii domum conderet. Eorum votis hic libenter annuens, quum Servi Dei prudentiam ac in rebus gerendis dexteritatem alias fuisset expertus, ad hoc munus explendum eum accommodatissimum iudicavit et elegit. Inter varias difficultates opere ad exitum perducto, latissimus patientiae exercendae campus Dei Famulo patuit. Quum enim ex hac missione haud exiguos evangelicae messis fructus collegerit, aegre id tulit humani generis inimicus, atque igitur plures in eum persecutiones excitavit, donec semel haeretici odio perciti tam fortibus baculi ictibus eum percutierunt, ut prope semianimem numi reliquerint.

Armis insuper subacta Rochelle civitate a Ludovico XIII Galliarum Rege, Catholicae religionis principia iis in urbibus restituenda erant quae pravis haereticorum opinionibus imbutae

fuerunt. Quem ad finem statutum est in ea loca Evangelii praecones mittere, Deique Famulus missionibus praefuit, quae in civitate Montis Albani peractae sunt, ubi complures haereticos, eiurato errore, ad fidem Christi reduxit, ipsique administri eius eloquentiam, argumentorum claritatem et dulcedinem admirantes palam dictitabant, neminem unquam audivisse qui simili ratione loquutus esset: quin etiam aiebant, si cuncti catholici sacerdotes eo orationis impetu uterentur, brevi nullum haereticum extiturum. Inde Caenomanum reversus praeter instituta charitatis officia, quibus alacer incubuit, ab Antistita coenobii du Pré rogatus fuit, ut eam adiuvaret in reformatione, quam inibi introducere statuerat, atque eo in negotio, licet difficili et lubrico, moderando Ioannis prudentia egregie emicuit. Interim certior fit eius fratrem lethali morbo laborare in Burdigalensi civitate. Absque ulla cunctatione ad eum accurrit Ioannes, tantamque Eustachius cepit animo consolationem ubi fratrem conspexit, ut pedetentim sanitatem adeptus sit, atque exinde ad valetudinem perfecte recuperandam Turonem petierit.

Quum itaque Burdigalensis Archiepiscopus tempore opportunitatem habuerit Servi Dei virtutes cominus introspiciendi, usque adeo eius virtutibus captus est, ut paroeciae S. Eulaliae fratris loco eum praeficere voluerit. Porro in eo exercendo munere optimi parochi partes explevit ille, eumdem zelum ostendens quem in Missionibus exeruerat, nec concionum dumtaxat ministerio, sed suarum etiam virtutum exemplis fideles sibi demandâtes ad pietatem studiumque religionis incitabat; atque eiusmodi erat apostolici zeli vis, ut nullam propriae valetudinis rationem haberet: imo quantum temporis haberet subsecivi, illud r ure terebat, ut christianae doctrinae praeceptis agricolas institueret. Praeterea assidue confessiones excipiebat, pauperes in suis et animi et corporis necessitatibus sublevabat, aegrotis qui in agris degebant Sacrum Viaticum afferebat, et quum nonnulli ei suaderent ut postremum hoc munus suis Vicariis imponeret, inquiebat se nondum didicisse parochum per procurationem ad aeternam felicitatem pervenire posse.

Vita functo Francisco de Loménie qui Massiliensem Episcopatum obtinuerat, Cardinalis de Sourdis Archiepiscopus Burdigalensis scientiam atque eximias Eustachii virtutes plurimi faciens Cardinali de Richelieu Regis Galliarum administro eum proposuit, ut eidem Ecclesiae praeficeretur: quod reapse evenit

anno 1639. Dum Bullae Roma mittendae expectatur, Eustachius in morbum incidit, et quum fratri episcopalem dignitatem in qua haud diu victurus esset, praetio uisset, inter eius brachia e vivis excessit, cuius obitum christiana aequanimitate Ioannes pertulit, neque efflevit, prouti iamdudum sibi invicem spoponderant. Et sane Cardinalis de Sourdis meliorem successorem ei sufficere non posse arbitratus est prae Dei Famulo nostro: hinc apud Cardinalem de Richelieu plurimum institit, ut Massiliensis Episcopus a Rege nominaretur, qui absque ulla haesitatione precibus annuit. Re ad Dei Servum delata, valde obstupescit et dignitatis onere deterritus negat se, suarum virium infirmitatis conscium, idoneum ullo pacto esse ad tantum munus subeundum, at tandem post multas ab eo preces ad Deum effusas aliorumque orationes quibus sese commiserat, divino fretus auxilio ad Dei gloriam animarumque salutem provehendam oblatam sibi dignitatem acceptavit anno 1640.

Interea temporis dum Bullarum expeditionem opperitur, ut promissa solveret quibus cum Patre de Condren sese obstrinxerat, Augustae Suessonum missioni vacavit, quam tanto cum zelo et labore peregit, ut gravem in morbum inciderit. Medicorum consilio, qui aeris natalis respirationem illi suaserunt, suam in parvam proprietatem Chesneaux nomine secessit, quo impensius, viribus corporis recuperatis, apostolici zeli ardorem in Dioecesi sibi concredita exercere valeret. Iamvero licet in hac commoratione valetudini incumberet, haud unquam tamen omisit pietatis exercitiis sedulam operam navare: etenim quotidie Missae sacrificium peragebat, quotidie Sacra Scriptura et S. Caroli Borromei vita, uti praeceperat, ei legebatur, famulorum eruditioni vacabat, seseque ad episcopatum bene gerendum diligenti praeparatione disponebat, nonnullas sibi praestituens deliberationis pro recta cleri administratione, pro instructione populo tradenda.

Valetudine recuperata, simul ac ad eum Bullae pervenere, decem dies in spiritualibus exercitiis transegit, ut consecrationi se rite disponeret, quam die 5 Octobris anni 1642 Parisiis accepit ab Archiepiscopo Turonensi coram Nuntio Apostolico, plurimis Episcopis et Abbatibus, ac statim ad honoris sui sedem maturat proficisci. Iter faciens Divinum Officium una cum sacerdotibus, qui eum comitabantur, recitabat, aliasque Deo preces imo corde privatim solvebat, ct quum ad oppidum vulgo

Pins nuncupatum pervenerit, ubi certior est factus ibi Dioecesis suae fines extare, e rheda descensus Sanctis Ecclesiae suae Patronis se suppliciter commendavit. Noctu Massiliam ingredi voluit ne publicis honorum signis a populo exciperetur, et Cathedralem Ecclesiam recta petiit orandi caussa, atque exhinc ad episcopalem domum, Praeposituram appellatam, perrexit; quae quum nimis elegans sibi videretur, pauperum nosocomium, iuxta eum vere Episcopis accommodatum, incolere exoptasset.

Sed iam virtutum fama eum Massiliae praevenerat: nam Antonius de Ruffi in historia Massiliensi, quam in lucem edidit priusquam Dei Servus episcopalem consecrationem susciperet, de Eustachii obitu loquens scribit: « veramente questa perdita sarebbe loro (Massiliensibus) stata insopportabile se Messer Giovanni Battista Gault, di lui fratello, non fosse stato scelto dal Re per rimpiazzarlo in quel posto, che le sue virtù gli fanno così meritamente occupare. L'altezza della sua dottrina, e l'integrità della sua vita sono note a tutti coloro che conoscono il suo nome, e lo hanno condotto agli onori ed alle dignità, per quelle stesse vie che aveva esso seguite per evitarle ». Quo factum est ut, licet noctu Massiliam pervenit, eius adventus fama undique propagaretur, atque idcirco plurimi etiam dignitate insignes obsequii benevolentiaeque caussa eum convenerunt, quos humanissime excepit. Quum itaque ingentem visitationum numerum animo prospiceret, ex huiusmodi honore sese voluit eximere, ac postridie eius diei quo Massiliam pervenit, ad Aubagne locum se recepit, ubi Massilienses Episcopi dynastum dignitate fruebantur. Octo post dies quo inibi commoratus est, atque ubi nonnisi iuvenes perquam comiter excepit, quos ad odium peccatorum, ad amorem probitatis animaeque salutem excitavit, Massiliam repetiit, dieque postero post Missae sacrificium ante aram S. Lazari peractum, Divino Officio Missaeque solemni interfuit, atque ea expleta, tanta pietate benedictionem populo, impertiit, ut omnium admirationem amoremque sibi comparaverit. Concionem etiam post Vesperas ad populum habuit, sumptoque eius diei Evangelii textu, nuptiarum Canaë miraculum respiciente, scitissime demonstravit se cum Ecclesia Massiliensi spirituale ac indissolubile coniugium iniisse, atque adeo graves et verae sententiae erant, tantaque in omni gestu ac habitu pietas emicabat, ut vixdum e suggesto descendit, cuncti eum acervatim circumierint, nedum animo benedictionem

accipiendi, sed et vestes eins tangendi venerationis studio quam in illis inspirabat. Hinc quum valde in edisserendo adnisus sit, pectoris morbo quo antea affectus fuerat, rursus laborare coepit, medicisque Aubagne commorationem illi suadentibus respondit se Massiliae Episcopum, minus autem Aubagne dynastem a Deo fuisse constitutum.

Quum igitur in eius animum alte defixum haereret Episcoporum munus in gregis sibi concrediti utilitate versari, statim atque Ecclesiam Massiliensem administrandam suscepit, suas convertit curas ad pietatem in populo .augendam, ad missiones obeundas ac abusus evellendos. Hinc ut ecclesiastica disciplina sarta tecta servaretur, morem abrogavit dispensationem concedendi a duabus publicationibus matrimonii causa faciendis, doctorumque ecclesiasticorum commissionem instituit qui semel in hebdomada cogebantur, ne in Dioecesi negotii aliquid nisi maturo examine susciperetur. Praeterea saepissime conciones habebat vel pastoralibus orationibus ad pietatis officiorumque munera populum informabat, ac primo Quadragesimae die quo de ciborum abstinentia disseruit, plures eius suasionibus inhaerentes ieiunium servare decreverunt, licet ex lege minime devincirentur. Quam ad rem Acta ferunt, sacerdotem, aetate gravem, qui a cibis esurialibus dispensationem imperaverat, piissimi Praesulis verbis permotum, rigidissimum ieiunium egisse, seseque a butyri oleique etiam usu abstinuisse. Brevi pontificatus tempore in deliciis habuit quotidie sacrum facere, confessiones excipere, aegrotos in hospitiis commorantes, monasteria et asyli domus invisere, aliaque charitatis opera in pauperum subsidium exercere, quibus large eleemosynas impertiebatur, haud dubitans eorum intuitu rebus necessariis sese privare. Hinc quum curator rei familiaris de largis eleemosynis cum illo querebatur, aiebat episcopatus bona ad se minus, sed ad pauperes pertinere, seque paratissimum esse ad currum, equos atque vasa argentea distrahenda, si redditus defecissent.

Ubique locorum peccata essent impedienda, rectumve consilium praebendum, eo accurrebat celeriter, nec dubitabat foeminas in flagitiorum coeno perditas adire, iisque eleemosynas elargiri, ut ad bonam frugem redirent, quarum nonnullae praeclaro eius virtutum exemplo et notationibus incitatae ad salutarem poenitentiam officiumque traductae sunt. Neque satis: etenim simul ac ad eius aures perveniret aliquod in urbe scan-

dal um obvenisse, illico mandabat son tem anquiri, ac tam circumspecte, tam leniter eum redarguebat, ut eum ad emendationem revocaret. Studiosissimus fidelium animos religionis praeceptis imbuendi, catechismum propria manu exaravit, et quamlibet nanciscebatur occasionem, ut iuvenes praesertim christianae doctrinae rudimenta edocere!: quin etiam cognoscens piscatores crassa christianorum officiorum ignorantia detineri, diebus festis Pentecostes missionem inchoari iussit, ut ad evangelica praecepta actiones suas conformarent. Quum autem domi esset, omnium ordinum homines perhumaniter excipiebat, et in suis familiaribus sermonibus de Deo semper loquebatur. Assiduae praeterea orationi vacabat, ac dum mensae accumberet, cibos assumebat spirituali intentus lectioni; vespere autem in cubiculo suos famulos cogebat, ut conscientia primum excussa, subinde Litanias B. Virginis aliasque preces, quas ad eum finem exaraverat, una simul recitarent: quae pietatis exercitia ipse princeps inibat, ultimus, iis expletis, excedebat.

At potissima Ioannis charitas in eos enituit qui ad triremes damnati, suorum criminum poenam luere cogebantur. Quum enim Philibertus Emmanuel de Gondy triremum dux consilium iniisset xenodochium Massiliae instituendi, ut in animi et corporis necessitatibus aegrotantes sublevarentur, Dei Famulus onus subiit eiusmodi charitatis ac beneficientiae institutum exequendi. Quem ad finem nonnullas eleemosynas collegit, et quo facilius opus perficere valeret rei argenteae partem vendidit, iis tantum servatis quae ad eius necessitatem pertinerent. Sed enim morte praeventus opus feliciter incoeptum perficere non potuit. Quanta porro charitate calamitosos istos complecteretur, diserte ea missio testatur quam pro spirituali eorum bono aggressus est. Etenim octo Missionariis ac sex Oratorii Sacerdotibus accitis, quibus alii quinque Ducissae d'Aiguillon opera Parisiis missi sunt, nonnullas iis regulas et materias praescripsit, quas in Missione obeunda sequi debebant. Arduum quidem et prope inutile opus huiusmodi nedum laici, sed et ecclesiastici viri iudicabant: at licet initio captivi pervicaces fuissent, tamen tum Missionariorum adhortationibus, tum Dei Famuli patientia et morum suavitate illorum animi paullatim Dei beneficio definiri ac immutari coeperunt. Et quidem pulchrum erat inter ea loca squalida et tenebricosa Dei Servum inspicere, qui bis in dies singulos nihil fastidiens teterrimos odores sordesque inibi ex-

tantes, sed sui penitus oblitus atque omnibus omnia factus modo apud hunc, apud illum suavissimi de Deo colloquia habebat; alios solaba tur amantissime, nonnullos ad patientiam hortabatur, nec omittebat concionibus et confessionibus operam dare, atque in huiusmodi officio mensium duorum spatio perstitit, quin tanto labore aut corpus fatigari, aut animus vinci posset.

Interdum hispanico, latino vel italico utebatur sermone, ut ad omnium captum sese accommodaret, et quum in haereticum vel turca m inciderit, nihil intentatum relinquebat, ut eum ad fidem Christi traduceret; donec perseverantibus Missionariorum opera, et diligentissima Ioannis curatione, eo processit res, ut uberrimus operi fructus responderit. Sane complures qui per decem vel viginti annos haud amplius ad sacram confessionem accesserant, totius anteactae vitae noxas detestantes ad bonam frugem rediere; plerique, Mahometana superstitione abiurata Evangelii veritatem amplecti et sacro regenerationis lavacro ablui voluerunt; plerique etiam miserabili relicto errore cum Ecclesia Dei in gratiam redierunt: uno verbo omnes christianae religionis et officii praeceptis exculti ad rectum salutis iter revocati sunt, ingenti bonorum omnium gaudio atque admiratione.

Atque heic loci memoratu dignum occurrit quod sequitur. Quum olim beneflcentissimus Episcopus e triremibus egrederetur, religiosum virum offendit, qui ei significavit iuvenem Anglican um gravi morbo laborantem desiderium pandidisse in Ecclesiae Romanae sinum redeundi. Idcirco ab eo facultatem petiit qua iuvenem ab excommunicatione absolvere valeret. Haec audiens Ioannes iuvenem convenire voluit quo melius in suscepto consilio illum confirmaret. Ut domum pervenit, certior factus est navis ducem pravis suasionibus verbisque venenatis a pia sententia eum detorsisse. Animo tamen non cecidit Ioannes, sed plurimis adhortationibus et monitis studuit errantem ovicuiam Christo lucrifacere, nec ante a salutari opera destitit, quam voluntariam eius abiurationem excepisset, atque ita ut tres post dies Ecclesiae sacramentis communitus iuvenis ille piissime mortem occubuerit.

Uberi fructu perspecto, quem ex memorata missione Ioannes perceperat, eo curas etiam convertit, ut in universa civitate quid similis aggrederetur, mandavitque sacerdotibus ut rudes christianis officiis erudirent, eosque praepararent ad confirmationis

sacramentum rite suscipiendum, quod iis administrare decreverat. Quum interim cunctis in triremibus in eo esset ut missio compleretur, Missionariis, quibus alii etiam sacerdotes sese comites adiunxere, praecepit, ut ad eos captivos remearent, qui nondum confirmationem susceperant, eorumque confessiones exciperent; neque alia eum sollicitabat cura nisi illos in fide confirmaret, maxime quia eorum profectio ab urbe Massiliensi imminebat. Porro eo in munere obeundo tam impensam dedit operam, ut Dominica Christi Domini, Ascensionem praeeunte, quadringentis et amplius captivis praefatum sacramentum suppeditaverit: ex quo ingenti labore vespere febri correptus est, et ingravescente celeriter morbo, post duodecim dies, quo lecto iacuit nobilissima patientiae et in Deum conformationis specimina exerens, Iesus et Mariae nominibus iteratis inter adstantium lacrimas placidissime animam efflavit die 23 mensis Maii anni 1643. Brevis quidem sanctissimi huius Praesulis Pontificatus fuit, at exiguo temporis intervallo vitam praeclaris charitatis aliarumque virtutum actibus refertam duxit, maioreque profecto in massiliensem Dioecesim beneficia collaturus esset, si longiorem vitae cursum Deus illi concessisset.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

ASTURICEN, SERVITII CHORI

Die 27 Angusti L892.

Per summaiia precum.

COMPENDIUM FACTI. Cum capitulum ecclesiae cathedralis Asturicensis nova, quibus regatur, statuta condere intendat, prout ipsi ab Episcopo mandatum fuit ; cumque non omnium sit una sententi-i quoad nonnulla choralis disciplinae puncta reformanda vel constabilienda, « enixe postulat, utrum retinere possit aliquas immemorabiles consuetudines, vigentes etiam in aliquibus Hispaniae Ecclesiis, et fortasse concessione apostolica in hac introductas ; cuius vero testimonium, si fuit, incendio periit, cum tabularium huius Cathedralis flammis traditum fuerit napoleonica invasione, initio huius

saeculi. Quae quidem consuetudines memoriam hominum excedentes sunt :

« 1. Canonicos gaudere vacationibus per quatuor menses, quin servitium Ecclesiae imminuetur ; quae consuetudo admissi fuit a Synodo Provinciali Vallisoletana anno 1887 celebrata, tit. VIII, n. IX.

« 2. Matutinum cum laudibus persolvi ab Hebdomadario cum duobus canonicis aut beneficialis vicissim, et duobus cantoribus, exceptis viginti quinque diebus solemnioribus, in quibus omnes tam dignitates, quam canonici et beneficiati interesse tenentur.

« 3. Habere omnem praebendam in distributionibus, non per diem totam, sed per annum, ita ut in solemnioribus festis plus ab interessentibus lucretur, et ab absentibus amittat **ir,** et transactis quatuor vacationum mensibus, non residentes, omnes reditus praebendae amittant, accrescendo residentibus. »

Episcopus vero, hasce transmittens preces, ita quoad singula mentem suam aperiebat :

« 1. - Ad primum, videtur quod etsi Concilium provinciale, loco citato, statuerit cum Tridentino non licere Canonicis, ultra tres menses, abesse ab Ecclesia . . . . salvis tamen privilegiis a *Romano Pontifice concessis, sive legitima consuetudine firmatis,* Capitulum huius Ecclesiae non constat privilegio Pontificio gaudere pro absentiae mensibus quatuor; atque de legitimitate consuetudinis valde dubitandum est. Itaque melius standum videtur Sacrae Congregationis resosolutioni apud Benedictum XIV pro Calaugur. 1531, « qua C3nsuit non lic?re Praebendatis, vigore cuiuscumque consuetudinis, *etiam immemorabilis* ab eorum Ecclesiis ultra tres menses abesse. >. Lucidi - *de Residentia etc. - Tom. I. pagina 250, n. 9.*

« 2. - Ad secundum, difficilius apparet, ut Sacra Congregatio concedere possit Praebendatis huius Ecclesiae assensum suum pro firmitate aut tolerantia consuetudinis, nempe, quod Hebdomadarius cum duobus tantum Canonicis vel Beneficiatis

Matutinum cum Laudibus quotidie persolvens, solemnioribus exceptis, pro ceteris omnibus absentibus residentiae oneri satisfaciat ; ita ut Praebendati omnes absentes, minime impediti, tuto harum horarum distributiones percipere, suasque facere valeant ; quin iterum immemorabilem invocent consuetudinem, aut praecedentium Praesulum tolerantiam ultro ament laudare semperque collaudare.

« 3. - Ad tertium ; quamquam mos distribuendi fructus omnes praebendae per horas plerumque a Canonistis censeatur residentiae legi magis consentaneus vel favorabilis, attamen accidit in casu, quod vicissim nimis indulgenter aliquibus absentibus, Quadragesimae, vel Adventus tempore non excepto, illas suppetunt, cum nimis crudeliter saepe aliis subtrahunt. Nil mirum ergo, si generaliter in novissima Disciplina, sicut in Metropolitana Vallisoletana contigit, omnes fere Hispaniae Cathedrales formam Concili Tridentini adoptaverint ; scilicet, tertiam tantum fructuum praebendarum partem pro omnium horarum Missae et officii, id est Matutinum Laudesque includentis, distributionibus assignare, ut solum interessentibus accrescat ; quod quidem huic Ecclesiae providendum utilius arbitror. »

Disceptatio Synoptica.

QUAE ADVERSANTUR CAPITULI CONSUETUDINIBUS. Manifesta profecto est lex a Tridentinis Patribus ad rem statuta in *cap. 12, sess. 24 de reform.* - ibi - « Praeterea obtinentibus in eisdem cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones *non liceat, vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis, ultra tres menses ab eisdem ecclesiis quolibet anno abesse :* salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requiruntur. . . . Distributiones vero, *qui statis horis interfuerint, recipiant:* reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant, iuxta Bonifacii VIII Decretum, quod incipit: *Consuetudinem,* quod S. Synodus in usum revocat, non obstantibus quibus-

cumque statutis et consuetudinibus. » Ex qua lege colligi imprimis datur, consuetudinem abessendi ultra tres menses, quamvis immemorialem, nullatenus sustineri, cum reprobata ipsa sit, prouti declaratum quoque a S. C. C. fuisse adnotat Gallemart in *loc. cit. n. 30 et 32.* Nullatenus pariter sustineri videtur altera consuetudo, qua Canonici non inserviunt omnibus septem horis, et nihilominus pro omnibus itidem septem horis distributiones percipiunt; nam haec ipsa S. C. nedum pluries declaravit *pro statis horis* intelligendas esse omnes horas, verum etiam memoratam praxim reprobare consuevit. Gallemart in *loc. cit.*, Garcia *de Benef. p. 3 c. 2 n. 488* et Card. De Luca *in Annotat, ad Conc. Trid. Disc. 15 n. 17.* Nec ceteroquin obliviscendum, Tridentini decreta quamcumque respuere consuetudinem contrariam ob generalem legem irritantem sancitam a s. m. Pii IV in Constit. *In Principis Apostolorum.* - Quod demum attinet consuetudinem habendi totam praebendam in distributionibus, recolere sufficiat, quod licet hoc, per se loquendo, laudabilius sit, utpote magis conferens pro meliori ecclesiae servitio ; attentis nihilominus incommodis ab Episcopo memoratis, aliisque quae in coaeva Limana ad rem habentur, expedire potius videretur ut in hoc quoque puncto ab Episcopi praefati voto non recedatur.

QUAE FAVENT CAPITULI CONSUETUDINIBUS. Animadvertendum e contra est, consuetudines, de quibus in casu, praesumptionem privilegii apostolici inducere ex eo ipso quod eaedem hominum memoriam excedunt. Nimis enim durum esset affirmare omnes capitulares ab immemorabili tempore Tridentinam legem violasse, omnesque Praelatos Astoricenses inultam reliquisse huiusmodi violationem. Hoc in genere. In specie vero quoad consuetudinem, secundo loco relatam, ponderandum est, verum equidem esse, Tridentinum decretum distributionum lucrum decernere pro integro servitio in omnibus horis canonicis, et hanc S. C. idcirco improbare consuevisse illarum ecclesiarum consuetudines excusantes canonicos ab interessentia et servitio in aliquibus horis ; id tamen cum sequenti limitatione procedere, ait Card. De Luca *loc. cit.*

n. 17 : « dummodo excusatio sit generica et continua, *adeo ut dari valeat casus, quod malus canonicus in illis interveniat,* dum cessat muleta punctaturae ; secus autem si fiat distributio per dies vel hebdomadas, cum aliqua maiori dispensatione seu laxiori turno in aliquibus anni temporibus, quoniam id conceditur, atque in omnibus statutis horis inservire dicuntur, et huic conciliari decreto satisfaciunt interessendi) in omnibus horis sibi assignatorum dierum, vel hebdomadarum cadentium sub eius turno. »

Quibus expositis, quaesitum est quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die *21* Augusti 1892 censuit respondere : *In voto Episcopi.*

EX QUIBUS COLLIGES I. Non licere praebendatis, vigore cuiuscumque consuetudinis, etiam immemorabilis, abesse a propriis ecclesiis ultra tres menses.

II. Ecclesiae disciplinam generalem eam esse, ut Capitula Tridentini formam recipiant quoad distributiones ; videlicet statuendo tertiam fructuum praebendarum partem pro distributionibus omnium horarum ; ita tamen ut interessentes tantum eas facere proprias valeant.

III. Consuetudinem abessendi a choro ultra tres menses, recipiendo interim distributiones chorales, nullius esse roboris, tum quia adversatur Tridentino, contra quod ex plurimorum sententia non datur praescriptio, tum quia ex iugi iurisprudentia ecclesiae improbatur.

VARSAVIEN, SEU LUCEORIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 27 Augusti 1892.

Sess. 24 cap. 3 De reform, matr.

COMPENDIUM FACTI. Dic 15 Iulii 1884 matrimonium inierunt Varsaviae Stephania Jelowicka luceorien. Dioecesis annos nata 24, et Thaddaeus de Mezer annorum 38, at infaustis auspiciis. Siquidem etsi pluries coniugali operi indulgere tentassent, eorum tamen conatus in irritum semper cessisse dicunt, quod vir tribuit disproportioni geni talium vel vitiosa© conformationi vaginae uteri in uxore.

Cum octo circiter mensibus mulier cum viro pacifice commorasset, mense Februarii ad paternos lares per quatuor fere menses rediit. Ineunte autem Iulio 1885 ad virum reversa fuit, sed paucis post diebus ob illius agendi rationem fere coacta fuit paternam domum repetere, nec amplius coniugale consortium instauratum fuit.

Transactis aliquibus annis, mense Martio 1889 mulier a Versaviensi curia petiit, ut suum matrimonium, ex impotentia illud consummandi, nullum declararetur. Varsaviensis curia, accepta delegatione ab Ordinario Luceorien., processum instituit ad formam Constitutionis Benedicti XIV *Dei Miseratione,* et Instructionis S. C. C.

Mulier percontata fuit a iudice, testes septimae manus produxit, ac demum corporali inspectioni se subiecit ad formam *cit.* Instructionis. Vir quoque examen et inspectionem subiit, sed testes septimae manus haud adduxit.

Actis omnibus expletis, die 11 Aprilis 1891 curia sententiam edidit, in qua licet iudicaverit non satis constare de matrimonii nullitate, tamen mulieris virginitatem ultro admisit.

Deinde Archiepiscopus, litteris 2 Ianuarii huius anni, acta processus ad S. C. C. transmutens, suum votum pandebat pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato concedenda.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO MULIERIS. Mulier, quae huiusmodi dispensationem efflagitat, patronum sibi adlegit, qui in primis ex iurata coniugum depositione demonstrare sategit, matrimonium non esse consummatum. «Primo mense post nuptias, ait mulier, ultra decies conati sumus concumbere maritaliter, cum tamen id, quatenus equidem intelligere possum inefficax esset, ulterioribus conatibus supersedimus; » deinde utrumque affectum fuisse irritatione nervorum « ex impotentia consummandi matrimonium ». Idipsum confirmat vir, cuius maxime intererat matrimonium consummare. Hic enim putat extare « disproportionein genitalium, vel vitiosam conformationem vaginae uteri in uxore; » siquidem « ante introductionem semen meum semper defluebat, post vero copula fieri non potuit. Mihi pro certo persuasum est, principalem causam esse discrimen staturae inter me et uxorem; ego, ut patet, procerus sum, illa pusilla, atque reipsa minor quam in vestibus esse videtur. A prima attentatione observavi actum meum cum uxore non esse legitimum; post itéralos vero conatus concepi persuasionem, fieri non posse, ut cohabitaremus. Uxor in attentando actu coniugali libens mihi morem gerebat. »

Collusionem autem inter coniuges extitisse nullimode suspicari posse, dicit, cum maxima concordia inter ipsos viguerit. Sane mulier ait : « Cohabitatio nostra fuit concors aliunde'; ex sola impotentia coeundi existebant inter nos simultates, » et vir : « conversatio nostra fuit pacifica, quia nihil est in quo mores uxoris reprehendam ».

Actricis praesertim testimonium maximi faciendum esse, tuetur, ex honestissima vitae consuetudine a pueritia servata, quod testes septimae manus, omni exceptione maiores, uno ore proclamant. Canonicus Gorzelanski fatetur: « eam esse mulierem piam, probam, et honestam . . . . educatam fuisse ab amita, comitissa Ledochowska, accurate, pie et devote. Spectata bona institutione actricis, eius probitate et

devotione, pro certo habeo communicata mihi ex eius confessione iudiciali singularia essevera». Propinquus Byszewski, Consiliarius Status, deponit «.esse mulierem probam, honestam et religiosam.... aiebat mihi, cum apud me moraretur, se esse infelicem in coniugio, causam tamen infausti convictus non nominavit»; addit autem se observasse illam « nullam praeseferre aversionem erga maritum, nec unquam, ut fieri solet, male de eo esse locutam ». Demum, ut uno verbo plura comprehendantur, etiam alii quinque testes mulieris honestatem ac religionem summis laudibus unanimiter extollunt.

Verum, prosequitur, haud opus esse in testium depositionibus insistere, cum praesto sit evidens physicum integritatis argumentum ex inspectione, iuxta S. C. C. instructionem adamussim expleta a tribus obstetricibus, matrona, et duobus medicis.

Sane obstetrix Dombrowicz iurata deponit : « Reperi in actrice hymenem integram, illaesuin cum parvo ostio in medio, conspexi eum iam nudo oculo, secretio tamen mucosa non sinebat eum examinare accurate solo oculo; quapropter exploravi digito auriculari atque intellexi eum procul dubio adesse; praeter hoc principale argumentum virginitatis reperì alias quoque notas, scilicet m animas quales esse solent virginum ; > huic consonat Anna Bielinska : « Reperi apud actricem certissimum virginitatis notam, hymenem, praeterea mammas virgineas....; » demum obstetrix Koc ait : « Reperi in actrice omnes notas virginitatis, persuasurnque habeo eam esse omnino inviolatam. Hic adiiciant, actricem non consummasse matrimonium, hymen enim, etiamsi ita conformatus, conscissus esset, quum sit integer; est autem sic, ut retuli, a natura conformatus ».

Iuratum obstetricum testimonium de mulieris virginitate confirmant periti in relatione scripta, et in iurato examine. Porro doctor Bondy in voto exarato ait : « Labia maiora cohaerentia et occultantia in se minora, utraque perexigua ac potissimum repertus in introitu vaginae hymen integer,

levis, tenuis, non convulsus, cum ostiolo transmittente extremitatem parvi digiti, evincunt certam virginitatem ». Deinceps autem iudici fassus est: « Attentis relatis obstetricum____persuasum habeo Stephaniam de Mezer esser virginem, matrimoniumque non consummasse; quae sit causa non consummationis matrimonii forsitan demonstraverit inspectio mariti ». Huic astipulatur medicus Sierpinski, qui in sua opinione, scripto emissa, recensitis pluribus integritatis notis repertis, sequitur : « Existentia hymenis integri evincit eam esse virginem », quod in iurato examine confirmat. Exinde patronus arguit, quinque peritos emisisse iudicium certum et absolutum de mulieris virginitate, attenta praesertim integritate hymenis.

Notat autem quod perperam vinculi defensor obiiceret aliqua verba obstetricis Koc, quibus tantum inspectis, de mulieris integritate dubitare videretur. Sane in relatione scripta, recensitis pluribus integritatis signis ita prosequitur: «_____clitoris parva, ut granum tritici, introitus in vaginam angustus, in medio ostio cernitur intus carúncula ad instar folii, veluti extremi tas vaginae, ulterius oculis nihil explorari potest, quia fluor e vagina stillans non permittit, digitum auricularem dimidium tantum introducere potui. » Et in iurato examine ait : « Hymenem reperi in actrice forma diversa a solita. Visus mihi est affixus esse in duobus punctis desuper et infra, inter loca autem cohaesionis valui reclinare hymenem digito a compagine. Ostiolum reperii a latere dimensione ad grassitudinem graphii, certa sum fuisse hunc hymenem, non vero aliud quidpiam ».

Cum autem etiam haec obstetrix, ut aliae duae, fateamur reperisse in actrice hymenem integrum, et iudici responderit: « reperi in actrice omnes notas virginitatis persuasumque habeo eam esse omnino inviolatam », hinc illis verbis supra relatis noluit profecto indicare notas aliquas amissam virginitatis.

Idipsum clarius quoque explicat doctor Bondy aiens : « Obstetrix Severina Koc in relatione vocali professa est, se

reperisse quidnam, quod definire non valeret; interrogata quomodo res se haberet, respondit, videri veluti folium transversum, sive tenuem hymenem cum ostio trans mittente extremum digitum auricularem. Quapropter ut dilucidantur, quomodo appellanda esset eiusmodi carúncula, primum interrogavi, num praeter descriptas partes muliebrium, reperisset quoque floccos myrteos, *id quod absolute negavit.* Deinde igitur interrogavi iterum, quomodo appellaret hoc folium sive carunculam trans versam, cum adessent labia maiora et minora legitime conformata, exigua tum quoque clitoris et deessent flocci myrtei. Respondit non haesitans - hymenem -. Quam obstetricis relationem equidem verissimam reputo, eo quod rem illico definire non valens maluit secum restrictione exprimere. Obstetrix Koc significavit adesse hymenem; ideo in relatione scriptitia asserui, renuntiata ab obstetricibus in essentialibus non differre. Quare Severinae Koc hymen aliam visus sit habere formam ; quam ceteris obstetricibus, opinor id factum esse propter notabilem quantitatem fluoris mucosi, cuius in relatione sua speciatim meminit ».

Doctor autem Sierpinski ita rem explicat : « Descriptam a Severina Koc carunculam reputo dimidium integri hymenis in casu ab obstetrice deprehensum : alterum dimidium, propter minus accuratam diductionem introitus vaginae, occultar! oportuit, eo magis quod distillans mucus explorationem notabiliter impediebat, ut ipsamet Koc in enarratione orali nobis retulit statim post revisionem. Spectata forma et dimensione, carúncula quaestionis non potest accipi pro flocco myrteo; certum igitur mihi est, sermonem obstetricis referri ad hymenem integrum. Ex unanimi igitur duorum medicorum sententia in locutionibus obstetricis Koc nullum extat indicium laesionis hymenis. Observat insuper orator hymenem non semper eamdem formam praeseferre, quod evincit auctoritate Profess. E. Hoffman, *Nouveaux éléments de médecine légale, chapitre 1, art. 1,* § i„, qui postquam tradiderit quod « P intégrité de 1' hymen a été de tout temps

regardée comme le signe le plus important de la virginité » quoad diversam illius formam ait: « Il n* y a pas d'idée plus fausse que celle qui consiste à croire que 1' hymen en général présente toujours les mêmes caractères ».

Notandum demum dicit, varsaviensem curiam in edenda •sententia nedum solemniter declarasse « quod eadem peritorum inspectio probavit inviolatam virginitatem actricis », sed insuper edixisse nullum vel leve dubium ex citatis verbis obstetricis Koc exurgere posse.

Cum autem huiusmodi quaestio pendeat ex facto quod a peritis cognoscitur, hinc recte a S. C. C. iuramentum aliasque cautelas praescribi. Sed cum haec fuerint adamussim servata, ut in casu, iam inquit, sponte consequitur peritis in arte tutissime credendum esse, eosque potius ad iudicandum, quam ad testificandum assumi a iudice ex ofiicio, uti docet Card. De Luca, *De iudic. disc. 43 n. 80,* et Abbas in *cap. Proposuisti 4 De probat, n. 3.*

Gradum deinde faciens orator ad causas dispensationis concedendae, ait, non ordinarias tantum, sed specialem etiam causam verificari, nempe gravissimum dubium impotentiae relativae viri vel potius certitudinem.

Quam quidem impotentiam primum evincere contendit ex depositione coniugum superius relata. Sed insuper praesto esse dicit concorde et iuratum trium medicorum testimonium. Sane doctor Bondy ait: « Impotentiam relativam Thaddaei de Mezer explico nervositate, quam opinor esse innatam; ceterum psychosis haec crevit ex inanibus conatibus concúmbendi____Notandum tamen censeo in toto organismo atque ex aequo in genitalibus conventi et actricis cerni magnam disproportionem. Hanc impotentiam relativam— praecessisse connubium non ambigo ; neurosim enim conventi reputo esse naturalem, adeoque relate ad coniuges de Mezer incurabilem. Status eiusmodi aliter definiri non potest, quam impotentia relativa ». Medicus Sierpinski deponit : « Praescindendo prorsus a narratis mihi a convento, firmiter statuo in fundamento solius revisionis eius corporis, inter coniuges de Me-

zer occurrere impotentiam relativam, eo quidem magis quod cum interfuerim inspectioni organismi actricis ab obstetricibus factae concepi persuasionem eam tunc temporis fuisse virginem. Ex ratione medica statuere possum, impotentiam physicam relativam inter coniuges de Mezer existentem curari non posse, eo quod originem habeat in momentis psychicis; de Mezer enim, ut ait, habet completam aversionem erga uxorem, quippe physice exiliter conformatam. Cum exploratum sit actricem ante nuptias non fuisse proceriorem, decernere possum rationem eamdem adesse ab initio coniugii ». Tandem medicus Przewoski, pluribus adductis causis,, concludit: «— statuo Thaddaeum de Mezer obnoxium esse impotentiae physicae relativae solam uxorem concernenti atque impotentiam hanc probabiliter sanari non posse ».

Ex hisce arguit, tres peritos quoad impotentiae existentiam convenire, et dum Przewoski putat probabilius, alii duo, qui mulierem etiam inspexerunt nullimode sanari posse tradunt. Hoc autem trium medicorum votum emissum post institutum comparativam examen sufficeret ad impotentiam Thaddaei uti certam retinendam.

Sed eadem admissa uti probabili, gravissima exinde dispensationis causa procedit, quia tunc potiusquam proprie dispensatio, dicitur prudentialis administratio iustitiae, declarata nimirum sub nobiliori titulo matrimonii nullitate, docent Ursaya *tom. 3 part. 2 disc. 21 n. 104;* Card. De Luca *De matrim, disc. 9 n. 8;* Card. Cosci *De separat, thori lib. B cap. 2 n. 386,* aliique.

Aliam causam deducit ex mutuo coniugum consensu in dispensatione petenda, quo in casu iuxta Canonistas quaecumque ratio, dummodo non incongrua, admittitur, Card. Cosci *cit. op. lib. 3, cap. 2, n. 95,* Fagnan. ; etiam virum autem annuere matrimonii solutioni patere, ait, ex processus actibus.

Tertiam causam erui dicit ex animorum aversione, nullaque spe pacis conciliandae, quod ad dispensandum gravissimum censetur, Card. De Luca *loc. cit.,* Sánchez *De ma-*

trim. lib. 12 disp. 16 n. 3, et Card. Cosci *op. cit. lib. 1 cap. 16 n. 751.* De hac autem coniugum aversione testatur ipsemet Archiepiscopus : « coniuges in iudicio declararunt absolute se nullatenus velle et posse mutuum convictum restituere ob nervosam irritationem ex attentata copula. »

Gravissimum praeterea subsequitur argumentum dispensandi ex periculo incontinentiae et timore fornicationis, Sánchez *lo c. cit. disp. 15 n. 19,* Fagnan. *in cap. Verum vel n. 11 de Convers. coniug.,* Ursaya *tom. 3 part. 2 n. 92.* Id autem admodum timendum fore facile patet cum agatur de viro et muliere aetate non provectis, et robusta valetudine donatis. Hinc in ipsa iudiciali sententia dicitur dispensationem esse concedendam, quia « habita ratione florentis aetatis coniugum eorumque prosperae valetudinis, iidem versantur in periculo incontinentiae. »

Demum animadvertit, mulierem inter schismaticos commorare, hinc etsi eiusdem probitas et religio summis laudibus a productis testibus celebretur, timendum tamen ne caelibatus pertaesa et allecta perversis suasionibus a catholica fide desciscat, ex quo grave scandalum sequeretur, et eius exemplum vir quoque secuturas foret, nisi praecessisset.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. E contra vinculi defensor in primis observat, inverosimile esse, matrimonium non fuisse consummatum, nedum quia acta processus utrumque idoneum exhibent, sed etiam quia inauditum est, coniuges ex libero ac ardenti amore ad connubium impulsos a thalamo deinde discedere nullis adhibitis remediis, nec medicorum ascitis consiliis ad impedimenta, si quae erant, removenda , quum experti sunt ingenia inter se convenire. Sane Stephania fatetur: « Ego nunquam exquisivi consilium medicorum_____praeter herbas quasdam ad sedandos nervos, nullis aliis usa sum medicamentis. » Cui consonat vir: « Consilium medicorum in amovenda impotentia non exquisivi. > Ideoque timet ne lateat anguis in herba, cum iuxta notum effatum « Quod inverosimile est, imaginem falsitatis praesefert » eo vel magis quod coniuges non statim in ipsa novi-?

tate proclamaverint, sed octo mensibus in eodem lecto cubarunt, et mulier quinto anno labente ad Episcopum proclamavit, *cap. 1 de frigid, et malefic,* et Barbosa *cit. cap. n. 6* ait: « Ex tarditate, dolus praesumitur. »

Expendens deinde argumenta allata ad actricis integritatem ostendendam, ait, coniugum confessionem iuxta Sánchez *de matrim, lib. 1 disp. 45 n. 33* nihil probare, quia est in confitentium favorem.

Quoad testes septimae manus miratur quod cum mulier decem testes proposuisset, et vir spopondisset illos adducturum, deinde excussis septem tantum ex parte mulieris, haec petierit ut ulterius in causa procedatur « omissa indagatione testium septimae manus ex parte mariti, quippe qui in eorum productione moratur » ; hic autem obtinuit a iudice dispensationem super testium productione. Sed in hac dispensatione petenda dicitur, testes noluisse se examini subiici « non obstantibus instantiis et incitationibus > ; causa vero cur accedere renuerint reticetur, quia fortasse exitui litis nocuisset. Nec facile admittit Thaddaeum nec unum consanguineum invenisse, qui sibi in iudicio suffragantur, si causa bona foret. Postulat itaque, ut iuramentum septimae manus ex utraque parte expleatur, quia est maximi momenti iuxta Sánchez *op. cit. lib. 7 disp. 108 num. 7.*

Quoad testimonium obstetricum qui Stephaniae corpus recognoverunt advertit, duas fateri se nonnisi imperfecte commissum sibi munus exequi potuisse. Obstetrices autem debere nedum contrectare, sed inspicere praesertim muliebria. Iamvero obstetrix Koc ait: « In medio ostii cernitur intus carúncula ad instar folii, veluti extremitas vaginae, ulterius oculis nihil explorari potest, quia fluor e vagina stillans non permittit. » Cui consonat obstetrix Dombrowicz, aiens: « Reperi in actrice hymenem integrum, illaesum, cum parvo ostio in medio, conspexi eum iam nudo oculo, secretio tamen mucosa non sinebat eum examinare accurate solo oculo ; quapropter exploravi digito auriculari, atque intellexi eum procul dubio adesse. »

Obstetrices praeterea nonnulla referre dicit, quae actricis virginitatem dubiam reddunt. Sane ostium hymenis tam late patet ut iuxta obstetricem Dombrowicz « per illud penetret extremitas digiti auricularis » ; imo Severina Koc refert : « digitum auricularem tantum dimidium introducere potui, > et notat orator medicum Sierpinski asserere illam « esse admodum scrupulosam et timoratam m peragenda inspectione prae timore ne laederet hymenem. >

Accedit supradictam Koc carunculam memorasse: « introitus in vaginam angustus, in medio ostio cernitur intus carúncula ad instar folii, veluti extremitas vaginae. > Verum esse dicit medicum Sierpinski scribere: « Descriptam a Severina Koc carunculam reputo esse dimidium integri hymenis in casu ab obstetrice deprehensum; alterum dimidium propter minus accuratam diductionem introitus vaginae occultali oportuit eo magis quod distillans mucus explorationem notabiliter impediebat. » Hinc si « distillans mucus explorationem notabiliter impediebat » parvam esse contendit auctoritatem explorationis, eo vel magis quia impedimentum respiciebat hymenem, praecipuam virginitatis notam, adeoque obstetrix Dombrowicz fatetur: « Secreti o mucosa non sinebat eum (hymenem) examinare accurate solo oculo. »

Non deesse praeterea notat suspicionem, obstetrices errore iuris actricem virginem declarasse, quia uterum non gesserat. Etenim recensentes unam vel alteram integritatis notas de virginitate improprie loquuntur. Ita ait Dombrowicz : « Praeter hoc principale argumentum virginitatis (hymenem nempe) reperi alias quoque notas, scilicet m animas, quales esse solent virginum ; licet aliquantum laxae, sive potius exiles et molles, nam minores sunt, quam ut laxae esse possint ; attamen non sunt eiusmodi quales occurrunt apud mulieres puerperio perfunctas atque adeo apud eas quae matrimonio consummarunt. »

Postremo timet ne obstetrices ac medici potius actrici quam veritati obsequi studuerint. Etenim Severina Koc, immunis a studio partium, carunculam in scripta relatione in-

venisse dicit; carúncula autem et integer hymen adeo inter se differunt, ut non facile intelligat defensor qua ratione obstetrices Dombrowicz et Bielinska hymenem integrum eam carunculam tuto proclamare potuerint, praesertim cum « distillans mucus explorationem notabiliter impediret ».

Insuper, ait, Severina Koc, quae in relatione scripta antequam medicos alloqueretur, fatetur se nonnisi carunculam reperisse, deinde, medico Sierpinski auctore, « vidit dimidium integri hymenis ; alterum dimidium propter minus accuratam diductionem introitus vaginae occultari oportuit » ; demum in iudiciali examine post colloquia cum medicis et fortasse cum aliis obstetricibus integrum hymenem vidisse asserit. Sane coram iudice sine ambagibus fatetur : « Hymenem reperi in actrice forma diversa a solita. Visus mihi est affixus in duobus punctis desuper et deinfra; inter loca autem cohaesionis valui reclinare hymenem digito a compagine. Ostiolum reperi a latere dimensione ad crassitudinem graphii, certa sum hunc fuisse hymenem, non vero aliud quidquam, observationemque meam communicavi medicis. Hic adiiciam actricem non consumrnasse matrimonium, hymen enim, etiamsi ita conformatus, conscissis esset, cum sit integer, est autem sic, ut retuli a natura conformatus. »

Notat, ipsam Stephaniam sua agendi ratione ostendisse obstetrices ac medicos nimis benignos sibi fuisse, cum perhorrescit novam inspectionem. Sacramenti Vindex enim institit « ut nova deputare tur commissio medicis et obstetricibus constans, quae statum virginitatis extra omne dubium ponat, quod si vero id actrici iusto molestius videatur, ut designentur saltem duo medici, qui eam revideant. » Iudex iustam hanc petitionem excipit; sed Stephania declaravit « se nolle novam subire inspectionem. »

Ad causas dispensationis deinde progrediens, ait, illas ex adverso allatas omnes impotentiae relativae inniti; ast sine fundamento. Nam haec impotentia iuxta medicos derivaret a causa physica, disconvenientia scilicet genitalium, et a causa morali, nempe animorum aversione.

Quoad causam physicam dicit, audiendas obstetrices, quae uno ore renuntiant insignem muliebrium flexibilitatem. Porro Iosepha Dombrowicz refert: « Muliebria actricis, sicut universus Organismus, sunt débiliter evoluta et exilia et mollia sufficienter, ut per se ipsa non constituant impedimentum habendae copulae... Hymen marginibus subtilibus et teneris, ideoque opinor eum facile convelli posse. » Severina Koc : Muliebria actricis sunt exilia et mollia atque per se nullum constituunt obstaculum habendae copulae » ; et Anna Bielinska: « Partes genitales sunt satis exiles et hymen mollis, ita ut per se non constituant impedimentum copulae carnalis___ Opinor eum (hymenem) facile conscindi posse. »

Quoad animorum aversionem observat, eam iuxta coniuges exortam fuisse postquam iidem in coniugali arena malis avibus certarunt. Sed potius concederet (licet non demonstretur) coniuges a palaestra re infecta ex condicto discessisse, cum superius ostensum sit genitalia mulieris utpote flexibilia nullum obstaculum viro parare, ideoque aversio coniugum voluntati tribuenda foret. Sed etiam admisso, matrimonium imperfectum mansisse, et enatam eam animorum dissociationem, qua vir cum uxore coire non possit; non haberetur iusta dispensandi causa, quia haec impotentia beneficio temporis evanescit, Zacchias *quaest, medie, legal, lib. 3 tit. I q. 5 num. 59.*

Quibus ex utraque parte animadversis, propositum fuit dirimendum

Dubium

An consulendum sit SS fco pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re disceptata sub die 27 Augusti 1892, censuit respondere: *Affirmative.*

MANTUANA ET MEDIOLANEN.

MATRIMONII

Die IO Decembris 1892.

Sess. 24 cap. 1 De refor. matrim.

COMPENDIUM FACTI. Dantes Guaita, natus die 19 Septembris 1860 in oppido *M o glia* mantuanae Dioecesis, ad sarcinatoris artem exercendam Mediolanum anno 1879 concessit, ibique cum quadam Merope Gadioli matrimonium anno 1885 rite contraxit. Hac tribus circiter post annis vita iuncta, ad alia vota animum applicuit, novasque nuptias die 23 Ianuarii 1888, legitime iniit in praefato originis oppido cum Aloysia Sissa annorum 27, ibidem nata, quam ab infantia probe noverat.

Illico post initas nuptias Mantuani se contulerunt sponsi, et insequenti die Mediolanum concesserunt. Sed licet una simul in eodem cubili condormiverint iidem sponsi, matrimonii tamen consummatio locum haud habuisse videtur ob repugnantiam sponsae, quae eo usque processit, ut ipsa veluti delirans et mente capta apparuerit.

Eius matre exinde aceita, cum hac, post aliquot dies, ad propriam domum reversa est, ut sanitati recuperandae melius prospiceret. Mantuani quoque paullo post petiit, ubi tres circiter menses sub specialis periti cura transegit ; et vix ac sibi visum est pristinam adeptam fuisse sanitatem, viro suo id per epistolam renuntiavit, eique suum desiderium patefecit Mediolanum redeundi.

Huic desiderio adhaesit vir, sub conditione tamen ut ex testimonio medici curantis, nec non fratris sui et fratris sponsae, certior fieret de perfecta eiusdem sponsae sanitate; ast cum interim rescivisset, ut ipse asserit, sponsam in eumdem morbum iterum incidisse, paraphernalia bona eidem restituit, et quamcumque cum ipsa abrupit relationem. Post annum tamen, nempe anno 1890, sponsam interpellavit, an vellet, quatenus sanitatem recuperasset, cum ipso habitare, vel po-

tius liberum relinquere ipsum ad alias nuptias transvolandi. Sed mulier, quae ad cohabitationem cum viro restaurandam parata erat, ad id postea se recusavit ex eo quod sciverat, virum suum aliam mulierem adamare coepisse ; et vir pariter non amplius voluit uxorem suam recipere, quia expeditum usum non habet mentalium facultatum, morboque laboret, qui histericus vel mentalis alienatio a peritis medicis reputatur.

In huiusmodi rerum statu, ad mediolanensem Curiam recursum habuit praefatus vir, ut ipsa apud SSmum Patrem sua officia interponeret pro solutione matrimonii rati *%i* non consummati; et Curia, ratione domicilii eiusdem viri, iudicialem processum illico instituit, et virum ipsum examinavit. Animadvertens deinde utriusque coniugis testes examinandos una cum sponsa Aloysia in mantuana Dioecesi morari, et difficillimum fore eosdem Mediolanum ad deponendum vocare, Mantuanum delegavit Episcopum, qui munus sibi demandatum sollicite ac diligenter ad iuris tramitem explevit.

Disceptatio Synoptica.

VOTUM THEOLOGI. Ad dispensationem invocandam duo extrema verificari debere, ait Consultor. 1. Matrimonium non fuisse consummatum. — 2. Causas non deesse ut dispensatio invocetur.

Antequam matrimonium inter Dantem et Aloysiam non consummatum fuisse demonstretur, praemittenda videntur quae asserit Clericato, praeeuntibus Sánchez aliisque Doctoribus fori, nempe consummationem matrimonii aliter decidi in foro fori, aliter in foro conscientiae. In foro conscientiae non solum necessariam esse penetrationem vasis, sed requiritur copula quae sit apta ad generationem, et per quam coniuges fiunt una caro, ad repraesentandam unionem hypostaticam humanae naturae in Christo. In foro fori e contra, sufficere penetrationem vasis, qua attenta, seminationem praesumi. Nec fides habenda marito se non seminasse dicenti, quia *factum praesumitur, quod frequenter fieri solet.* Haec fere doctissi-

mus ille *de Sacram, matrim, decis. VIII.* Proinde in foro fori quoties penetrationem vasis defuisse probari potest, matrimonium consummatum non fuisse deciditur.

Iamvero in facti specie de qua agimus penetrationem vasis defuisse non spernenda rationum momenta suadent. Ac primo quidem concors utriusque confessio iuramento firmata. Nec ulla hic suppetit ratio, ut eisdem fides sit deneganda, cum nullo alio titulo, Dantes, non repugnante Aloysia, dispensationem invocet, nisi quia et unice, inter ipsos copula maritalis impossibilis evasit, quaecumque fuerit causa. Si enim Dantes, matrimonii consummationem, non simpliciter desiderare, sed consequi potuisset, hodiedum ne cogitaret quidem de dispensatione impetranda, ut ad alia transeat vota.

Dubius haererem, et fidem marito non praestandam esse confiderem, casu quo Dantes, post longum tempus, uxoris suae pertaesum sese ostenderet, et in Aloysia spem ad verterem fortunam inveniendi meliorem. Atqui suspicio haec deficit, si ad ea quae factum comitantur leviter attendamus. Dantem enim ad asserendum matrimonium imconsummatum fuisse non movent spes recuperandae libertatis, novi amores, forma speciosior, et ea omnia adiuncta, quae hominem perditi moris ad mendacium proferendum inducunt, sed consummationis defectus. Aloysia enim candide hoc confitetur, quo roboratur mariti assertio ; Aloysiam ad mendacium proferendum non adigit spes fortunae melioris, quam dissipat divulgata suspicio esse mulierem non sanae mentis. Unde si Aloysia non negat, quod Dantes affirmat, cur fides utrique deneganda sit, me nescire profiteor.

Coniugum confessioni, iuramento firmatae, adstipulatur depositio testium septimae manus. Et quamvis Aloysia reverentia filiali detenta a revelanda non consummatione matri suae sese abstinuerit, non ita reticuit cum uxore fratris sui, cui aperuit quantum nobis sat est ut constans, semperque aequalis iudicetur in asserendo consummationis defectu.

Argumentum contrarium matrimonii defensor potest ex condormitione desumere, quae non una vice, sed quatuor aut

quinque inter coniuges habuisse locum, ut ex eorum confessione apprehendimus. Quae circumstantia ut advertit Cosci *lib. 1 cap. 16 n. 46praesumptionem de copula secuta inducit.* Unde coniugum iurata confessio patitur exceptionem. Ast praesumptio contraria eliditur ab coniugis inspectione; quod argumentum omne dubium expellit, et certitudinem parit. Sánchez *Lib. 11. D. 22 n. 2.* Ambae siquidem obstetrices deputatae ad corporis inspectionem, Aloysiam virginem esse affirmant, quarum testimonium sat est recensere, ut omne dubium evanescat. Virginia Zenesini, partem genitalem Aloysiae ita arctam esse testatur, *ut ne digiti quidem apex valeat introduci.* Consonat Ceresa Adelaides, quae talem arctitudinem in vagina Virginiae deprehendisse fatetur, ut ne *apicem quidem digiti minimi admittere valeat.* Utraque iuramento affirmat, et Aloysiam non fuisse ab homine cognitam testatur.

Videndum hic est an causae occurrant, ut dispensatio a matrimonio rato a Pontifice invocetur. Non desunt theologi, qui ad matrimonii rati solutionem nullam causam requiri affirmant, ast non bene ut puto. Nam Benedictus XIV in sua Bp. Enc. *Dei miseratione § ct quoniam* pro dispensatione a matrimonio, *ait, volumus et mandamus, ut supplex libellus nobis vel Romano Pontifici pro tempore exhibeatur, in quo plena et accurata, totius facti species contineatur causaeque omnes in eo exprimantur, quae ad obtinendam petitam dispensationem conducere posse a, supplicante censeatur.*

Sed quae causae ? Et cuius generis ? non determinatae, et certi generis, sed quaecumque, dummodo iustae ac sufficientes, ut advertit Diana. Porro inter causas sufficientes recensetur etiam repugnantia utriusque aut saltem unius. Dico saltem unius, quia teste Cosci *lib. 1 cap. 16* **n.** *IO, etiamsi alter ex ipsis dissentiat, similes dispensationes conceduntur, ut servavit S. Congregatio Concilii in Iamiensi disp. 20 Maii 1719 et 29 Ian. 1720. Iisque concessis ab Apostolica, Sede uterque* ***Coniux*** *ad alias transire nuptias, ut declaravit 16 Iulii 1599.* Haec ille.

Ad rem nostram quod attinet, dubio procul uterque resilire desiderat, et ad individuam vitae consuetudinem restaurandam uterque renuit. Blande quidem Aloysia, absolute firmiterque Dantes. Hinc enim interrogatus, an eamdem recipere paratus sit, *negative absolute* respondit. Quae animi dispositio, concordiam ex parte ipsius impossibilem reddit. Idem consilium invenitur in Aloysia, ut constat ex matris depositione iurata.

Quod autem me maxime persuadet, ut dispensatio invocetur a matrimonio rato, est singularis circumstantia, in qua Dantes invenitur, voluntaria quidem atque culpabilis, sed quae pluries ad dispensationem concedendam movit Pontificem maximum. Vicarius generalis Mediolanensis enixe hanc dispensationem implorat in Epistola ad Cardinalem S. Congr. Concilii Praefectum, idque ad evitanda gravia mala. Quae sint ista mala non aperit, sed gravia esse asserit, et eidem id asserenti nemo dubitat fidem concedendam esse. Archiepiscopus autem in supplici libello ad Pontificem dato, quae sint ista mala declarat ; scilicet Dantem iam de matrimonio ineundo agere cum alia muliere, quod facili negotio assequi potest, eo quia cum Aloysia matrimonium contraxit coram Ecclesia, non recognitum in foro civili, a quo foro nullum pertimescere potest impedimentum, cum in eodem foro nullo ligamine irretitus appareat. Concubinatum Archiepiscopus pertimescit, ad quem evitandum dispensatio a matrimonio rato occurrit.

VOTUM CANONISTAE. Arbitror, ait iste, praesentis causae obiectum in eo consistere quod matrimonium initum inter Dantem Guaita, et Aloisiam Sissa ratum existimetur, sed non consummatum. Ideoque mihi sub respectu canonico inquirendum est an revera ita res se habeat; nempe inquirendum est 1. an matrimonium in casu non sit consummatum, 2. an graves, et rationabiles extent causae pro matrimonii solutione, ita ut consulendum sit SSmo pro dispensationis gratia. Et ante omnia heic observandum puto huius primae partis decisionem maximi esse momenti : est enim

veluti basis, et fundamentum boni, vel mali exitus eiusdem causae. Et primo quidem ex actis processualibus grave factum nobis exhibetur, quod profecto pro matrimonii consummatione militare videtur, cohabitatio scilicet, et condormitio coniugum, trium noctium spatio, in eodem cubili. Quod rationabilem consummationis praesumptionem praesefert. Habetur enim ex depositionibus coniugum hoc, prima nocte Mantuae factum esse in domo proaviae, sponsae Aloisiae, et duabus sequentibus noctibus Mediolani in domo sponsi Dantes evenisse. Qua non obstante praesumptione, uterque coniux sub iuramenti sanctitate deponunt suum matrimonium haud fuisse consummatum ; quo in casu notum canonistarum axioma verificaretur « praesumptio cedit veritati. » Ex adductis depositionibus tum mulieris, tum aliorum testium, a coniuge Guaita consummatio sui matrimonii penitus excluditur, et sponsae Aloisiae oppositio ad coniugalem actum eruitur: quae oppositio ex ipsius indolis simplicitate, timiditate, et pudoris amore repeti potest; sed praecipue ex gravi sensatione accepta, ut dicitur, a quodam suo coniuncto, qui cum ea de magnis matrimonii officiis loquutus fuerat.

Ab Aloisiae Sissa depositionibus, etsi bina consummationis matrimonii attentatio ex parte mariti eruatur, vera tamen eiusdem consummatio omnino reiicitur ob firmam mulieris reluctantiam, quae adeo ab actu coniugali abhorrere visa est, ut veluti delirans, et mente capta se exhibuerit, et ideo sui coniugis maritalem affectum a se alienavit, nullumque ne minimum quidem amoris signum ab eo accepit.

Auditis utriusque coniugis depositionibus sui matrimonii consummationem penitus excludentibus, videamus nunc an ipsis iuxta sacros canones omnimoda fides adhibenda sit vel neganda. Et in primis ad rem faciunt quae Summus Pontifex Coelestinus tertius docet in *cap. 4 de frigid, et male f. sequentibus verbis:* « At vero, inquit, si quod numquam, se invicem cognoverint ambo fateantur, cum septima manu propinquorum, vel vicinorum bonae famae, si propinqui defuerint, factis Evangeliis, uterque iureiurando dicat quod nun-

quam per carnis copulam una caro effecti fuissent, et tunc videtur quod valeant ad secundas nuptias convolare. V> Et Sánchez *tom. 2 de matrim, disput. 82 n. 16* ait: « Creditur illis. . . maxime dum examinati sint coniuges ad formam textus in *cap. litterae tuae pe frigid, et male f.* ex utroque latere septem propinqui, aut si velis septima manus, necnon decem a partibus inducti bonae famae, ac de re instructi. » Ita Hostiensis *Summa De conv er s. coniugai, n. 9 vers, quod si quis.* Bald. *Deo nobis in princip. cap. de Episc, et cleric. n.* 7, aliique permulti. Porro in praesenti causa id plenissime verificari quoad utrumque coniugum ex superius relatis abunde patet ; ex quibus etiam evidenter ostenditur reluctantiam uxoris ad actum coniugalem veram separationis causam fuisse. Enunciatam insuper coniugum confessionem magni esse momenti, ut mihi videtur, facile apparebit, si eorumdem probitas consideretur, et praecipue ingenuitas, et religiositas sponsae Aloisiae Sissa, quae a testibus septimae manus optimis moribus ornata dicitur, quaeque veluti adolescentula bonae indolis, timida, et verecunda describitur, a teste Dario Guaita non vocata ad statum matrimonialem asseritur. At pudor, et singularis ipsius verecundia mirabiliter enituit in subeunda sui corporis inspectione, eidem ab Episcopo Mantuano imposita iuxta Benedicti XIV constitutionem.

Confessionem utriusque coniugis magni ponderis esse nemo dubitat, si praecipue fulciatur aliorum testium confessionibus, ceu verificatur hoc in casu.

Praedictae testium septimae manus depositiones procul dubio coniugum depositiones confirmant; et licet sint de auditu, tamen iuxta S. Romanam Rotam omnino fidem merentur; quia, inquit « in materia difficilis probationis, et ad probanda quae inter parietes fieri solent, iunctis adminiculis *plene probant. » Dec. 155 n. 16 et 17, et n. 51 et seq. par. 6 recen, et dec. 270 n. 3 et 4, part. 13 item dec. 164 n. 17 part. 14.* Recensitos autem testes vere esse adminiculatos nemo non videt; audierant enim graves coniugum

circumstantias a personis fide dignis; uti sunt ex. gr. reluctantia uxoris ad actum coniugalem, mariti lamentatio, quia iure suo matrimoniali uti nequiverat, ac denique delirium mentis eiusdem uxoris ob duo consummationis matrimonii •¿entamina a Dante Guaita peracta. Quae omnia hisce in circumstantiis plene probant.

Hinc ad rem faciunt quae Coscius *Lib. 3. de separat, fori cap. 2 n. 250* scribit his verbis: « Concurrente ergo coniugum confessione, maxime si sit reiterata, cum iuramento, itemque iuramento septimae manus, obstetricum iudicio, publica voce, et fama, enunciatis, aliisve adminiculis et argumentis, nihil obstare posse videtur coniugum potentia; nam a potentia ad effectum non modica intercedit distantia, et condormitio, quae non probationem, sed solam praesumptionem inducit, omnino veritati cedere debet. Cardinalis de Luca *De matrim., disc. 9 num. 15,* Marc. *Decis. 407 n. I, part. 2.* Optime pariter Ursaya *Disóep. eccles, tara. 2 part. 1. discept. 3. n. 45* ait: «Condormitio coniugum non facit, ut matrimonium amittat qualitatem, et denominationein rati, quando cum effectu consummatum non fuit; eo igitur ipso quod talis consummatio non probatur, sive cohabitaverint, condormierint coniuges, sive non, semper verum erit quod matrimonium est simpliciter ratum, et consequenter subiectum Summi Pontificis potestati circa illius dissolutionem. » Et rursus *tom. 3part. 2 discept. 21 n. 147 et seq.* « Condormitio, inquit, coniugum in eodem lecto sicut non facit, ut matrimonium amittat qualitatem, et denominationem rati quando in rei veritate consummatum non fuit ; ita non bene adduci potest pro motivo difficilis concessionis gratiae dispensationis. »

Inquirendum nunc est an praefatis testium depositionibus respondeat factum, quod est probatio perentoria, omnem dubitationem eliminans, nempe inspectio corporis Aloisiae Sissa per idoneas obstetrices rite peracta.

Ex actis enim processus constat, duas deputatas fuisse obstetrices ad corporis mulieris inspectionem: quae iuratae

unanimi iudicio deposuerunt, Aloysiam adhuc virginem esse. Unde heic ad rem faciunt quae Sánchez *lib. 2 de matr. disput. 23* scribit dicens : « Si sponsa non erat virgo, nec sponsi domum traducta sit, adhibetur eorum iuramento fides; cum ex aspectu probatio haberi nequeat, et non esse tradur etam, simul cum iuramento, sit urgens iudicium. Si erat virgo et talis aspectus appareat, licet domum sponsi traducta sit, *credit u/" illis;* quia omnis probatio vincitur, aspectu coiir- trarium testificante. » Ita docent Ancaranus *cap. ex publico n. 3 de confers, •coniugai.* Hostiensis, Bald. *loc. cit.* ceterique. Et revera induhiuni videtur per hanc inspectionem rite peractam, certo moraliter cognosci posse adulescentulam intemeratam esse. Hanc propositionem adamussim confirmat votum a celeberrimo Scipioni elucubratimi, et ab advocato Raphaele Ala in suo opere *II foro criminale tom. 7 pag. 120 n. 20* relatum, ubi tradit certa virginitatis realis, et naturalis signa, quibus stantibus indubie argui potest mulierem violatam nunquam fuisse. Quae signa modestiae causa praeterire censeo, cum quisque penes auctores, pro suo lubito ea legere possit. Et in casu nostro ita sentiendum esse, scilicet, Aloisiam Sissa numquam fuisse violatam, praeter argumenta superius relata, sufficiat prae oculis habere ipsius indolem timidam, verecundam, bonis moribus praeditam, prout testes unanimiter affirmant, a coniugali actu strenue reluctantem, eroicum fere sacrificium, humili submissione tolleratum, nempe sui corporis inspectionem.

Me non latet nonnullos scriptores varias congerere peritorum sententias, ex quibus demonstrare conantur nullius ponderis esse quamlibet inspectionem in partibus genitalibus feminae, ita ut nunquam certi esse possimus de ipsius integritate vel corruptione. Quibus admissis, nemo non videt quod inutiles prorsus forent doctrinae et regulae omnes, quas celebres scriptores tam antiquiores, quam recentiores nobis hac super re tradunt. Supervacaneae pariter putandae essent sapientes Ecclesiae praescriptiones in huiusmodi inspectionibus exequendis statutae, et praesertim celeberrima S. Pon-

tineis Benedicti XIV constitutio, S. Congregationis Concilii Instructio diei 22 Augusti 1840, necnon Instructio S. Officii: quod nullus sanae mentis homo asserere audebit. Fateor equidem et ego virginitatis claustrum quaedam continere phenomena ipsis in arte peritis inscrutabilia, iuxta variam personarum physicam conformationem, circumstantias, et incommoda sive materalia, sive moralia; per quae diversum saepe saepius de eadem re iudicium efficitur, absoluta certitudine destitutum. At hoc non impedit quominus in praxi prudens, et concludens iudicium efformetur, morali certitudini innixum, quod sufficit ut iudex tuta conscientia suam. sententiam proferat. Certitudo enim absoluta, et physica a sacris canonibus haud quaquam exigitur; quae plerumque obtineri non potest. Quapropter ad rem Coscius *lib. 3 de sep. tori, cap. 2 n. 146* ait: «Cum agatur de facto occulto, a quo testes absunt, et probationes esse non possunt certae certitudine physica, sed sufficiunt certae certitudine morali, quae fundare valeant iudicis animum quemadmodum sunt coniecturae, indicia, et alia argumenta coniunctim ponderanda; ut docent communiter canonistae et theologi. » Eadem veritas a celebri Zacchia confirmatur *lib. 4 tit. 2 quest. 2 n. 8, 9,* qui ad virginitatis cognitionem, descriptis symptomatibus quoad carúnculas, colorem, et unionem partium tum in virginibus, tum in corruptis, ita concludit: « Itaque haec omnia signa simul conspirantia integrae viginitatis evidentem coniecturam praebent. Nam quod singula per se testari non possunt, simul unita poterunt. »

Ex hucusque ergo dictis, patere videtur matrimonium in casu haud esse consummatum, prout unanimiter uterque coniux, testes septimae manus, publica fama, et ambae obstetrices fatentur, et iuramenti sanctitate confirmant. Inquirendum nunc est an iustae adsint causae pro solutione enunciati matrimonii, et an sit consulendum SSmo pro dispenrsationis gratia.

Posse Summum Pontificem, suprema qua pollet auctoritate, a Christo Domino in persona Petri accepta, vinculum

matrimonii rati, et non consummati relaxare indubitatum est. Cum enim, ut ait Coscius *De separ. tori lib. 1 cap. 16 n. 4,* « notorium undique sit plures Summos Pontifices illud relaxasse, si nos hodie post tot exempla de eorumdem Summorum Pontificum potestate dubitare vellemus, idem esset ac illorum facta improbare ; quod tamquam sacrilegum per *text. In leg. 2 cod. de crim. sacrilegii* condemnant, Farinacc. *cons. 65 n. 45 lib. 1.* Vera Crux *specul. 2 part. art. 23j,* ubi habet : « De Pontificis potestate, postquam dispensavit dubitare, instar sacrilegii est: esset enim Christo quasi exprobrare quod non satis Ecclesiae suae pro vidisset. »

Praeter Summi Pontificis potestatem, communiter theologi et canonistae docent, etsi alii oppositum teneant, quod graves adesse debent causae, pro hac concedenda dispensatione. Et ut docet Sánchez *De matrim, lib. 2 disput. 15 n. 5:* « Indissolubilitas matrimonii est de iure naturali, et divino, in quo dispensatio Pontificis absque causa iusta concessa, est prorsus irrita. » Reapse autem in praesenti casu graves causas reperiri quae usum pontificiae auctoritatis non solum suadent, sed etiam exigunt ex ipsa facti specie superius exposita manifestum est. Et revera prima causa quae a theologis, et canonistis assignatur, est alienatio animorum. Hanc animorum alienationem adfuisse inter Dantem Guaita, et Aloisiam Sissa, etiam ab initio matrimonii, et postmodum perseverasse, ex actis processualibus evidenter ostenditur, quae procul dubio a reluctantia ad actum coniugalem originem duxit, quaeque insuper Aloisiae reluctantia causa fuit. ut maritus ne minimum quidem amoris signum ei dederit, ut ipsa fatetur, et completam eorum separationem produxerit.

Huic animorum alienationi aliud accedit, quod Caietanus *tom. 1 opuscul. tract. 28,* reputat veluti complementum causae sufficientis ad dispensationem obtinendam, et est utriusque coniugis consensus. De consensu Dantes Guaita nullimode dubitari potest, cum ipse supplicem libellum ad Archiepiscopum mediolanensem porrexerit, ut sui matrimonii solutionem obtineret, et absolute ad suam uxorem redire recusat.

Be consensu autem suae uxoris Aloisiae Sissa dubitari nequit, ceu eruitur ex responsionibus datis ad interrogationes, in iudicio mulieri eidem factas.

Tertia quoque causa quae a Sánchez *lib. 2 de matr. disput. 15* assignatur est timor gravis magni scandali. Ast non sine fundata probabilitate praesumi potest, ipsum Dantem concubinariam vitam ducere; quia adamare coepit aliam mulierem ab initio anni 1889.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Lígale vinculum, quod die 23 Ianuarii 1888 contraxit cum Aloisia Sissa, in aetate annorum septem supra viginti constituta, Dantes Guaita, viginti et octo annos natus, opere imperfectum proclamat, mutuae coniugum confessioni et specimini in Aloisiae corpore a duabus obstetricibus peracto innixus. At umbratile utrunque argumentum videtur.

Enimvero, quod attinet ad iuratam coniugum confessionem, in primis ea *per se* nil probat j quia cum ambo coniuges matrimonium dissolvi cupiant, in ipsorum confitentium favorem est, Sánchez. *De matrim, lib. 2, disput. 45, n. 33.* Deinde, quoad virum, Dantem Guaita, liquet eum veritati contraire. Ipse enim fatetur: ad uxorem scripsisse, praeterita aestate, ut declararet, an sanitate recuperata, secum redire vellet, seu liberum reddere, pro jdiis ineundis nuptiis, quoniam matrimonium consummatum non erat : ipsamque respondisse illum relinquere ab omni onere solutum. Iam vero uxor vice versa fatetur: sese rescripsisse illi epistolio, virum eumdem non relinquere liberum, ast sese illuc ituram, ut bonae mulieris officia impleret.

Rursum, interrogatus a iudice an sciret si uxor adhuc virgo esset; respondit sese id nescire, quoniam coniugale actum. implere nequivit. Ast actricis mater refert : quondam quaesivisse an odium natum inter eos fuisset, ex eo quod maritus uxorem non reperiiset integram; ast maritum respondisse, quod angelum quoad hoc reperiit. Postremo ipse Dantes auctor est: ipsa mater uxoris rogavit me, quando Mediolanum petiit anno 1888, an actum coniugale impieve-

rimus, sed responsum dedi, me reddere matri filiam integram. Sed uxoris mater sciscitanti iudici: an maritum aliquid dixisset de matrimonii consummatione, respondit, neque ille noe dixit, neque ego hoc quaesivi unquam.

Neque peremptorium est obstetricum testimonium. Etenim instructio a S. C. C. edita die 22 Augusti 1840 praecipit: « Iudex TRES SALTEM obstetrices deputabit, quae a duobus saltem peritis *sedulo erunt instruendae* de recognoscendo visu et tactu in muliebrium inspectione. . . . Formali examini erunt subiiciendi periti, *(piorum indicium erit exquirendum super relatis et depositis ab obstetricibus.* » In themate autem exploratio corporis duabus tantum obstetricibus commissa est. Quae quidem obstetrices pauca solummodo commemorant virginitatis indicia: quinimo silent omnino potissimum inviolati claustri virginalis argumentum, hymenem. Nec earundem testimonium iudicio peritorum suppositum est.

Hisce omnibus animadversis, propositum fuit diluendum.

Dubium

An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in caste.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re discussa sub die 10 Decembris 1892, censuit respondere: *Affirmative.*

EX QUIBUS COLLIGES. I. Ex iure fidem haberi posse utrisque coniugibus consummationem matrimonii excludentibus; aiente textu « *si quod numquam se invicem cognoverint ambo fateantur, cum septima manu propinquorum . . . . uterque iureiurando dicat quod numquam per carnis copulam ima caro effecti fuissent. . . valeant ad secundas nuptias convolare.* »

II. Quamobrem condonationem coniugum in eodem lecto non efficere, ut matrimonium amittat qualitatem rati, quando vere consummatum non fuit; et non consummatio probetur per iuratam confessionem coniugum, per testimonium cum iuramento *septimae manus,* per obstetricum iudicium, famamque publicam.

III. Moralem certitudinem de non consummatione matrimonii, gigni per aspectum obstetricum; quando reperiantur signa virginitatis realis et naturalis; quibus stantibus argui potest, mulierem violatam numquam fuisse.

IV. Certitudinem absolutam et physicam a sacris canonibus non requiri; quia plerumque obtineri non potest; eoquod agitur de facto occulto, a quo testes absunt et probationes possunt esse certae non certitudine physica, sed tantum morali, cui animus iudicis inniti possit; ceu sunt coniecturae, indicia, aliaque argumenta coniunctim ponderanda.

V. Omnia haec non desidera)! in themate ; ideoque matrimonium esse tantum ratum reputatum fuit, et consequenter subiectum auctoritati summi Pontificis quoad eius dissolutionem.

EX AEDIBUS VICARIATUS

PIAE CONSOCIATIONIS SACRAE FAMILIAE

REGULAE

I. FINIS. — In brevi Apostolico *Neminem fugit,* a SSmo D. N. Leone PP. XIii, die 14 mensis Iunii 1892 (1) pro universo terrarum orbe promulgato, habetur, Piae Consociationi a S. Familia id esse propositum: « Familias christianas arctiori pietatis nexu sacrae Familiae de- » vincire, vel potius omnino devovere, eo etiam consilio, uti scilicet » Iesu, Maria, Ioseph familias sibi deditas tamquam rem propriam tuean- » tur et foveant » — ; quare omnes, quicumque ad eam pertinent societatem, oportere contendere ut « inter se colligatis fide mentibus, » caritate voluntatibus, in amore Dei atque hominum, vitam ad propo- » situm exigant exemplar ». —- Ad haec facilius certiusque assequenda, Cardinalis vice sacra Urbis antistes ab Ipso Pontifice Maximo Leone XIII Consociationis universae Praeses electus datusque Patronus, audito coetu a consiliis, haec quae sequuntur servanda decrevit.

(1) Adest Breve hoc pag. 8 huius Volumiaie.

IL ADIMPLENDA MUNERA. — *a)* Cardinalis Praesidis erit, coetus- virorum a consiliis, quando Ipsi opportunum videbitur, indicere, eisque praeesse, litteras, ad Episcopos dioecesanos, pro suis quemque negotiis, itemque paginas aggregationis atque eiusmodi alia subscribere. Eiusdem erit paroeciarum numerum ac familiarum recipere , quae per varias orbis regiones in Piae Consociationis album fuerint adscriptae. Sacris coetibus ac religionis solemnibus, quae a Pia Consociatione celebrari in urbe contigerit, vel Ipse praeerit, vel alius ab Eo subiciendus antistes. Sui denique muneris erit, de omnibus, quae piam hanc Societatem spectent, per consiliarios suos edoceri, praesertim in iis, quae ab his posset ex officio fieri, vel quae aliquam difficultatem praeseferre videantur.

b) Trium, quorum alter est a secretis pro tempore S. Rituum Congregationis, quos Cardinalis Praeses sibi adscivit, urbanorum Antistitum erit diligenter conventibus interesse, suam sententiam dicere, significare Praesidi si quid noverint Piae Societati profuturum, in omnia, quae ad huius bonum referantur, sedulo incumbere.

His accedit Sacerdos, qui fungatur munere Secretarii Piae Societatis ad id electus a Cardinali Praeside. Huic curae erit, graviora, quae in conventibus occurrant pertractanda negotia, adnotare; quae ad rei incrementum collatura duxerit, proponere; scriptis edendis a Pia Consociatione vigilem navare operam; de omnibus ac singulis communicare cum Praeside, ut et necessaria approbatione muniantur.

Porro Sacerdos a secretis adsciscere sibi in auxilium poterit alium Presbyterum, a Praeside approbandum qui Secretarii vices adimpleat. Ad eum itaque pertinebit dandas ad Episcopos aliosve litteras exarare eorumque epistolis rescribere, prout a Cardinali Praeside fuerit edoctus, cui et Secretario postea tradet subscribendas. Penes ipsum eritpluteus, sive archivum, quo scripta, libellos, sacras imagines, aggregationis paginas, et alia eiusmodi servabit in usum Sodalium, prout Piae Consociationis consilium constituerit. Agendas sibi expensas ipse describat et Praesidi referat, cui etiam rationem reddet.

III. EXTRA URBEM. — *a)* Episcopi dioecesani erit aliquem e suis Sacerdotibus, quantum fieri possit digniorem, eligere ad munus Moderatoris, huius studium excitare in bonum Piae Consociationis quo alacriorem operam in omnibus, quae ipsum spectaverint, afferat; sedulo advigilare: ab ipso electo Moderatore de omnibus velle doceri quae ad Piae Consociationis bonum referantur.

b) Ad dioecesanum Moderatorem pertinebit Moderatores parochiales opera et consilio iuvare, ul pari alacritate ac prudentia sese in om-

nibus gerant. Ab unoquoque eorum saepe numerum et nomina exquiret familiarum, quae Piae Consociationi fuerint adscriptae, de quibus edoceri deinde possit. Neque harum modo, sed et nomina descriptarum paroeciarum in tabulis recensenda curabit: mox earum exemplar ad Urbem mittet.

c) Paroeciarum Rectores singuli Moderatoris officium inter oves sibi creditas assumant obeantque. De suae quisque Consociationis negotiis cum Moderatore dioecesano communicet, cuius auctoritate, consilio, opera iuvari possint. Familias paroeciae iu sociorum numerum adscisci cupientes in tabulas referet, palamque Moderatori dioecesano faciet. Quotannis, stato die, paroeciae familias recensere studebit novasque, si fieri possit, in album Societatis inscribenda^ curabit. Quo autem Sacrae Nazarethanae Familiae cultus honorque foveatur magis, sermonem interdum de Pia Consociatione ad oves suas habeat, quum in festis peculiaribus Domini, Deiparae, ac S. Iosephi, tum maxime quum Sodalium pactum ent solemniter renovandum, vel etiam quum in parochiali Ecclesia religiosam aliquam eiusdem S. Familiae solemnitatem celebrari contingat, quam et indicere et dirigere prudenti eius arbitrio relinquitur. Idem, si opportunum videbitur, auxiliares viros ac mulieres moribus et pietate praestantes in parte laboris adsumat, qui rei provehendae omni studio dent operam.

d) Delecti ex utroque sexu rei provehendae, alteri inter viros, alterae inter mulieres, ab suo edocti Parocho, in Piae Consociationis incrementum magno studio prudentiaque incumbent, adhibitis, quae ad rem sunt validissima, precibus, hortationibus, virtutum exemplis. Praeterea in omnibus, pro quibus eorum opera uti Parochi in Domino iudicaverint, dociles omnino se praebeant.

ÏV. SERVANDA A FAMILIIS ADSCRIPTIS. — *a)* In honorem Nazarethanae Familiae studeat quicumque ei dederit nomen similitudinem aliquam earum virtutum adripere, quarum Iesus, Maria, Ioseph praeclarissima in terris exempla prodiderunt, quum omnibus tum maxime iis, qui labore manuum victum quaerunt. Sed ad illas in primis animum adiiciant, quae sanctitatem domesticae societatis spectant, uti sunt mutua caritatis officia, praesertim inter coniuges, filiorum recta institutio horumque obedientia et obsequium in parentes, pax et concordia domi aliaque huiusmodi, itaque a vitiis omnino caveant, ab iis maxime quae singularem infamiae notam Christiano homini inurant, quaeque Ipsi Sacrae Familiae iniuriam videantur afferre praecipuam, cuius generis suni impia verba aut obscoena, ebrietates, incompositi mores, hisque similia.

b) Ad Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta solemnioribus sal-

tem anni diebus pie accedent, praesertim quo die Familiarum consecratio renovabitur.

c) Ecclesiae praecepta, in tanta morum demutatione ac corruptela tam parvi habita, suaviter observari curabunt, ea potissimum ex quorum custodia aliis bona exempla derivant, uti auditio sacri festis diebus, abstinentia, praescripto tempore, a cibis vetitis, aliaque eiusmodi.

d) Peculiari honore celebranda curabunt festa Piae Consociationis propria, quae plenaria indulgentia a Summo Pontifice fuere ditata, in primisque solemnem constitutum diem in honorem Sacrae Familiae, qui dies erit per universum orbem Dominica infra octavam Epiphaniae, quo simul, nisi aliter expedire Moderatoribus parochialibus in Domino visum fuerit, ritus consecrationis renovabitur.

e) Dent operam, ut, semel saltem in die, ante Sacrae Familiae imaginem communes fundantur preces in quibus praecipua ratione commendatur Rosarii in honorem Deiparae recitatio.

f) Pietatis exercitationes, quas diximus, enixe commendantur iis, qui ad Piam Consociationem pertinent, nullatenus tamen eorum onerata conscientia.

Datum Romae ex Aedibus Vicariatus, Dominica infra Octav. Epiph., die 8 ianuarii 1893.

L. M. CARD. YIC. *Praeses.*

C. MANCINI *a Secretis.*

APPENDIX IV.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST.; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT, AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDUM MODERATOREM.

S. Poenitentiaria Ap. 7 Novembr. 1888. — Dubia quoad absolutionem casuum reservatorum.

Decreti *23 iunii 1886* responsio ad 1. quae sic se habet: *Attenta praxi S. Poenitentiariae, praesertim ab edita Constitutione Ep. s. m. Pii IX quae incipit* Apostolicae Sedis, *Negative,* non videtur respicere casus specialiter reservatos Summo Pontifici sine censura; siquidem de his non agitur in Const. *Apostolicae Sedis.* Numquid ergo integra manet vetus doctrina theologorum dicentium de his absolvere posse episcopos vel eorum delegatos, vel, ut vult Castropalao, simplicem sacerdotem, quando poenitens Romam nequit petere, quin scribere necesse sit?

2. Quando indultum quinquennale Episcopi habent a S. Cong. de Prop. Fide complectens 14. numeros, n. 10. concedens facultatem absolvendi ab omnibus casibus, etiam specialiter reservatis Rom. Pontifici, excepto casu absolventis complicem, numquid illam possunt delegare in Gallia et in Europa pro casu saltem peculiari? ita ut non sit necessarium ut poenitens adeat Episcopum ipsum, quamvis in n. 11 indulti sit haec clausula : *Communicandi has facultates in totum vel in partem, prout opus esse secundum eius conscientiam iudicaverit, sacerdotibus idoneis in conversione animarum laboranlibus, in locis tantum ubi prohibetur exercitium catholicae religionis.*

3. Posito quod negative respondeatur, quid si poenitenti impossibile sit adire Episcopum tale indultum habentem?

4. Quando sedes episcopalis vacat, numquid Vicarius capitularis potest communicare facultates quinquennales Episcopo amoto vel defuncto concessas per indultum S. Poenitentiariae vel Congregationis de Prop. Fide?

5. Quando missionario occurrit poenitens censuris innodatus, et transiens obiter, ita ut missionarius non possit iterum poenitentem videre, numquid sufficit, posito casu urgentiori absolutionis, exigere a poenitente promissionem scribendi, tacito si vult nomine, ad S. Poe-

nitentiariam intra mensem, et standi illius mandatis, quin confessarius ipse scribat ?

6. Utrum, tuta conscientia doceatur et in praxim deducatur, ut quidam volunt, propter hodiernum periculum ne aperiantur epistolae a potestate civili, non requiri ut epistola ad Summum Pontificem dirigatur in casibus urgentioribus, vel quando adiri nequit Papa.

7. Posito quod non requiritur epistola ad Summum Pontificem, numquid requiritur epistola directa ad Episcopum, stante hoc generali periculo, paesertim quando agitur de absolutione complicis, quae etiam perfidiose detecta et revelata scandalum generare potest?

R. Ad i. Negative.

Ad % 3. et 4. Orator (Missionarius A.) consulat Episcopum, et quatenus opus sit, idem Episcopus recurrat ad S. G. Universalis Inquisitionis.

Ad 5. Affirmative.

Ad 6. Negative, cum in precibus nomina et cognomina sint supprimenda.

Ad 7. Provisum in 6.

S. C. Indulg. 15 Decemb. 1841 — Mechlinien.
Dubium quoad altare pro lucranda indulgentia.

Si a S. Sede indultum locale altaris privilegiati conceditur, neque ulla facta sit mentio nec in supplici libello, nec in rescripto de qualitate altaris, sitne fixum scilicet vel portatile, an altare censeri possit privilegiatum etiamsi sit portatile.

R. Negative.

S. C. Indulg. 31 Ianuarii 1848 — Tolosan. —
De indulgentia lucranda per Missae Sacrificium.

An quando requiratur Sacrificium Missae pro Indulgentia lucranda Missa possit offerri pro uno et Indulgentia applicari pro altero?

R. Communicetur Oratori votum Consultoris. — *Votum Consultoris.* Hanc eamdem quaestionem enucleandam sibi proponit doctissimus P. Ioannes Cavalieri, scilicet: an Indulgentia et Sacrificium dividi queant? Respondet: «Decisio pendet ex verbis indulti; si enim cantat: *Qui pro defuncto Missam in tali altari dixerit, liberat animam eius, etc.* tunc Sacrificium et Indulgentia non possunt dividi, sed utrumque pro eodem defuncto est applicandum; si autem *pro defunctis* in indulto

desit, applicatio solius Indulgentiae sufficit ad liberandam animam, et Sacrificium cuilibet poterit applicari si tamen fundator aut stipem erogans imponat onus celebrandi in altari privilegiato, tunc praedicta divisibilitas locum non habet, per impositionem quippe talis oneris censetur etiam voluisse applicationem Indulgentiae. Secus est si sacerdos onus habeat sacrificando sed non in altari privilegiato ; tunc quidem adimplet obligationem suam per applicationem Sacrificii, et liber est quoad applicationem Indulgentiae, dummodo tamen celebret in altari cuius privilegium non exquirat etiam applicationem Missae. >> Quae solutio et mihi arridet : nam Indulgentia etiam pro defunctis est donum ex Ecclesiae thesauro depromptum, qui constat ex meritis Christi, Beatae Mariae Virginis et aliorum Sanctorum ; opera vero iniuncta sunt conditio solum, sine qua effectum non sortitur Indulgentia, ergo aliud est Indulgentia, aliud opus iniunctum. Porro si applicatio Indulgentiae, pro solis defunctis concessae, necessario coniuncta esset cum applicatione Sacrificii, Sacrificium et Indulgentia forent unum et idem, ergo Sacrificium non esset tantum opus iniunctum, nec Indulgentia ex Ecclesiae thesauro deprompta, sed ex valore infinito eiusdem Sacrificii, qui certe Ecclesiae potestati non subest, sed voluntati Dei finito modo applicantis; atqui Sacrificium est tantum opus iniunctum, et Indulgentia non ex valore, seu fructu Sacrificii eruitur, ergo non sunt unum et idem, adeoque Sacrificium et Indulgentia dividi possunt (saltem dum aliud in indulto non exprimitur), et consequenter, in hac hypothesi, sacerdos potest Sacrificium offerre pro uno et Indulgentiam applicare pro altero. Haec sunt, quae sapienti iudicio vestro, Eminentissimi Patres, subiicienda esse duxi.

S. C. S. Officii Ianuarii 1780 — Vic. Ap. Sutchuen.
De indulgentia plenaria in articulo mortis.

Iuxta indultum a S. Sede concessum, missionarii omnes habent, per communicationem, facultatem elargiendi Indulgentiam plenariam in articulo mortis constitutis. Verum cum raro inveniant fideles praecise in articulo mortis constitutas, inde fit ut alii dictam Indulgentiam elargiantur ubi tantum est mortis periculum, licet proxime admodum non videatur imminere; alii vero iuxta rigorem verborum non applicant nisi quo tempore agonia videtur proxima; et tunc, quando non observant tam proximum mortis periculum, sive ope medalliorum quibus, auctoritate S. Sedis, huiusmodi Indulgentiae adnexae sunt, quaeque fidelibus dant, sive invocatione SS. Nominis Iesu, prout concessum

est a pluribus Summis Pontificibus, monent fideles ut conditiones apponant, quibus tantum beneficium consequi mereantur. Si S. G. determinare censeat cui pacto potius adhaerendum, omnes quotquot sumus praesto erimus S. Sedis iudicio.

R. — Ad id quod inter missionarios controvertitur de tempore impertiendae Indulgentiae plenariae constitutis in mortis articulo, S. C. censuit eam temporis circumstantiam satis esse ut rite conferatur, quae sufficit Extremae ipsi Unctioni conferendae, cum nempe infirmus vi morbi cernitur ád interitum vergere. Neque proximius agoni tempus expectandum esse, quo aegrotus vix sui compos, ad eos plane animi motus edendos impar est, quos Rituale Romanum efflagitat, ut tanti beneficii, sicut Extremae Unctionis, fructus uberius percipiatur. Quamobrem e missionariorum debito fore , post adhibitam infirmo Sacramentalem unctionem, eumdem excitare ad ea animo concipienda quae in eodem Rituali libro leguntur, mox vero tam insigni' beneficio plenariae remissionis eumdem communire; idque tunc potissimum praestare cum se haud reversurus praevident.

S. C. S. Officii 13 Ianuar. 1611 — De extrema unctione ministranda cum oleo, episcopali benedictione non consecrato.

SSmus (Paulus Y) in Congregatione generali coram se habita praevio maturo examine et censura propositionis sequentis quod nempe *Sacramentum Extremae Unctionis oleo Episcopali benedictione non consecrato ministrari valide possit,* auditis DD. Cardinalium suffragiis, declaravit dictam propositionem esse temerariam et errori proximam.

S. C. S. Officii 23 Iunii 1886 — Dubia quoad absolutionem casuum reservatorum etc.

1. Utrum tuto adhuc teneri possit sententia docens ad Episcopum aut ad quemlibet sacerdotem approbatum devolvi absolutionem casuum et censurarum, etiam speciali modo Papae reservatorum, quando poenitens versatur in impossibilitate personaliter adeundi S. Sedem.

2. Quatenus negative ; utrum recurrendum sit, saltem per litteras ad Emum Card. Poenitentiarium pro omnibus casibus Papae reservatis, nisi Episcopus habeat speciale indultum, praeterquam in articulo mortis ad obtinendum absolvendi facultatem.

Ad 1. Attenta praxi S. Poenitentiariae praesertim ab edita Constitutione Apostolica sac. mem. Pii PP. IX. quae incipit *Apostolicae Sedis,* Negative.

Ad 2. Affirmative, at in casibus vere urgentioribus, in quibus absolutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel infamiae, super quo confessariorum conscientia oneratur, dari posse absolutionem iniunctis de iure iniungendis, a censuris, etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, sub poena tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra mensem per epistolam et per medium confessarii recurrat ad S. Sedem. Facto verbo cum SSmo, SSmus approbavit.

S. C. S. Off. 23 Martii 1656
Dubia varia quoad administrationem Baptismatis etc.

Quaeritur (a missionariis in Sinis) utrum omnia sacramentalia in Baptismate feminarum adultarum adhibenda sint. Quaeritur iterum utrum sufficiat feminis petentibus tantum Extremae Unctionis Sacramentum conferre. Quaeritur iterum, num etiam petentibus negandum cum incommoda et pericula christianitatis totius prudenter futura praevidentur. Ratio dubitandi est incredibilis apud Sinas feminarum modestia, zelus, et laudabilis earum ab omni virorum non solum congressu, sed et aspectu fuga, qua in re, nisi magna adhibeatur a missionariis cautela, scandalum ingens Sinis datur, totaque christianitas evidentissimo periculo posset exponi.

R. Ex gravi necessitate proportionata posse omitti quaedam sacramentalia in Baptismate feminarum, ac etiam posse omitti ipsum Sacramentum Extremae Unctionis.

S. C. S. Officii 10 Maii (703.
De administratione Viatici et extremae unctionis

Utrum conferendum sit Viaticum aut Extrema Unctio moribundis adultis, quos aliquando Baptismi capaces credimus, non autem Communionis aliorumque Sacramentorum.

R. Non esse administrandum Viaticum neophyto moribundo, nisi saltem discernat cibum spiritualem a corporali, cognoscendo et credendo in Sacra hostia praesentiam Christi Domini. Non esse pariter conferendum Sacramentum Extremae Unctionis neophyto moribundo, quem missionarius capacem Baptismi credidit, nisi saltem idem habeat aliquam intentionem recipiendi Sacram Unctionem in beneficium animae, pro mortis tempore, ordinatam.

S. C. de Prop. Fide — C. P. pro Sin. 27 Sept. 1843.
Dubia quoad indulgentiam in applicatione Missae de requie.

1. An per facultatem liberandi per celebrationem Missae de Requie animam a purgatorii poenis intelligatur liberatio totalis, vel solum indulgentia plenaria.

2. An sacerdos celebrans Missam de Requie in feria secunda, non impedita, possit vi facultatis obtentae liberare animam secundum suam intentionem, et vi privilegii altaris aliis animabus indulgentiam applicare.

R. Ad i. Ecclesia per altare privilegiatum intelligit, per Missam celebratam ad praedictum altare, vel ab eo qui eodem privilegio personaliter fruatur pro anima cuiuscumque christifidelis, quae Deo in charitate coniuncta ab hac luce migraverit, animam ipsam de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequi, ita ut D. N. Iesu Christi suffragantibus meritis a purgatorii poenis liberetur.

R. Ad 2. Negative quia est idem privilegium.

S. C de Prop. Fide — C. P. pro Sin. 21 Sept. 1843 — Vic. Ap. Sutchuen.
Quoad renum unctionem in extrema unctione.

Senes valde debiles, et infirmi ethica febri vel simili morbo laborantes, qui praesumuntur morituri antequam praesentem habere possint missionarium quasi in extremo morbo ungi possunt, ut rescripsit S. C. anno 1801. Saepius vero in fidelium conventu, suscepto Viatico et Missa finita, hic ungi solent huiusmodi senes et infirmi, nec non alii quidam periculosius aegrotantes. Quando autem pro renum unctione peragenda in viris laxantur et elevantur vestes, statim multi, maxime mulieres, rubore suffunduntur et velociter aufugiunt propter gentis mores. Si igitur S. Congregationi probatum fuerit, dignetur, obsecro, a SS. D. N. obtinere ut renum unctio omittatur non solum quando infirmus commode moveri non potest, sicut vult Rituale Rom., sed etiam quando Extrema Unctio administratur in coetu fidelium.

R. Affirmative, facto verbo cum SSmo — SSmus approbavit.

Ex Decr. S. C. de Prop. Fide 12. Septembr. 1645.
De administratione extremae unctionis mulieribus.

Utrum in Sinis ministri evangelici pro nunc saltem possint... non administrare mulieribus Sacramentum Extremae Unctionis. Et ratio dubitandi est quia chinenses magno zelo ducuntur erga uxores, filias et alias mulieres, et scandalum sumerent ex huiusmodi actionibus.

R. Sacramentalia in Baptismo mulierum esse adhibenda, et Extremam Unctionem esse mulieribus conferendam ; nec sufficere motivum in dubitatione expressum, ut missionarii, quantum in se est, ab his abstineant. Curandum ergo ut tam salubres ritus et coeremoniae introducantur et observentur; ac missionarii tali circumspectione illa administrent, hominesque talibus instruant documentis, ut ab omni suspicione inhonestatis liberentur.

S. C. de Prop. Fide 18 Ian. 1793. — Vic. Ap. Tunk. Occid.
De ordinatione absque litteris dimissoriis.

Anno 1790 ingressus est in Tunkinum iuvenis quidam Gallus ex dioecesi Nannetensi oriundus, qui idoneus videtur ad Ordines suscipiendos, et intendit se devovere Missioni Tunkinensi. In dubio autem, an possint litterae dimissoriae obtineri ab eius natalis dioecesis Episcopo quaeritur an non liceat Vicariis Apostolicis ordinare, absque litteris dimissoriis, illos quorum Ordinarii ita distant, ut ad ipsos difficillimus sit recursus, praesertim, postquam Ordinandi, de quibus agitur, per tres saltem annos commorati sunt sub iurisdictione Vicariorum Ap., ipsorumque expensis sustentati, tanquam de horum familia?

R. Non licere, sed permitti posse Vicario Ap. Tunkini, in casu iuvenis Galli ex dioecesi Nannetensi, attentis circumstantiis, illum clericali militiae adscribere, et ad Ordines promovere sine litteris dimissoriis sui Ordinarii, si nullum extiterit impedimentum, et quatenus idoneus reperiatur. — SSmus approbavit.

S. C. S. Officii 10 April. 1861. — Vic. Ap. Tchely Meridio-Orient.
De administratione extremae unctionis neophytis etc.

Utrum danda sit Extrema Unctio illis neophytis qui, in articulo mortis baptizati, omnino rudes sunt, et vi morbi defatigati, instrui nequeunt.

R. Non conferendum Sacramentum Extremae Unctionis illis neophytis moribundis, quos Missionarius capaces Raptismi credidit, nisi saltem habeant aliquam intentionem recipiendi Sacram Unctionem in beneficium animae pro mortis tempore ordinatam.

S. C. S. Officii 28 Nov. 1668. — De haereticis quoad ordines sacros.

An alumni Collegiorum Pontificiorum, qui vel ab haeresi sunt conversi, vel sunt haereticorum filii, et ideo irregulares, qua irregularitate (quod appareat) non sublata, ad Ordines etiam sacros promoti fuerant et promoventur, num rite et canonice promoti fuerint et promoveantur ; an vere indiguerint et indigeant dispensatione ab irregularitate iam dicta.

R. Alumnos praedictos indiguisse et in posterum indigere dispensatione quoad praedictam irregularitatem. Petentibus vero relaxandam suspensionem.

S. C. S. Off. 9 Aprilis 1704.
De presbyteris admittendis ad exercitium ordinum, eiurato schismate.

Quoad praxim admittendi presbyteros et diaconos (e schismate ad catholicam Ecclesiam redeuntes) ad exercitium suorum Ordinum postquam catholicam fidem susceperint, sequentia observanda sunt. Si sacerdos absolute dicat se ordinatum fuisse cum jmanuum impositione ac verborum prolatione, et nihil aliud obstet, poterit missionarius, postquam cum illo super irregularitate dispensaverit eumque ab excommunicatione absolverit, eum ad exercitium suorum Ordinum admittere iuxta ritum approbatum et expurgatum, in quo fuit ordinatus. Si vero is sacerdos ingenue fateatur se non recordari de materia et forma suae Ordinationis, vel de una aut altera dubitare, non potest admitti ad exercitium suorum Ordinum donec sub conditione fuerit reordinatur. Tandem si absolute asserat vel manuum impositionem vel formae prolationem, sive utramque omissam fuisse, reordinandus erit absolute antequam ad exercitium suorum Ordinum admittatur.

S. C. S. Officii 12 Febr. 1851. — Vic. Ap Coreae.
De sacra ordinatione viri, vivente uxore.

Inter alumnos qui modo educentur, unus est triginta sex annos natus matrimonio coniunctus, sed a multis annis una cum uxore in continentia vivens, uterque cum voto simplicis castitatis; liberos non habet. Cam lacrymis a me petiit ut se daret Missioni: illum incunctanter admisi. Rogo ut, postquam sufficienter edoctus fuerit, licitum sit, vivente uxore, et, cum nullum sit in Corea monasterium, in saeculo remanente «um simplici voto castitatis, virum ad Presbyteratum promovere. Homo ille est probatus in fide, et si fieret sacerdos maximae utilitatis esset.

R. Non expedire.

S. C. S. Officii 4 Dec. 1890. — De irregularitate, quoad ordines, haereticorum etc.

Haereticos ad fidem catholicam conversos, ac filios haereticorum qui in haeresi persistunt vel mortui sunt, ad primum et secundum gradum per lineam paternam, per maternam vero ad primum dumtaxat, esse irregulares, ideoque dispensatione indigere, ut ad Tonsuram et Ordines promoveantur.

S. C. S. Officii 19 Augusti 1851. — Vic. Ap. Cocine.
Dubia quoad collationem ordinum.

Iuxta Ius Canonicum, in Ordinatione Presbyteri et Diaconi, impositio manuum fieri debet *tactu corporali;* quod si omissum fuisset, caute supplendum esset, quod per errorem omissum esset, sed dubitatur :

1. Utrum, si facta fuerit impositio manuum sine *tactu corporali,* suppleri debeat impositio manuum *tactu corporali?*

2. In quantum affirmative, an rumor publicus, et mala fama quae inde eveniret Ordinanti, praesertim in his regionibus, esset ratio sufficiens ad abstinendum ab huiusmodi impositione manuum iterata cum *tactu corporali?*

3. Si suppleri debeat tactus corporalis, an iteranda sint verba quae simul ab Episcopo proferuntur cum impositione manuum, praesertim in Ordinatione Diaconi, in qua verba *Accipe Spiritum Sanctum,* etc. , videntur multis esse forma Sacramenti?

4. Utrum possit suppleri tactus ille corporalis privatim, quando* huiusmodi Ordines non conferuntur?

R. Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Negative.

Ad 3. Affirmative.

Ad 4. Affirmative, et secreto in actione Missae, atque etiam extra tempora generalis Ordinationis.

5. C. S. Officii 13 Martii 1669. — Dubia quoad Episcopi consecrationem.

1. An Episcopus ritus graeci, consecratus ab Episcopo schismatico et haeretico simul, sit valide consecratus.

2. An ab uno tantum Episcopo consecratus sit valide consecratus.

3. An in utroque casu denuo consecrari debeat sine conditione, vel debeat sub conditione consecrari.

R. Ad 1. Esse valide, sed illicite consecratum, et ideo indigere relaxatione quoad suspensionem, et dispensatione quoad irregularitatem.

Ad 2. et 3. Non esse iterum sub conditione consecrandum, sed sequendum praescriptum Brevis sa: me: Pii IV dat. 11 Aug. 1562 (1).

(1) In alleg. Brevi ita legitur: « Hispaniarura rex catholicus nobis nuper exponi fecit quod in Orientalibus Indiis novoque Hispaniae Regno, propter recentem illius populorum ad fidem orthodoxam conversionem, rarae Sedes Episcopales in tanta terrarum amplitudine adhuc institutae reperiuntur: unde fit ut post electionem Praelatorum ad illas vacantes factam, sufficiens Episcoporum numerus ad munus consecrationis illis exhibendum infra tempus de consecrandis Episcopis a iure statutum coadunari nequeant. Quare praefatus Philippus rex nobis humiliter supplicari fecit quatenus in praemissis opportune providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur sacrorum canonum aequitatem a nemine ultra quam praestari possit exigere perpendentes, ac omnes et singulos Venerabiles Fratres Archiepiscopos et Episcopos in Indiis praefatis constitutos, qui hactenus munus praedictum, numero Praelatorum competenti ad id non adhibito, alias tamen rite susceperint, ab huiusmodi excessu, et suspensionis aliisque ecclesiasticis poenis, auctoritate apostolica, tenore praesentium absolventes, secumque super irregularitate, si quam inde contraxerint, et quod munere praefato sic per eos suscepto, suisque etiam presbyteratus Ordinibus ac officio pontificali uti, et in illis etiam in altaris ministerio ministrare, ac suis etiam Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis praeesse libere et licite valeant, de specialis dono gratiae dispensantes, huiusmodi supplicationibus inclinati, universis et singulis quos ad Cathedrales et Metropolitanas Ecclesias in Indiis praefatis nunc et pro tempore institutos, illarum vacatione occurrente, canonice eligi et assumi contigerit, ut deinceps perpetuis futuris temporibus post eorum electionem et assumptionem huiusmodi, nullo alio sibi obstante canonico impedimento, a quocumque maluerint catholico Antistite gratiam et communionem Apostolicae Sedis habente: accitis, et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus in dignitate ecclesiastica constitutis seu Cathedralis, aut Cathedralium aut Metropolitanarum Ecclesiarum Canonicis, praefatum consecrationis munus recipere valeant; ac eidem Antistiti ut idem munus, illius auctoritate praefata, impendere libere possit plenam et liberam auctoritatem et facultatem concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc. »

S. C. S. Officii 20 Ianuarii 1880. — Vic. Ap. Sutchuen.
De sponsalibus, quae fiunt in Sinis.

1. Est mos communis inter Sinas, ut parentes pro suis infantibus in tenera aetate adhuc constitutis, et ante usum rationis, sponsalia ineant ; atque eiusmodi sponsalia, vi legum civilium, ita firma sunt, ut coram iudice vix unquam possint dissolvi ; ita ut si puella, adulta iam facta, contra sponsalia huiusmodi reclamaret, ordinarie loquendo non audiretur, sed cogeretur ad matrimonium. Possuntne huiusmodi sponsalia inter christianos tolerari? Certum est ea fuisse ab antiquo usque nunc tolerata, neque unquam audivi fuisse in aliis huius Imperii provinciis prohibita. Cum vero, paucis abhinc annis, deprehenderimus exinde rixas et contentiones excitari inter christianos, qui, more gentilium agentes, voluerunt cogere etiam coram iudice huiusmodi sponsatos aut sponsatas, ut praetensam hanc promissionem per matrimonium complerent, prohibui christianis parentibus ne in posterum absoluto modo sponsalia haec pro infantibus contraherent. Tantum permisi ut promitterent pro futuro huiusmodi inire sponsalia, quae unice effectum haberent quando duo sponsi, discretionis annos adepti, ad id scientes et volentes consentirent. Verum, quoad praeterita sponsalia contra Ecclesiae regulas inita, non ausus sum de facto et expresse horum rescissionem mandare. Sunt enim inter christianos plurimi qui ante conversionem ad fidem sponsalia contraxerunt, et profecto, saltem communiter loquendo, male exciperentur a gentilibus quibuscum contraxerunt, si talem rescissionem proponerent. Tamen haec duo inlimavi, nimirum: 1. Ut in posterum nunquam invitos cogere ad matrimonium praesumant virtute praecedentium sponsalium. — 2. Ut tentent dissolutionem, vel, si non possint obtinere, ad minus promittant se in posterum, aut filios aut filias in matrimonium nunquam tradituros, nisi prius sit dispensationi locus, atque illam obtinuerint.

2. Ex sponsalibus pro infantili aetate sic factis, alter ortus est abusus nimirum: saepe fit ut parentes tradant promissam puellam nu triendam et instituendam parentibus pueri, quibuscum contractum inierunt: ita ut, a secunda vel tertia annorum aetate usque ad matrimonii tempus, simul cum futuro viro sub eodem tecto maneat. Inde autem aliquando pessima data sunt scandala. Ut tanto malo occurrerem, prohibui christianis, ne tales nurus ante diem matrimonii ad propriam domum accerserent, nisi gravi urgente causa, cuius gravitatis solum iudicem missionarium constitui. Causa autem censetur gravis, si puellae parentes, neque eam nutrire, neque christiane instituere valeant, et

utrumque possint alterius parentes. Pariter quando sponsalia contracta fuerunt tempore gentilitatis, et puella sub cura et institutione infidelium remanet, tunc permittitur, et etiam exhortamur christianos, ut apud se dictas puellas in infantili aetate recipiant, castitatem ipsarum sub custodia charitatis Deo committentes. Pro utroque casu conditio est absoluta, ut matrimonio coniungantur quo tempore facti sunt adulti, modo tamen uterque sponsus consentiat.

R. Ad 1. Nihil non scite, non prudenter, non pie a Vicario Apostolico sancitum esse. Sponsalia sive inter infantes contracta, sive a maiori cum infante, pro infectis haberi, adeo ut nec publicae honestatis impedimentum producant, iure praesertim canonico constitutum habemus. Ea ipse quae inter impuberes celebrantur sponsalia, quamvis iure canonico cautum sit valere atque obligationem inducere, eodem tamen iure statutum esse, propter imbecillitatem iudicii, ut post pubertatem resilire liceat; neque is qui ad pubertatem primus advenerit teneatur alium expectare, sed statim resilire valeat, imo et debeat, si sponsalia probare nolit, alioquin postea non audiatur. Quae cum optime noverit Vicarius Ap., sapienter igitur iniquum patriae morem desponsandi filios in infantili aetate, qui quod iuraverint patres, hoc, velint nolint, sint impleturi cum ad nubiles annos venerint, exscindere curasse, prohibitis christianis genitoribus ab hisce sponsalibus ineundis, aut ita permissis, ut non sint valitura neque ullum habitura effectum, nisi annos discretionis adepti, in ea liberrime consenserint filii, censuit S. G. Sed et sponsalibus contractis iam a genitoribus in infidelitate ita mederi studuisse Vic. Ap., ut neque prudentius quiddam pro loci rerumque circumstantiis, neque efficacius aliquid pro tuenda filiorum libertate excogitar! posset, animadvertit eadem S. G.; ea propterea singula quae Vicarius edixit, vel de tentanda sponsalium dissolutione, non tamen extorquenda; vel de filiis invitis cogendis nunquam ad matrimonia; deque expectanda, quae nunquam dabitur nisi nubere volenti, etiamsi cetera concurrant, dispensatione Apostolica, calculo suo suisque laudibus prosecuta est.

Ad 2. Aeque laudabilia haec Vicarii Ap. consilia fuisse, meritoque praeceptum in primis illud esse, ne nurus in domum sponsi veniant innuptae, ut scandalis praecludatur via, atque ea innumera praepediantur peccata quae diu familiariterque versantibus sponsis inter se impossibile est non evenire. Neque ab hac prohibitione irrationale visum est excessisse in duobus enarratis casibus, cum sciatur quam grave periculum ingerat castitati alimoniae necessitas, et quam alte insideat animo prava educatio, vix unquam eradicanda. Attamen sibi suasit S. G. duo haec

prae oculis habituros missionarios, ubi desponsas puellas in soceri domo alendas permiserinl: primum quidem, id se nunquam concessuros, nisi cum apud neminem quamque aliam honestam piamque personam easdem alere, seu ali facere posse viderint, aceita in id soceri ope atque opera; alterum, ubi non alibi quam in soceri domo eas ali educarique posse perspexerint, illud tamen praestituros, ut occasio proxima peccandi amputetur omnino. Haec etenim, cum sit ex sese peccaminosa, nequidem vitandi maioris mali causa unquam licet: quae duo eisdem missionariis inculcanda idcirco voluit eadem S. C.

Ex Instr. S. C. S. Officii 16 Septembris 1824. — Ad Ep. Quebecen. Dubia quoad matrimonium.

. . . . Dubium 2. Paulus viduus christianus, Balbinam infidelem duxit in uxorem, quae in numerum christianorum cooptari cupit, ut-cum ipso matrimonium christiano more contrahat. .Interim Demetrius Pauli filius ex priore uxore proveniens declarat se rem habuisse cum Balbina. Quaeritur an per huiusmodi copulam cum muliere infideli resultet impedimentum affinitatis in primo gradu.

. . . . Dubium 4. Vir fidelis in matrimonium duxit mulierem infidelem, cuius consanguineam in secundo gradu infidelem quoque antea cognoverat. Quaeritur an postquam uxor eius christianam fidem amplexa fuerit, indigeat dispensatione super secundo affinitatis gradu, ut cum ipso sacramentaliter contrahere possit.

. . . . Dubium 6. In facultatibus extraordinariis, quae Summus Pontifex concedere solet Episcopis vel missionariis in longinqua agentibus, dicitur (art. 6) *Dispensandi quoad matrimonia praeterita etiam in secundo solo (gradu affinitatis et consanguinitatis), dummodo nullo modo attingat primum, gradum, cum iis qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam..* De quo quaeritur an per matrimonium praeteritum intelligenda sit coniunctio quae obtinuisset inter virum catholicum et mulierem haereticam, vel inter virum fidelem et mulierem infidelem vel viceversa, ita ut praedicta facultate uti liceat quando alterutra tantum pars contrahens ab haeresi vel infidelitate redit ad fidem catholicam.

R. Ad 2. Duo sunt distinguenda: 1. vel Paulus duxit uxorem Balbinam infidelem, praevia dispensatione Apostolica super cultus disparitate, vel absque Apostolica dispensatione; 2. vel Demetrius rem habuit

cum ßalbina antequam Paulus eam sibi acciperet in uxorem, vel post. Si praevia Apostolica dispensatione Paulus Balbinam duxit, etiamsi praecessisset Demetrii copula cum eadem Balbina, iam pro valido habendum est matrimonium ; quippe impedimentum affinitatis praesertim ex copula illicita, ut in casu, cum non habeatur ut iuris divini aut naturalis, sed tantum ecclesiastici, infideles ex mente Ecclesiae non afficit quia Ecclesiae non subditos, et Ecclesia dispensando cum parte catholica super disparitate cultus, ut cum infideli contrahat, dispensare intelligitur ab iis etiam impedimentis a quibus exempta est pars infidelis, ut inde huius exemptio, propter contractus individuitatem, communicata remaneat et alteri. Fit inde consequens huiusmodi matrimonium reiterari non posse post Balbinae conversionem ad fidem. Semel enim validum semper in sua perseverat validitate : neque infirmaretur per subsequentem copulam quam Demetrius cum Balbina habuisset, quia non inde solveretur vinculum coniugale quod est indissolubile. In hoc ergo primo casu animadvertant missionarii ne huiusmodi coniuges christiano more contrahere postulantes admittant ad novam consensus praestationem; imo eos admoneant de validitate praecedentis matrimonii, ut sciant per sacras nuptialis benedictionis caeremonias, non novum se inire matrimonium, sed tantummodo quod iam inierunt firmumque consistit, sanctificari.

Contrarium autem dicendum est in secundo casu, nempe si Paulus contraxit cum Balbina absque Apostolica dispensatione super disparitate cultus. Tunc enim cum nullum et irritum fuerit matrimonium ac si contractum non fuisset, et ipsa Balbina post baptismum impedimento ligaretur affinitatis. Nec refert quod Balbina cum carnaliter cognita fuerit a Demetrio adhuc in infidelitate versaretur, atque idcirco ecclesiastico non subiiceretur impedimento. Distingui namque debet affinitas in se ac physice spectata ab impedimento affinitatis. Porro affinitas etiam ab infidelibus contrahitur, quia etiam inter infideles verum est, quod vir et mulier per carnalem copulam una caro efficiuntur. Itaque ut habetur in cap. *Fraternitatis* 35, quaest. 10: «Si una caro fuerit, quomodo poterit aliquis eorum propinquus uni pertinere, nisi pertineat alteri?» Igitur quia Paulus pater pertinet ad Demetrium filium, pertinere dicendus est et ad Balbinam, ac Balbina, quia una caro effecta cum Demetrio pertinere Paulo. Id tantum est discriminis quod affinitas ecclesiasticum non parit infidelibus impedimentum, fidelibus autem parit. Quapropter cum per Baptismum non tollatur a Balbina eius iam physice contracta cum Paulo affinitas, haec ipsa affinitas radicaliter in ea inhaerens, quae eidem infideli impedimento non erat ad contrahendum, impedimentum evadit post Baptismum, quo subdita fit Ecclesiae, eiusque

proinde legibus subiecta; impedimentum autem utique in primo gradu, et quidem in linea recta, quia in tali se gradu et linea contingunt Paulus pater et Demetrius filius, et affinitatis gradus ex gradibus desumuntur consanguinitatis.

Ad 4. Ex his quae dicta sunt in responsione ad 2 dubium patet responsio ad 4. In utroque enim agitur de impedimento affinitatis ex copula illicita, nisi quod ibi sermo erat de affinitate quodammodo passiva Pauli fidelis, quam nempe contraxerat cum Balbina non ex proprio, sed ex facto alterius, scilicet Demetrii, hic autem de affinitate agitur activa, cuius videlicet auctor est ipse vir catholicus, qui contrahere vult mulierem cuius consanguineam in secundo gradu carnaliter cognovit. Eo ergo magis resultare dicendum est ex parte viri impedimentum, et quidem in secundo, quia consanguinitas et affinitas pari procedunt et computantur gradu, eodemque similiter detineri etiam mulierem, quum catholicam amplexata fuerit fidem. Itaque si matrimonium a viro fideli cum infideli contractum Apostolica praecesserit dispensatio super cultus disparitate, pro valido habendum est, ideoque non iterandum, post mulieris baptismum, novi consensus praestatione; si vero absque huiusmodi dispensatione initum fuerit, quia nullum tunc fuisset et irritum, praeexistentis affinitatis impedimentum afficeret, post baptismi susceptionem, etiam mulierem, ut ipsa quoque indigeret dispensatione ad valide et sacramentaliter contrahendum.

Ad 6. Manifestum est per matrimonia praeterita, in quibus uti possunt Episcopi vel missionarii facultate, sibi ab Apostolica Sede delegata, dispensandi ut in dubio, intelligi non coniunctiones quascumque etiam fornicarias, sed eas tantummodo, quae, iuxta mores regionum vel infidelium vel haereticorum , formam habent et figuram matrimonii, habenlurque pro legitimis matrimoniis, quae tamen irrita sunt ob ecclesiasticum impedimentum secundi gradus affinitatis et consanguinitatis.

Intelliguntur itaque matrimonia, hoc obstante impedimento, nulliter contracta ab iis qui legibus subduntur Ecclesiae. Huiusmodi porro sunt matrimonia: 1. fidelium cum infidelibus inita absque Apostolica dispensatione super cultus disparitate ; 2. catholicorum cum haereticis ; 3. denique haereticorum pariter cum infidelibus, vel etiam inter se, quippe et ipsi Ecclesiae legibus tenentur. Non autem intelligenda veniunt matrimonia inter utramque partem infidelem. Qui enim Ecclesiae legibus non ligati, ut infideles, valide iam contraxerunt, opus non habent, neque postquam ad fidem conversi fuerint, dispensatione ut in contracto matrimonio remanere possint, quia quod validum initio fuit, revalidatione non indiget.

Primum autem, et secundum dumtaxat casum ponit auctor dubii, tertium nec attingit; atque in illis duobus casibus, quia una pars iam catholicam profitetur religionem, ac idcirco, per alterius conversionem, ambo coniuges iam sunt catholici, cum his dispensare licite posse non ambigit, sed tantum quaerit an ad huiusmodi solummodo casus extendatur dispensandi facultas? Hinc patet quod ad quaestionis elucidationem, etiam de tertio casu habenda est ratio, quaerendo nimirum an ad hunc quoque casum facultas extendatur, ita ut ea uti liceat, tam si una tantum, quam si utraque pars convertatur ad fidem.

Respondetur autem, extendi. Et re quidem vera, si convertitur vel infidelis vel haeretica, remanente altera in sua haeresi, habetur casus dubii praecedentis scilicet matrimonii mixti catholicos inter et haereticos. Sicuti igitur S. Sedes interdum dispensat etiam in huiusmodi matrimoniis ab impedimento affinitatis et consanguinitatis, sic et illi dispensare possunt, quibus concessa est facultas dispensandi cum iis qui ab haeresi vel infidelitate convertuntur ad fidem catholicam. Quod si convertitur pars haeretica, perseverante altera in infidelitate, iam est casus matrimonii catholicorum cum infidelibus, ac tunc quae graves adessent causae dispensandi super disparitate cultus, eadem et gravia evaderent motiva dispensandi quoque super affinitatis impedimento ; si vero convertitur uterque coniux, iam nec locus remanet dubitandi de facultatis extensione, ad effectum ut cum iis licite dispensari possit.

S. C. S. Officii 20 Septembris 1854. — Vic. Ap. Yun-nan.
Dubium de matrimonio.

In istis Missionibus saepe evenit ut minor fratris sui maioris defuncti uxorem ducat et postea convertatur. Difficillime separari possunt propter prolem iam susceptam, vel periculum ne avertantur a fide ; ipsorum matrimonium invalidum tamen esse videtur, utpote omnino a lege civili prohibitum, etiam sub poena mortis. Verum post Baptismum, ad convalidandum eorum matrimonium, satisne est, ut tantummodo suum renovent consensum?

R. Praevia dispensatione ab impedimentis disparitatis cultus et primi affinitatis gradus per facultates quibus missionarii gaudent, consensum esse renovandum ; quod si superventura mala deprehendantur, relinquendus esse in bona fide.

S. C. Concilii 24 Aug. 1686. — Quoad ordinationis interstitia.

Decretum (synodi Midensis in Hibernia) quo edicitur *neminem in posterum sive saecularem, sive regularem in hac dioecesi, non servatis interstitiis, nec sine diligenti Ordinarii examine, ad sacros Ordines promovendum, nisi utilitas aut necessitas Ecclesiae aliud Episcopo suadeat ; et hoc iudicium etiam quoad Begulares non spectare ad Superiores Regulares, sed ad Ordinarium,* reformandum esse quoad illos qui contrarium habent privilegium concessum post Concilium: et in reliquis danda et servanda esse decreta tenoris sequentis : — I. NULLIUS *die 30 Iunii 1597* S. Congregatio etc. remissionem interstitiorum, etiam quoad Regulares, ex causis tantum a Concilio (Trid.) expressis faciendam, pertinere ad Episcopum ordinantem; eum tamen hac in re debere quoad causas deferre iudicio et attestationi superioris Regularis ordinandi. — II. *Die 30 Sept. 1609* S. Cong. etc. saepius declaravit remissionem interstitiorum ex causis a Concilio expressis pertinere ad Episcopum ordinantem, etiam quoad Regulares ab eo Ordines suscipientes, non autem ad Superiores Regulares ; ipsum tamen Episcopum de causis remissionis teneri fidem adhibere ac deferre testimonio Superioris Regularis.

S. C. SS. Rituum 16 Dec. 1826.
Gandaven. — De oleo sancto in privatis domibus asservando.

Sacerdotes curam animarum exercentes pro sua commoditate, apud se in domibus suis retinent S. Oleum infirmorum. An, attenta consuetudine, hanc praxim licite retinere valeant?

R. Negative, et servetur Rituale Romanum, excepto tamen casu magnae distantiae ab ecclesia; quo in casu omnino servetur, etiam domi, Rubrica quoad honestam et decentem tutamque custodiam.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

AYACUQUEN.

MATRIMONII

Die 21 Maii 1892.

Sess. 24 cap. 18 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Maria Grimanesa Samanes domo Andahuaylas in dioecesi ayacuquensi, vix decimum septimum aetatis suae annum attigerat, cum, occasione capta a bellicis perturbationibus, quibus anno 1882 Peruvia commovebatur, una cum materteris Aemilia et Emanuela Ocampo in harum praedium Huambo, veluti refugii locum, profecta est. Ibi, iisdem materteris pronubis, paulo post de illius nuptiis conciliandis cum Dionysio Garcia Leon e paroecia de Huanearay agi coeptum est. Atque brevi negotiationibus confectis, matrimonium inter Dionysium et Grimanesam die 17 Augusti 1882 in aedicula pagi Pacobamba, intra limites paroeciae Huancarama, coram huius loci parocho celebratum fuit.

Verum nuptiali comitatui e templo expletis ritibus egredienti inopinato occurrit ira incensus et armis instructus adolescentiae pater Rosentus Semanes, qui, si testem Ioannem Poro audiamus, iam huic coniugali foederi se infensum praebuerat. Cumque adstantes et praesertim sponsus et parochus pavore correpti se in pedes coniecissent, Rosentus quae gesta fuerant vehementer improbans filiam suam duxit in praedium vulgo Laguna ac dein discam, ubi illam in ephebeo instituendam per aliquod tempus reliquit.

Paulo post penes curiam ecclesiasticam ayacuquensem Rosentus agere coepit, ut praedicti matrimonii nullitas declararetur. Ad hoc ibi, processu inchoato, nonnulla acta, absque interventu defensoris matrimonii et imperfecta ratione expleta fuere. At « eiusmodi iudicium, veluti refert vi-

carius capitularis, ad sententiam usque perductum non fuit, quia Crimanesa. Deo perfectius servire cupiens et admissa ut novitia congregationis monialium Boni Pastoris, cum laude et approbatione superiorum suorum a die 2 Ianuarii anni 1888 permanet, et tirocinium explevit. »

Mox eadem Orimanesa in votis habens, religiosam professionem emittere ad S. C. O. con volavit exorans, ut, sanatis actis, vel per declarationem nullitatis vinculi ex capite clandestinitatis, vel per dispensationem super matrimonio rato et non consummato sibi provideretur.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO MULIERIS. Mulieris patronus postquam adnotaverit defectus actorum haud substantiam processus attingere, ideoque se plene confidere in benignitate EE. PP. pro sanatione, in primo suae orationis capite memorat ex s. Synodi Tridentinae decreto, *Sess. 24, cap. 13 de reform, matr.*, irritum prorsus ac nullum esse coniugium, nisi ineatur coram proprio parocho aut alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia. Quo posito, cum certe praefatum ius tridentinum in Dioecesi ayacuquensi plene vigeat, infert matrimonium inter dionysium et Grimanesam nullitate laborare, utpote coram neutrius proprio parocho contractum, ceu mulier et vir satagunt demonstrare.

Coniugibus testes omnino concinere animadvertit advocatus. Siquidem, ut Ioannes Porro aliosque praeteream, ipse parochus qui eorum nuptiis benedixit hoc idem testatus est. Quibus accedit Ordinarius ayacuquensis referens: « Dionysius Oarcia natus fuit in parochia vulgo de Huancaray et Grimanesa Samanes in parochia vulgo de Andahuaylas, neuterque parochi vulgo de Huancarama, qui matrimonium celebravit subditus. »

Insuper in facto positum esse, monet orator, sacerdotem Alvarez parochum quidem, at non proprium contrahentium, matrimonio in casu absque ulla parochi proprii aut Ordinarii licentia adstitisse. Sane manifesti iuris esse recolit, hu-

iusce licentiae concessionem non ex praesumptione, sed unice ex facto hauriendam esse. Sed cum ex omnibus testibus ne unus quidem sit, qui vel a longe ad delegationis factum alludat, quin imo omnes saltem implicite illud excludere videantur, consequens esse dicit revera delegationem nullimode extitisse. Verum omne dubium removeri videretur ex eo quod, teste Ordinario, parochus ipse, coram quo matrimonium celebratum est, nullam in casu factam fuisse delegationem, affirmare non haesitaverit.

Ad secundam partem deinde gradum faciens patronus, de matrimonii inconsummatione sermonem instituit eamque evidentissimam esse tuetur. Siquidem extra omnem dubitationis aleam positum esse adnotat ex iuratis testium depositionibus, quod coniuges nunquam cohabitaverint, nec uno quidem momento post matrimonii celebrationem insimul fuerint. Ut enim ex ipsa factorum narratione colligitur, adulescentulae pater, vix nuptiarum solemniis absolutis, inopinatus ac furibundus superveniens, ceteris omnibus prae timore fugientibus, filiam illico detinuit, secumque duxit et continuo adeo vigilanter custodivit, ut Dionysius eam amplius nec conspicere potuerit. His praeterea accedit iurata mulieris depositio, quae asseveranter, firmiter et absque ulla animi haesitatione matrimonii inconsummationem profitetur. Quam vero confessionem maximi profecto faciendam esse, subdit, nedum ob Canonum doctrinam et S. C C. praxim, sed et iam ob eximiam deponentis probitatem ac religionem, de qua testis et Ordinarius ayacuquensis in suis litteris ad S. C. C. missis.

Ulterius mulieris depositionem maiorem adhuc vim nancisci, adurget patronus, ex viri confessione, qui praevio iuramento, pariter fassus est, suum cum Grimanesa matrimonium nunquam fuisse consummatum. Consonant tandem testes plures, omni exceptione maiores, qui, quotquot interrogati sunt, omnes, iurisiurandi religione interposita, matrimonium in casu minime consummatum fuisse aperte ac fidenter proclamarunt.

Cum itaque in themate nulla dubitatio, iuxta patronum, de matrimonii inconsummatione supersit, dispensationi ob graves et legitimas causas locus esse videretur. Praesto esse in primis censet quae superius de nullitate disputata fuerunt. Etsi enim, observat, quis haud sibi exinde persuasum habere voluerit, matrimonium nullum prorsus ac irritum esse, eiusdem tamen valorem saltem dubium esse denegare profecto non posset. Verum ex hoc ipso dubio principem dispensationis causam promanare compertum esse, ait, cum ratio inonestissima iustitiae consona ad Pontificis dispensationem concedendam exhibeatur.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS S. VINCULI. Contra tamen officiosus matrimonii defensor observat, perpauca acta, quibus patronus innititur non modo cautelis destitui ad praecavendas fraudes et collusiones inventis , sed ea expleta fuisse, absente matrimonii vindice. Porro Benedictus XIV in celebri Constitutione *Dei miseratione* expresse cavet: « Quaecumque, defensore matrimonii non legitime citato aut intimato, in iudicio peracta fuerint, nulla , irrita, cassa declaramus ac pro nullis, cassis , ac initis haberi volumus perinde ac si citata et intimata non esset ea pars, cuius citari intererat, et quam iuxta legum et canonum praescripta ad legitimam iudicii validitatem citari aut intimari omnino necessarium erat. »

Verumtamen, pergit, dato etiam non fraudes, non collusiones, non errores irrepsisse, et proinde locum esse sanationi actorum, nihilominus, sive coniugum confessiones, sive dicta testium, sive cuncta simul attenta mente considerentur, neque de asserto clandestinitatis impedimento, neque de inconsummatione constat. Et primum quod attinet, memorat, certe matrimonium fuisse initum in pago Pacobamba coram parocho loci Iiuancarama: ac certum pariter esse Crimanesam Samanes eo temporis degisse in praefato pago Pacobamba, intra fines parochiae Iiuancarama sito. Eapropter clandestinitatis impedimentum obiici non posset quin prius doceatur Grrimanesam Samanes, quae in parochia Huancara-

ma versabatur, minime ea praestitisse , quae ab Ecclesiae lege praecepta sunt, ut valide coram antedicto parocho ecclesiae Huancarama matrimonio iungi posset. Iamvero observat, coniuges, testes et ipsum Ordinarium ayacuquensem tantum asserere Grimanesam et Dionysium ad aliam paroeciam pertinere et non es^e parocho loci Huancarama subiectos.

Porro ad renuntiandum matrimonium vitio clandestinitatis infectum haec minime satis esse arbitratur defensor. Etenim vulgatum esse, ait, doctores nequaquam inter se convenire de conditionibus ad hoc necessariis, uti quis ita incola fìat ut matrimonium coram parocho illius loci rite celebrare queat. Quocirca iudices, qui de matrimonii valore cognoscunt, conditiones ipsas in specie seu morae naturam ac praesertim diuturnitatem, inquirere solere, ut iudicare possint an nupturientes, sive ambo sive alteruter, parocho loci obnoxius fuerit. Idque eo magis in themate, cum, uti observat, suspicio non abest quin ecclesiastici viri quorum fidei praesens inquisitio innititur, in huiusmodi scientiis non sint admodum versati, imo mentem habeant erroribus implicatam. Porro vicarius foraneus provinciae de Andahuaylas, cui Ordinarius ayacuquensis negotium commisit, inter alia haec habet in praeiudiciali sua informatione: quod sponsi haud receperint in sua paroecia, sed in aliena, benedictionem nuptialem, ubi sponsa morabatur a duobus mensibus, nec consensum patris obtinuit quum in aetate 18 annorum esset.

Omissa inquisitione cur vicarius foraneus necessarium consensum patris putaverit contra ea quae expresse statuerunt Tridentini Patres in *cap. 1 sess. 24 De ref or.* perpendendum vult sacramenti vindex factum momentosissimum, scilicet, quod Grimanesa in Pacobamba intra paroeciae Huancarama fines, per ultra duos menses ante matrimonii celebrationem moram traxerit. Quo in facto posito, refert Benedictum XIV in celebri epistola ad Archiepiscopum Goanum die 19 Martii 1758 data, haec praescribere : « Necessarium fore censemus nonnihil adiungere, ut in propatulo

sit quidnam requiratur ad quasi domicilium adipiscendum. Verum hac in re non alio pacto responderi potest, nisi quod antequam matrimonium contrahatur , spatio saltem unius mensis, ille qui contrahit habitaverit in loco ubi matrimonium celebratur. Definitiones Congregationis Concilii hac de re observari poterunt apud Fagnanum in *cap. Significavit, De parochiis,* ubi earumdem contextu perpenso, haec habet sub *n. 39:* Vir et mulier Traiectenses, timentes impedimentum a parentibus, cum ad vicinam urbem Aquisgranam se contulissent, et ibi aliquandiu morati matrimonium contraxissent, S. C. consulta, censuit exprimendum tempus, quo contrahentes Aquisgranae manserunt; quod si fuerit saltem unius mensis dandam esse decisionem pro validitate. » Hinc censet, iure Ioannem Perrone *de matrim, chr is f. lib. 2 sect. 1, cap. O, art. 5, p. 278* docere, moram unius mensis taxative sufficere ad matrimonium valide contrahendum, innixum recitatae Benedicti XIV epistolae ac S. C. decisioni Aquisgranensi. Cui praecessisse memorat , Petrum Gury in *Tiieolog. moral, tract, de matrim, n. 840,* ubi refertur etiam responsum supremae Congregationis S. O. diei (3 Decembris 1843, post quod defensor dubitare edicit an hac de re adhuc disputari possit.

Neque in themate obiici valere opinatur, vicarium foraneum retulisse : sponsam moram degere *precarie,* ideoque habitationem duorum mensium cum dimidio suffragari praesenti in causa non posse. Nam in primis haud se intelligere profitetur quid sibi velit vox illa *precarie,* cum pater Grimanesae, quippe qui ut stipendia a gubernio mereat huc illuc discurrit, filiam domi habere non soleat, adeo ut a materteris avulsam in collegio subinde collocaverit, ibique per complures annos eam detinuerit, usque dum puella in congregationem monalium Boni Pastoris se recepit. Deinde contendit, iuxta recitatam doctrinam, habitationem mensis aliquo in loco expletam per se sufficere, quicumque tandem sit habitantis animus. Unde memorat, eamdem S. Officii Congregationem anno 1885, instantibus Episcopis Concilii

Baltimorensis, consensisse, nupturientes « qui per spatium unius sattem mensis commorati sint, eo ipso nulla facta inquisitione de animo manendi per maiorem anni partem, censendos esse acquisivisse quasi domicilium, quoi sufficiat ad matrimonium contrahendum. »

Tandem matrimonii defensor haud in probatis existere censet, matrimonium inter Dionysium et Grimanesam inconsummatum mansisse. Nihil enim prohibere affirmat quominus credi possit novos coniuges genio induisisse antequam Grimanesae pater eos deprehenderet. Porro Grimanesam nitide fateri: quum, paucas post horas, pater pervenisset, eadem die qua matrimonium celebratum fuit, eam secum detulit. Neque demonstratum pariter autumat eos non convenisse post separationem. Nam idem vicarius foraneus auctor est : a die quo separati fuere, nemo scit utrum sese inviserint aut aliqua intercesserit consuetudo inter eosdem.

Hisce praenotatis, proposita fuerunt enodanda

Dubia

I. *An constet de matrimonii nullitate in casu.*

II. *An sit consulendum SSùio pro dispensatione a matrimonio rato et non consunnmato in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii re discussa sub die 21 Maii 1892 censuit respondere : *Ad I providebitur in secundo. Ad II praevia sanatione actorum, affirmative.*

BRIOCEN. SEU PARISIEN.

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die IO Decembris i892.

Sess. *2i* cap. 9 De reform, matr.

COMPENDIUM FACTI. Die 29 Ianuarii 1889 coram parocho ecclesiae S. Michaelis civitatis et dioecesis Briocensis, nuptiae conciliatae fuerunt inter Mariam Halláis, unum ac viginti annos

ibidem natam et Gastonium deViller annos 29 agentem, archidioecesis Parisiensis. Mulier per integrum fere annum cum viro habitavit, ac deinde, praetextu arrepto suos visitandi, a viro discessit, eique per epistolam nuntiavit animum suum non amplius cohabitationem restauranda Vir autem postquam inutiliter ad se revocare curavisset uxorem suam, laicum tribunal adivit, atque allegans, eam et maritale domicilium deseruisse et matrimonium consummare renuisse, divortii sententiam petiit et facile obtinuit.

Biennio fere elapso a dissociata cohabitatione, initio nempe labentis anni, SSmo eadem mulier supplicavit, ut secum dispensare dignaretur super matrimonio rato et non consummato. Exposuit insuper se, virum, plerosque testes Parisiis commorari ; et ideo enunciatae preces ablegatae fuerunt Emo Archiepiscopo Parisiensi, qui SSmi Patris iussa faciens processum confici curavit, ac deinde S. C. Congregationi transmitti cum hac animadversione : « Omnia testimonia id unum probare videntur. Nempe inconsummationem matrimonii, mulierisque a viro, sibi imposito, aversionem quandam insuperabilem, inspectioque corporis actricis a peritis peracta, allatis a testibus omnino concordans est, »

Disceptatio Synoptica

DEFEXNSIO MULIERIS. Qui actricis defensionem suscepit, matrimonium haud consummatum fuisse contendit imprimis ex iurata sponsorum fide. Sane mulier deposuit : numquam matrimonium consummatum fuisse, seseque permanere in virginitatis statu. Vir autem edixit : matrimonium haud fuisse consummatum quia mulier sese enixe opposuit ; et hanc oppositionem elidi tantum vi potuisse ; quod facere recusavit. Idipsum plene confirmari ex *septimae manus* testimonio.

Eosdem insuper testes, aliosque complures, qui brevitatis gratia omittuntur, summopere laudare, ait patronus, utriusque coniugis vel saltem alterutrius religionem et veracitatem ; ac proinde sufficientem iam de matrimonii, inconsummatione haberi probationem a iure requisitam in *cap. Laudabilem 5,*

De frig. et male f., ad cuius normam saepissime etiam ex S. O. O. consulto dispensationes impertitae fuissent.

Id tamen fere ad abundantiam dictum vult orator, cum duo periti medici, qui, de iudicis mandato, actricis corpus inspexerunt, luculentum virginitatis testimonium proferant.

Quibus, ut etiam ostendat inspectionem rite peractam fuisse, patronus addit testimonium sanctimonialis feminae St. Stanislas, quae deposuit : « un bain d'eau naturelle et *tiède* a été préparé pour Madame de Viller née Halláis... (quae) *est restée dans le bain environ trois quarts d'heure.* Au sortir du bain les docteurs désignés par l'officiali té ont fait leur inspection *séparément.* >

Dispensandi autem causas quod attinet, primam eiusmodi esse, ait orator, ut ad dispensationem consulendam nedum ex gratia, sed etiam ex quadam prudentiali administratione iustitiae vehementer adurgeat. Valde enim probabile est oratricem nonnisi ex reverentiali metu cum Gastonio contraxisse. Ita sane ipsa coram Iudice loquuta est : maxima afficiebar antipathia erga dominum de Viller, cum quo primum renueram matrimonium inire... tandem ut cederem accessit iussum matris meae, quod millies iteratum fuit, quamvis declaraverim, me nolle cum illo matrimonium contrahere. Quae quidem a testibus septimae manus omnino confirmari, et praesertim ab oratricis matre, cui consonat testimonium Sac. de la Villerabel, Secretarii Generalis Curiae Episcopalis Briocen., Canonici Mando decani Capituli Cathedralis Briocen., aliorumque non paucorum.

Nec minus gravem esse alteram causam, quae exurgit a sponsalitia fide, quam oratrix ante matrimonium acceperat mutuamque dederat cuidam Detertre, exercitus officiali, quamque integram servare semper intendit. Non leve hinc exurgere dubium circa validitatem matrimonii ob defectum consensus. Nam, teste Card. D'Annibale in *Summ. Theolog. part. II § 430, n. 40, et part. III § 313, n. 3,* matrimonium invalide contrahit qui animum non habet transferendi ius sui corporis in coniugem.

Duabus demum hisce specialissimis causis, alias communes accedere, nempe mutuum consensum, animorum aversionem et reconciliationis impossibilitatem, ob quas Summus Pontifex super matrimonio rato et non consummato misericorditer dispensare solet. Et cum insuper animadvertat orator aeternam suae clientis salutem gravissime periclitari posse, quia in florentissima adhuc aetate constituta ipsa est, et a dilecto priori sponso in matrimonium etiam nunc exquiritur, preces pro dispensatione oblatas benigne excipi rogat.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS SACRI VINCULI. Totis e contra viribus contendit sacramenti vindex, non liquere, neque de matrimonii inconsummatione, neque de iustis dispensandi causis. Primum quod attinet, utriusque coniugis confessionem initio reiicit, quia iuxta Sánchez *de matrim, lib. 2* disput. 45, n. 33 :* « Confessio ea, cum sit in confitentium favorem, nihil probat ». Reiicit insuper testium septimae manus iuramentum ex eo quod ipsi studio partium abrepti veritatem parvipendant ; atque eis alios opponit testes utpote a studio partium omnino immunes, quos inter nemo unus Mariam fide dignam proclamaret. Hi siquidem vel responsionem ad huiusmodi quaestionem studiose devitant, ut sacerdotes Henricus Robert et Petrus Florent du Bois de la Villerabel, qui hac vel alia adsimili responsione contenti sunt : quum testis vitam non degerit in domo, nihil dicere valet de veridicitate dominae de Viller aut sine ambagibus Mariam haud fide dignam renuntiant.

Immerito autem praesidium ex adverso quaeri, subdit orator, in *cap. 5 de frigid, et male fie,* quia quaestio quam Coelestinus III dirimit, toto coelo distat a causa nostra. Sane hic agitur de iuvenibus, quos ad opus idoneos, non est qui inficietur ; et matrimonium, si ipsos audias, imperfectum incompletumque est, quia illud perficere noluerunt : pontifex autem in *cit. cap.* agit de viro, qui traducitur in inutile lignum, cui aliae nuptiae interdicuntur : « Verum si ille aliam duxerit, tunc ii qui iuraverant, rei periurii teneantur, et, peracta poenitentia, cogantur ad connubia priora redire. »

Specimen insuper in actricis corpore a medicis peractum haud commovet vinculi defensorem, quia caret praecipuis cautelis ad hoc a iure invectis, ut huiuscemodi experimenta in pretio haberi possint. Revera in § *Procedendum et seq. Instruct.* S. C. C. 22 Augusti 1840 cautum est, ut corpus mulieris perlustrent tres saltem obstetrices ; idque ita peragant, ut quaelibet obstetrix scriptam expletae explorationis relationem emittat atque iudiciale subeat examen, antequam cognoscere possit testimonium aliarum obstetricum ; cautum pariter est, ut duo saltem medici primum obstetrices recognitionem corporis peracturas instruant deinde relationem ab obstetricibus editam expendant ac iudicent. Quocirca quinque saltem testes adhibendi sunt : scilicet tres obstetrices ac duo medici ; et ad praecavenda quaecumque fraudis collusionisque pericula sancitum est, ut quilibet testimonium suum edat prius quam de aliorum testimonio certiorari vel suspicari ullatenus queat.

At in praesenti causa medici Bucquoy et Ferrand sine aliis testibus ac arbitris, remotis obstetricibus, negotium absolverunt, et ita absolverunt, ut uterque dum virginitatis testimonium edidit, testimonium ab altero emissum sive omittendum probe nosceret : adeo ut non iam quinque, imo neque duo, sed unus tantum quodammodo testis habeatur. Frustra subinde obiici testimonium sanctimonialis Saint Stanislas : dum Maria Hollais egrederetur de balneo, periti medici ab auctoritate deputati corporis inspectionem seorsim perfecerunt ; cum hac clausula seorsim teste iudice parisiensi in uteris diei 21 Decembris 1891, relate ad congeminam causam datis, in hoc unum recidit : « Peritos ingredi quidem ambos simul in cubiculum, in quo fit inspectio, sed deinde '*seorsim corpus inspicere,* quod satis esse videtur, attento instructionis contextu. » Idque contrarium prorsus esse contendit orator, *cit. Instr.*, cuius verba « *Ad corporis inspectionem a singulis seorsim deveniendum erit* » explicat et maxime urget.

Alterum deinde suae orationis caput aggrediens defensor., monet imprimis quod in themate dispensari nequit sine gra-

vissimis causis, et adducit testimonium Leurenii *de* ***for.*** *eccles, lib. 4 q. 277,* qui. tradit, iustam requiri causam nedum ad liceitatem, sed etiam ad validitatem dispensationis. Quo posito sustinet primo metum reverentialem, quo iuxta adversum patronum actrix matrimonium contraxisset, non solum in probatis haud esse, sed etiam inverosimilem apparere. Maria enim, teste Augusto Dany , indolem inilexibilem habet; idem sacerdos Petrus de la Villerabel testatur. Unde sacerdos Henry sciscitanti iudici : scis quod mater Mariae pressionem exercuerit, ut filiam ad matrimonium ineundum adduceret cum domino Vilior ? respondit : pressionem hanc haud verisimilem apparere. Certum quoque esse Mariae in Gastonium antipathiam ortum habuisse nonnullis ab hymenaeo iam exactis mensibus, ceu Gastonii mater renuntiat.

Quoad secundam ex adverso allatam causam defensor animadvertit, quod Mariam inter et iuvenem Dutertre vera sponsalia nunquam extiterunt, sin minus, quando de matrimonio cum Gastonio agere coeptum est, ea sponsalia leves in auras abierant ex facto iuvenis Dutertre, qui Mariae valedixerat.

Alias tandem quod attinet causas, vinculi defensor sustinet, mutuum coniugum consensum sufficientem ad dispensandum causam minime suppeditare, ceu docet Sánchez *de matrim., lib. 2, disput. 10, num. 9 ;* reconciliationem vero ab actrice omnino pendere. Nam Gastonius nullam discedendi causam praebuit uxori ; et Maria sub iuramento affirmat : sibi tribuendam esse non consummationis responsabilitatem; et adiecit dereliqui dominum de Viller quando me iussit abire, eo quod corpus meum tradere renueram : imo in probatis esse, Gastonium etiam atque etiam institisse, ut Maria individuam vitae consuetudinem restauraret : Mariam autem mordicus obstitisse.

Hisce itaque hinc inde adductis, propositum fuit diluendum

Dubium

An sit consulendam SS lì o pro dispensatione supjer matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra O. C. re cognita sub die 10 Decembris 1892 censuit respondere. *Affirmative.*

CAPUANA

CANONICALIS

Die IO Decembris 1892.

Per Summaria Precum

COMPENDIUM FACTI. Post eversivas bonorum Ecclesiae leges, Capuanum Capitulum, quod quadraginta olim canonicis coalescebat, cum magno divini cultus et choralis servitii detrimento ad duodenarium numerum redactum fuit. Quae perpendens hodiernus Emus Praesul, vix Archiepiscopus inauguratio, habito Capituli consensu, preces S. C. C. obtulit ad veniam obtinendam eligendi octo canonicos honorarios ex ordine diaconali, tribuens eisdem titulos canonicorum defunctorum, nec non onera et iura adnexa, exceptis praebendis, quas demanium retinet. Petiit etiam facultatem expediendi Bullas archiepiscopales favore octo praedictorum canonicorum, cum onere sibi comparandi bullas apostolicas intra quatuor menses, quatenus, tractu temporis, consequerentur reditus respectivi beneficii canonicalis. Et quoniam ad praefatos canonicatus illos etiam promovere cupiebat qui iam aliquo ecclesiastico beneficio potirentur, hinc postulavit tandem : facultatem, per quam isti novi canonici inservientes Ecclesiae metropolitanae, retinere valerent antiqua sua beneficia, excepto casu, quo amissas temporalitates consequerentur.

Huiusmodi vero precibus ex Audientia Sanctissimi diei 21 Martii 1881 rescriptum fuit : « *Attentis etc. pro f acuì-*

tate conferendi enunciatus canonicatus cum dispensatione et habilitatione promovendorum ad retinendum, ana cum canonicatu, aliquod beneficium simplex, quod forte possideant, usque dum praebendam canonicalem consequantur, imposita tamen singulis memoratis promovendis obligatione obtinendi Apostolicas collationis Litteras cum primum canonicalem praebendam nanciscantur, facta in litteris collationis Curiae Archiepiscopalis mentione praesentis indulti. » Praeterea paulo post idem Emus Archipraesul petebat a S. O. ut duos parochos civitatis Capuanae ad praefatos canonicatus eligere posset, quin electi curam animarum dimitterent, atque revera voti compos effectus fuit rescripto diei 14 Decembris 1882 pariter ex Audientia SSmi, cum clausula: « *dummodo animarum curae praeiudicium non obveniat.* » Quod etiam in successivis canonicatuum vacationibus peculiaribus de causis ter adhuc concessum fuit.

Modo autem Emus Archiepiscopus, ne singulis vicibus ad S. C. recursum habeat, veniam petiit nominandi canonicos, de quibus loquimur, etiam inter civitatis parochos, quatenus digni reperiantur permitiendo eisdem paroeciam retinere, donec adscendant ad canonicatum cum suis reditibus, semper tamen constituendo unicuique eorum coadiutorem, ne paroeciae servitium detrimentum pateretur.

Disceptatio Synoptica

Porro vulgatum est, ut animadvertit Card. De Luca in *Annoi, ad Conc. Trident, disc. 8, n. 19.* beneficia residentialia praesertim cum animarum cura nequaquam praebendae canonicali uniri posse, atque aliunde, tum ex *Concilio Tridentino cap. 17 sess. 2~> Be reform.* , cum ex innumeris S. C. C. resolutionibus constat, canonicis parochiale beneficium haud Capitulo unitum, eodem tempore retinere minime fas esse. Neque dici posset in themate haud agi de vera canonicali praebenda ; nam cum huiusmodi canonici cum futura aliorum successione deputentur, ac non secus ac ceteri ea-

noriicalia munera obire teneantur, adesset forsan casus cumulationis duplicis beneficii cum onere penes diversas ecclesias residendi ; quod profecto contra canones apparet.

Ulterius perpendendum est S. C. sive in rescripto diei 21 Martii 1881, sive in reliquis, prae oculis habuisse damnum quod ex electione parochorum ad canonicatus animarum regimini obvenire potuisset. Huius vero damni periculum nec coadiutorum deputatione haud omnino exulare videretur. Siquidem notum est, parochos maiori fructu animarum curae advigilare prae illis qui vicariam et temporaneam praebent operam, et aliunde ipsos parochos bonum plebis negligere posse, quam brevi, assecutione canonicalis praebendae, relinquendam esse sciunt.

Verumtamen ex adverso et magni momenti extant rationes ab Emo Archiepiscopo prolatae, scribit enim : quoniam clerus in dies decrescit, et ad canonicatus eligendi sint nedum digni, sed qui habeant in bonis ut decoram degant vitam, id semper verificari nequit in simplicibus ecclesiasticis. Atque alibi : hac in archidioecesi, ubi beneficia parochialia sunt quamplurima, et plerumque cum parvo fidelium numero, pene omnes iuvenes sacerdotes, ingenio commendabiles et honestate vitae renuntiantur parochi per theologiae moralis concursum : hos inter omni aevo electi fuerunt canonici omnino digni. Post electionem peractam_____adsunt extra parochos ecclesiastici aut modicae habilitatis, aut vitae rationes non satis graves, aut adhuc iuvenes ; tales tandem sunt qui tenere nequeant ea loca ex quibus eruuntur Episcopi consiliarii, aut vicarii generales, aut Theologiae magistri, vel Seminarii rectores, vel deputati super disciplina etc. Quod si minus digni his honoribus decorarentur, digniores parochi id aegro animo ferrent, et discrimen pararetur Dioecesi. Addit autem se huiusmodi preces S. C. C. transmittere, quia citius consuleret rei necessitati, et quia, si toties quoties facultas petenda foret, prius oporteret rem conficere cum eligendo, ne frustra ageretur cum apostolica Sede.

Tandem relate ad damnum quod gratiae concessione ani-

marum curae timendum esset, recolendum est in his rebus S. C. Episcoporum sententiam magni facere solere, qui de populi sibi concrediti necessitatibus prae ceteris optime informati ac soliciti censendi sunt. Nec silentio praetereundum, in themate agi de parochis qui parvis parochiis praefecti sunt, quique proinde utrique muneri paroeciali nempe et canonicali facillime satisfacere possunt. Siquidem Capuana civitas, quae circiter 12000 incolis coalescit, 21 habet paroecias, quarum, ut ait Emus Archiepiscopus, una vel altera mille habet fideles, aliae autem centum tantum.

Quibus praemissis, quaesitum fuit quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re cognita sub die 10 Decembris 1892, censuit respondere : *Pro [/rafia ad quinquennium.*

PANORMITANA

MATRIMONII

Die 28 Ianuarii 1793.

Sess. 24 cap. 1 De reform, matr.

COMPENDIUM FACTI. Franciscus Corallo Lyciensis cum anno 1883 uti suboptio undecimae peditum cohortis Panormi stipendia faceret, in domo cuiusdam Franciscae Cozzucoli viduae Salvatoris Zangari diversabatur. Accidit vero ut inter huius filiam Conceptam nomine, et Franciscum brevi nimia intercesserit consuetudo, quae in iuvenum animis sensim amorem excitare valuit ita, ut paulo post de nuptiis conciliandis loqui coeptum fuerit. Attamen Concepta indotata erat, atque proinde illam sibi coniugio obstringi militares leges Francisco vetabant. Ex hac igitur aliisque de causis factum est, ut die 5 Ianuarii 1889 Franciscus Corallo et Concepta Zangari, una cum duobus testibus, ad id accitis, paroeciale conclave simul fuerint ingressi, ac improviso coram parocho sistentes, mutuum consensum de matrimonio contrahendo rite aperuerint.

Post haec domum neoconiuges reversi sunt, ibique simul biduum permanserunt, quin tamen, ut ipsi asserunt, neque in eodem condor mirent lectulo nec rei uxoriae operam darent. Die vero 7 Ianuarii, summo mane discessit Franciscus ac Lycium profectus est: non amplius ad uxorem suam venturus. Nam cum in patria moram traheret, amorem cum alia puella fovere coepit, atque eo usque progressus est, ut de coniugio cum ea ineundo tractatus instituerit. Quod vix rescivisset Concepta testimonium matrimonii Panormi contracti Episcopo Ly cien si transmisit, qui puellae patrem accivit ac de omnibus certiorem reddidit.

Interea Franciscus qui primitus fidem Conceptae datam mordicus denegaverat omnia pandere coactus fuit, ac post aliquot menses, nempe die 29 Septembris 1890, libellum Emo Archiepiscopo Panormitano obtulit, petens, ut ex defectu consensus matrimonium nullum declararetur. Tunc processus in Curia panormitana inchoatus fuit, ibique dein audita fuit mulier et ab ea inducti testes: vir enim eiusque septima manus in Curia Lyciensi depositionem suam ediderant. Die vero 11 Iulii 1891, instante muliere, tres obstetrices a iudice deputatae Conceptae corpus exploraverunt. Quomodo inspectio peracta fuerit, nec non iudicium obstetricum et duorum peritorum, ex partium disceptatione patebit. Hic referre sufficiat sententiam die 4 Novembris eiusdem anni 1891 pro matrimonii validitate fuisse prolatam, atque statim insequenti die Franciscum ab ea ad S. C. C. appellationem interposuisse. Postea uterque coniux appellationi addebat preces pro obtinenda a Supremo Principe dispensatione super matrimonio rato et non consummato, atque die 23 Iunii mox elapsi anni, Francisci patronus ex Audientia Sanctissimi sanationem inquisitionis super dispensatione obtinebat, cum clausula: « *Dummodo acta expleta fuerint iuxta renala s.*

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO VIRI. Patronus memorat in primis auctoritatem *cap. XIV De spons.* « Matrimonium autem solo consensu contrahitur, et ubi de ipso quaeritur plena debet securitate gaudere, cuius est animus indagandus, ne per timorem dicat sibi placere quod odit : » ac contendit in casu nullum fuisse matrimonium ob defectum veri et liberi consensus ex parte clientis sui. Hoc autem in primis evinci autumat ex eo quod Concepta matrimonium elegit, ut id quod in eius votis erat, etiam Francisco renuente, per fas et nefas obtineret, nec non eo quod illud iniit coram duobus testibus intimae notae, a Conceptae matre et sorore arcessitis, dum Franciscus Lycium erat rediturus. Praeterea Franciscum ante matrimonium numquam cum Concepta eo egisse animo recolit, ut ipsam sibi coniugio aliquando sociare intenderit. Quod etiam profitetur Iosepha Lodrini, Conceptae soror et insuper confirmatur ab Augusta Lodrini, Conceptae ex sorore nepote. Quae quidem omnia robur et confirmationem accipere censet ex Francisci agendi ratione, qui nedum saepe matrimonii propositiones reiecit, verum etiam ad continuas Conceptae sollicitudines repellendas prius in militari nosocomio commoratus fuit, ac dein, ipsa die matrimonium praecedenti, veniam petiit ac obtinuit se Lycium ferendi, ut valetudini consuleret.

Sed neque ipsas defuisse minas, probare nititur orator, quibus Concepta eiusque mater et sorores Franciscum affecerunt, velut cum illi aiebant : Panormum non relinques, nisi prius matrimonium ini veris ; certiores reddemus fratres nostros, qui te ad matrimonium adigant. Quas minas satis superque patefacere autumat patronus quaenam scandala obvenissent, quaenam damna Francisco fuissent illata, si ipse denuo totis viribus matrimonii celebrationem reiecisset.

Praedictas vero coniecturas maiorem vim recipere contendit si attendatur modus quo Franciscus semet per suum

consensum Conceptae tradidit in nuptiarum celebratione et quo se post initum matrimonium gessit. Siquidem id luculentissime evinci putat testimonio parochi Vincentii Panzera, coram quo matrimonium celebratum fuit. Ipse enim retulit quod mulier esset hilaris, homo vero implicatus, et magna cum difficultate post matrimonium praebuit proprium nomen. At non modo ex huiusmodi narratione patere edicit orator, consensum Francisci, neque liberum, neque plenum fuisse sed praeterea ex subsequenti illius agendi ratione. Sane tum coniuges , cum testes declarant, virum matrimonii consummationem renuisse et post biduum reliquisse domum coniugalem ut Lycium peteret.

Demum nullitatis vitium plane scatere asserit ex non servata matrimonii forma, quae a Tridentino praescribitur *sess. XXIV cap. 1.* Siquidem compertum esse recolit, ut rite recteque matrimonium ineatur, celebrari debere coram parocho et duobus testibus. Qualis autem parochi et testium praesentia esse debeat sic tradi memorat a Sánchez *De matrim, disput. XXXIX, num. 1:* « In hac disputatione constat necessariam esse, ad valorem matrimonii, praesentiam parochi et testium non tantum physicam, idest corpoream, sed praesentiam moralem et humanam, quae ultra physicam addit usum rationis et advertentiam ; itaque exigitur ut parochus et testes usum rationis habeant, et intelligant consensum utriusque contrahentis. Unde si essent ebrii vel dormientes, vel non adverterent, vel testes essent infantes, non valeret matrimonium. > Cuius doctrinae ratio deducitur ex *lege 209 ff. De verb. et rev. signi f.* Porro procul dubio esse censet orator unum ex duobus testibus, nempe Vincentium Utro matrimonii celebrationi non humano more adfuisse; sciscitanti enim vinculi defensori fatetur: se millies iurare posse sese nihil audivisse neque a Corallo, neque a puella. Huiusmodi vero testimonium plurimi faciendum esse adnotat, tum quia sub iurisiurandi vinculo fuit editum, tum etiam eo quod Vincentii Utro vitae integritatem ecclesiasticae simul et civiles auctoritates testantur. Neque contra va-

lide opponi censet parochi declarationem, fuisse omnino impossibile testes aut non audivisse aut non vidisse id, ad quod expresse vocati fuerant, dum vix metro a sponsis distarent etenim ait, 1. Vincentius Utro vel ob animi alienationem vel ob aliam causam neque audire neque animadvertere potuit contrahentium consensum, et 2. cum, ipso fatente parocho, testis sit intimae notae mirum non esse quod ille rudis et hebes nihil intellexerit. Ceterum ne illi fides adiiciatur, periurium probandum esse concludit.

Ad secundam suae orationis partem deinde gradum faciens patronus, de dispensatione sermonem instituit. Ac primo recolit duo probanda esse, nempe matrimonii inconsummationem et iustae et honestae causae interventum, ceu loquitur Cosci *De separat, thori lib. 3, cap. 2, num. 94 et seqq.*, et consonant Fagnanus in *cap. Ex parte 9, num. 24, 26;* De Iustis *De dispensat, matrim, lib. 2 cap. 10, n. 21 et seqq.;* Schmalzgrueber *his Canonicum part. 4, lit. 19, n. 50 et seqq.;* Ursaya *Disc. Eccles, tom. 2, part. 1, disc. 3, num. 24 et seq.;* Card. De Luca *Disc. 9 De matrim, n. 8;* Pignatelli *Consult. Carum., tom. 1 consil. 148 num. 15,* aliique. Memorat autem ad inconsummationem adstruendam ex *cap. Laudabilem* §. *5 Si autem, De fri g. et m ale f.* sufficere iuratam coniugum depositionem, septimae manus testimonio suffultam, hancque in casu numeris omnibus absolutam existere. Ast praeterea luculentam virginitatis Conceptae probationem ex inspectione corporis desumi tuetur.

Refert igitur patronus, Conceptam coram honesta matrona Iosepha Costa, vidua Costantini, ultra tertiam horae partem in balneo consedisse, et postea illius genitalia a tribus obstetricibus fuisse explorata. Quae obstetrices omnes declararunt, puellam in statu virginitatis permanere.

His obstetricum declarationibus plene peritorum iudicium congruere animadvertit patronus. Ex quibus obstetricum et cognitorum documentis, matrimonii inconsummationem mirifice probari concludit.

Ita in vado posita matrimonii inconsummatione, dispen-

sationis causas enumerat atque adnotat iuxta Cosci *De separat, thor. lib. 3 cap. 2 num. 95 et seqq.* quoties, uti in themate uterque coniux in dissolutionem consentiat, leviorem causam ad Supremum Principem movendum requiri. Iamvero occurrere in primis ait, animorum inconciliabilem aversionem, quam animorum dissociationem, cum nulla conciliationis spes affulgeat, tanti esse habendam adnotat, ut, teste Sánchez *De Matr. lib. 2 disp. 16 num. 4,* et Cosci *De Separat, thor. lib. 1 cap. 14 num. 215 et seqq.,* satis per se sit ad dispensationem obtinendam. His vero accedere, ait, saltem dubium de matrimonii validitate ob defectum consensus, nec non animarum periculum, attenta fiorenti aetate, in qua adhuc Franciscus et Concepta versantur, quae profecto iustam et honestam dispensationis causam suppeditare videntur.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS SACRI VINCULI. Contra haec tamen validitatis tutor, postquam adnotaverit ex ipso libello a coniugibus oblato evinci mutuam conspirationem pro matrimonio invalidando, probare nititur metum Francisco illatum inter fabulas esse recensendum. Sane Concepta coram iudice non modo affirmavit: suam matrem posuisse Franciscum in statu aut abeundi, aut matrimonium ineundi. . . . sed etiam prosecuta est: familiam eius constare trium sororum cum matre; quae tantum suasione et precibus vim fecerunt animo Francisci, ut clandestinum matrimonium iniret; hancque mulieris confessionem testes omnes veritati consonam renuntiasse memorat.

Neque meliori omine a Francisco obiici putat, consensum a nupturientibus in matrimonio praestitum, auditum minime fuisse ab uno ex testibus. Nam parochus ait: parvum esse cubiculum quo sponsi et testes convenerunt ; ita ut impossibile fuerit non audire et prospicere quod dictum et factum fuit.

Francisci autem assertionibus fidem negandam esse, defensor autumat, cum ille veritati contraire in more habeat, idque ex sequentibus plene demonstrari. Profecto, enarrat

sacramenti vindex, cum Aletii apud suos, post expletas cum Concepta nuptias, moraretur, lyciensis cuiusdam puellae amore captus, eandem matrimonio sibi coniungere conatus est. Qua re cognita cum Concepta ad Lyciensem Episcopum testimonium matrimonii Panormi initi transmisisset, et Episcopus rem omnem puellae patri aperuisset: primo negavit quidquid Panormi acciderat; sed tractu temporis morbo gravi affectus omnia confessus est. At cum ex moi bo convaluisset et iterum Panormum fuisset profectus, parochum Vincentium Panzera adiit eo consilio, ut suum matrimonium ex regestis parochialibus expungeretur quod, uti docuit, non obtinuit.

Verumtamen mirum haud esse censet defensor, quod Franciscus insidiarum machinator, postquam frustra adiaboraverit, ut matrimonium ex codicibus parochialibus expungeretur, omni spe deinde orbatus ad dispensationis remedium confugiat. Neque ipsi tamen, neque mulieri fidem adiiciendam esse opinatur, dum semet in eximios castitatis cultores traducunt. Ad Conceptam quod attinet adnotat illam suam partem agere, tum suasionibus advocati cuiusdam neapolitani, tum fessa ex conditione in qua versatur, facta exhibuit ceu probata. Praeterea cum ad adstruendam matrimonii inconsummationem in medium afferatur Conceptae virginitas, quaerit matrimonii defensor, num adhuc virginitatis flore Concepta potiretur quando matrimonium expletum fuit. Hac enim hypotesi nullam causam subesse posse animadvertit Conceptae matri, sororibus et fratribus (quos adhuc nasciturus dicit) eam ulciscendi, nec credibile putat Franciscum virum armis addictum tantum timorem concipere potuisse, ut maioris mali vitandi ergo, matrimonium invitus contraxerit. At dato etiam quod Franciscus, incussum timorem allegans, mentiatur, et proinde ante matrimonium nihil aliud cum Concepta egerit quam eamdem inducere ad aliquod osculum, a veritate prorsus alienum putat, quod post initum matrimonium effroenis iuvenis osculis contentus fuerit, ac Panormo post biduum discessurus gravissimo se matrimonii vinculo obstrinxerit, nullum exinde commodum et emolu-

mentum sibi adpromittens, sed solummodo ut morem gereret Conceptae eamque induceret ad aliquod osculum.

Nec aliquid facessere ait, quod paucissimi testes de excogitata inconsummatio..ie matrimonii loquuntur. Etenim, pergit, haud credi potest, coniuges ab ipsis initiis agnovisse, inconsummationem, si a matrimoniali contractu resilire vellent, esse unam ex naufragio tabulam, atque postea ad illati metus commentum confugisse, dum tutissimam istam salutis tabulam in promptu haberent.

Hic autem haud consistit defensor. Siquidem recolit Conceptam a iudice petiisse ut matrimonii inconsummatio per aspectum corporis astrueretur atque huic petitioni iudicem annuisse. Verum in inspectione peragenda strictissime cautelae a S. C. praescriptae in Instructione diei 22 Augusti 1840 in § *Procedendum,* servandae fuissent. Saepe enim, ut ait Sánchez *De matrim, lib. 7, disp. 108, n. 8,* « oculi et manus obstetricum falluntur; eo vel maxime quod feminae multis fraudibus utantur, quibus virgines apparent. » Quae fraudes enumerari refert a Zacchia *Quaest, medie, legal, lib. 3, tit. 2, quaest. 7, n. 1.* Porro defensor haud quaerere ait, num in praesenti experimento adhibitum fuerit balneum aquae tepenfis, de qua re acta silent; haud insistit in eo quod Concepta non per spatium trium saltem quadrantium horae, sed solummodo per viginti aut viginti quinque minuta in balneo permanserit ; sed haud praetereundum putat quod obstetrices balneo minime astiterunt, et quod etiam deterius est, ad corporis inspectionem haud statim post balneum, uti *cit. Instructio* praecipit, admissae sunt. Monet enim actuarius: « Advertitur quod post balneum mulier observanda, per spatium unius quadrantis remansit clausa, sola cum matre et matrona. » Cum igitur, arguit sacramenti vindex, Concepta quae satis callida erat, post balneum per spatium unius quadrantis remanserit clausa sola cum matre et matrona, mirum non est quod oculis et manibus obstetricum virgo apparuerit, imo quod omnes obstetrices genitalia Conceptae mirum in modum angusta deprehenderinf. Risum

autem movet, ait defensor, matrona assistens dicendo: mora interposita a fine balnei ad initium inspectionis ab hoc repetenda est, quod Concepta prius debuit corpus siccare, vestibus indui, ac potionem arabicam ebibere cum *biscotto,* quoniam debilis erat. Nam si hisce tantummodo Concepta indiguisset, si postquam egressa est a balneo nullo medicamento, nulla fraude ad arctandum vas usa esset, praesentiam obstetricum quae ei suppetias ferre potuissent et auxilium praebere, minime reformidasset.

Tandem animadvertit in praesenti iudicii sede ipsam de inconsummatione matrimonii disputationem a iure omnino exorbitare. Siquidem memorat iudicium nullitatis, non vero inconsummationis matrimonii die 29 Septembris 1890 institutum fuisse" ; sententiam ab archiepiscopali Panormi iudice die 4 Novembris 1891 editam de excogitata matrimonii inconsummatione alte silere : in appellatione unice petitum fuisse, ut nullum declararetur matrimonium; patrono actoris afiirmanti, impletos ac regulares esse actus probantes matrimonii non consummationem, et instanti, ut iudicio nullitatis uniri posset iudicium dispensationis, Beatissimum Patrem die 23 Iunii 1892 obsecundasse « *dummodo acta expleta fuerint iuxta regulas.* » Specimen vero iuxta regulas minime fuisse expletum ex dictis patere opinatur. Praeterea legem esse adnotat, ut praeter mulieris corporalem explorationem, a septimae manus testibus exquiratur quid ipsi de matrimonii inconsummatione sciant, quid a coniugibus aliisque, tempore praesertim non suspecto, audierint. Iamvero observat, in casu testes ex latere viri nec interrogatus fuisse nec quidquam potuisse scire de inconsummatione, quippe qui neque sciunt, Franciscum matrimonium contraxisse: testes autem ex parte mulieris tantum obiter ac negiecte, neque omnes fuisse interrogatus.

His itaque adductis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An sententia Curiae archiepiscopalis panormitanae diei 4 Novembris 1891 sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

Et quatenus sit confirmanda.

IL *An sit consulendum SSmo pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. O. re discussa sub die 28 Ianuarii 1893 censuit respondere: Ad I. *Sententiam esse confirmandam.* Ad II. *Dilata, et fiat nova inspectio mulieris* stricte observata forma Instructionis S. C. C. anni 1840* (1).

Ex QUIBUS COLLIGES I. Matrimonium in themate validum permanere, quia cum omni libertate initum fuit, neque vis aut metus illud inficere valuerunt.

II. Neque psr dispensationem coniuges separari valebunt, nisi formiter inconsummationem evincere studeant ratione aptiori, adhuc adhibita.

BURDIGALEN.

MATRIMONII

***Die** 28 Ianuarii 1893.*

Sess. 24 Cap. 1 De reform.

COMPENDIUM FACTI. Ecce iam tertio in iudicio S. C. C. sisti tur Iacobus Lesbre militum dux, qui matrimonium a se die 18 Novembris 1876 cum Caecilia Hannonet de la Grange in paroeciali ecclesia S. Martini de Vendresse initum, ob appositam et accepto habitam conditionem de prole vitanda nullum fuisse contendit.

Siquidem cum post septimum cohabitationis annum, sponsi corpore et bonis separati evasissent, et dein vir, adulterii mu-

(1) Adest instructio liaec Vol. I, pag. 439,

ìieris caussa, divortii sententiam obtinuisset a civili tribunali *de la Seine*, acta est causa nullitatis coram ecclesiastica curia burdigalensi, in qua die 18 Iulii 1889 contra vinculi existentiam iudicium latum fuit. Tunc primum res ad examen in S. C. C. revocata est ac die 14 Iunii 1890 propositum dubium : « *An sententia curiae archiepiscopalis burdigalensis sit confirmanda vel infirmanda in casu* » EE. PP. dimittere placuit responso : « *Dilata et compleantur acta, iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio.* » Qua postea instructione transmissa, cum ulterius iudex burdigalensis processisset, ac congruenter ad haec nova documenta S. C C. pervenissent, iterum quaestio proposita fuit Emis Patribus discutienda. Verum in plenariis comitiis calatis die 27 Iunii 1891, omnibus mature perpensis EE. PP. rescripserunt : « *Fiat novus processus in curia rhemensi.* »

Emus Archiepiscopus rhemensis iussa libenter exequens demandatum processum in sua curia explendum curavit , atque acta iam a die 14 Septembris anni nuperrime elapsi ad S. C. misit.

Disceptatio Synoptica.

DEFENSIO VIRI. Qui contra matrimonii validitatem pro viro dimicat, in mentem revocato axiomate quod quaestiones secundum acta et probata resolvi debent, adnotat in causa facti testes sibi maximam vindicare auctoritatem. In themate igitur in primis sponsorum depositiones attendendas esse tuetur, quorum tamen cum sponsus existentiam conditionis affirmet et sponsa eam abscisse neget, inquirendum dicit ex aliorum testimoniis cuinam potius fides sit adhibenda. Iamvero parochum Deseveaux deposuisse meminit : sese credere veram depositionem viri coram tribunali factam ; atque eadem prorsus in novo examine penes curiam rhemensem testatum fuisse. Dum e contra de Caecilia haud dubitabat asserere : Caeciliam de la Grange specimen religiosae fidei certum ante et post matrimonium non dedisse. Atque ad iudicium hoc firmandum auctoritatem invocat parochi mulieris

et procuratoris familiae de la Grange : qui miratus est quod vir probus ducere eam in uxorem potuisset. Cui plene cohaerere, ait, Ciodomirum Buiron, Gilbertum Matel, Annam Laurdain, et Mariam Carte, quorum depositionem iam EE. PP. oculis in altera causae propositione subiectae fuerunt.

His tamen addendum est id quod eadem testis Maria Carte penes rhemensem curiam deposuit, sese credere probitati viri, non Caeciliae quam censeo mendacem.

Quibus omnibus praeterea robur adiicere, adnotat patronus, testes pro sponsa in curia rhemensi inductos. Ex his Victor Dévaux commissarius gubernii deposuit favore viri, et contra mulieris famam.

Post huiusmodi relatas depositiones clientis sui bonam, pessimam vero mulieris famam patefacientes, non esse dubitandum, putat orator, quin prae muliere fides viro sit adhibenda, qui affirmat conditionem de prole non procreanda ante matrimonium a Caecilia impositam et ab ipso acceptatam fuisse. Eo vel magis, pergit, eo quod, iuxta vindicis matrimonii instructionem, nihil in novo processu omissum fuit, ut Caecilia obiecta ex adverso refutare et suam honestatem defendere valeret.

Sed cum tota quaestio circa factum versetur, ac in re facti testium depositiones sint maximi faciendae, inquirendum ducit patronus cuinam ex coniugibus hae potissimum suffragentur, cum aliunde veritas dignosci nequeat. Ac primo iuratas offert attestationes parentum viri, quae omnino eidem suffragantur ; quoniam constat ex eisdem, obligationem assumptam a muliere non procreandi filios, pro ea fuisse conditionem *sine qua non.*

Parentum testimonium mirifice corroborari observat a supra memorato parocho Désévaux, qui ea quae alias deposuerat, in novo processu rhemensi confirmabat. Quo autem in pretio hoc testimonium habendum sit demonstrare aggreditur patronus, sive ex familiari consuetudine, qua parochus erga familiam Lesbre devinciebatur, sive ex illius honestate quae ab Episcopo molinensi in epistola ad emum et rmum.

Cardinalem Verga apprime comprobatur. Accedit insuper nova depositio Clodomiri Buiron qua firmatur, praedictam conditionem fuisse omnino a muliere appositam. Idipsum fere testantur Gilbertus Martel, Anna Lourdain et Maria Carte. Soror autem Caeciliae, Maria Aloysia Germana Hannonet, postquam praemisisset se in attestatione facienda unice veritatem spectare, ? sserebat : audivisse sororem dicere, filios esse magna incommoda.

Iamvero autumat patronus contra allatum depositionum cumulum nihil alicuius ponderis ex adverso opponi. Refert enim ex testibus pro Caecilia inductis, D. Evam, sacerdotem Robert, Ernestam Rontemps, Mathildem Gilmet et Alexandrum Ilannonet unanimiter confessos esse se prorsus ignorare turpis pacti conditionem et postremum tantum Caeciliae sanguine coniunctum, adiecisse : omnino persuasum esse, eiusmodi conditionem immoralem haud fuisse appositam. Quocirca, concludit patronus, cum confessio ex ore Caeciliae de adiecta conditione, sine qua non, testibus fide dignis comprobetur, contra vero nihil asseratur, locum sibi vindicare censet doctrinam *Cap. fin. de cond. appos.* « Si conditiones contra substantiam coniugii inserantur, puta si alter dicat contrahentium : si generationem prolis evites... matrimonialis contractus quantumcumque favorabilis caret effectu. » Quae etiam enucleantur apud Reiffenstuel *Ius Can. Univ. Uh. II tit. V num. 44.*

Post haec gradum facit orator ad matrimonii nullitatem ostendendam ex defectu intentionis verum sacramentum celebrandi. Ac in primis recolit in Ecclesia non admitti simplicem contractum, sed requiri ut sacramentum noi modo formis observatis celebretur, sed accedente voluntate ministri conferendi sacramentum, S. Thomas *Opuse. VII.* Unde si in sacramento matrimonii sponsi, qui sunt ministri non intendunt sacramentum, hoc non perficitur. Iamvero in themate hanc intentionem praesertim ex parte mulieris omnino exulasse probare contendit ex declaratione, quam sibi factam a muliere refert parochus Désévaux : nempe quod illa non in-

tellexerit recipere Sacramentum ; idque confirmatur a testibus Clodomiras Buiron, Anna Lourdain et Stephanus Bertoux.

Nonnullis difficultatibus a Caecilia in novo processu obiectis demum occurrens patronum, in primis adnotare sategit quoad graviditatem, rursus ab illa assertam, eam non excludere conditionem impositam ante matrimonium, ac proinde, quidquid postea forte evenerit, sanare non potuisse neque convalidare quod in radice nullum fuit. Praeterea observat, media artificialia ad generationem evitandam a Caecilia in matrimonio adhibita illius intentionem servandi conditionem impositam confirmare.

Ceterum animadvertit, graviditatem fuisse purum Caeciliae commentum, idque erui ex dubio medici Sidoux scribentis sua menstrua habuisse : quae profecto cum graviditate conciliari nequeunt.

Tandem orator postquam testium depositionibus et civilium tribu nahum sententiis suffultus, inter calumnias retulerit quae de inhonesta Iacobi vita eiusque saevitiis in uxorem, Caecilia asseruit, animadversiones defensoris matrimonii in curia rhemensi ad examen revocare opportunum existimavit. Ac in primis quin refellat dubium an conditio de prole non procreanda nullum reddat matrimonium, animadvertendum censet pro nullitatis declaratione in hisce casibus haud requiri absolutam et evidentem certitudinem. Siquidem ex praxi S. C. C moralem certitudinem sufficere memorat, iuxta doctrinam Covarruvias *part. 12 ac spons. cap. 7:* Clericatus *Be Sacr. Matr.* etc., atque idque praecipue erui contendit ex Parisien. *Dispensationis Matrimonii 28 Martii 1857 et 20 Iunii 187)8.* Porro in themate moralem certitudinem plene haberi tuetur ex viri honesti et periurii incapacis depositione, ex vita et moribus Caeciliae, ex sententia adulterii et divortii , ex depositionibus omnium testium septimae manus viri, de quorum sinceritate ipse vinculi defensor testatur ; nec non ipsorum testium mulieris, iis non exclusis, qui contrarii dici possent. Frustra autem obiici autumat, testes haud lucem afferre quoad substantiam quaestionis, sed tantum

circa extrínsecas circumstantias. Etenim factum quod erat obscurum et intimum evidens evasisse, ait, ex revelatione, tempore non suspecto, ab ipsa Caecilia emissa, quae turpe factum commisit. Nec pariter alicuius roboris esse putat aliam obiectionem de dependentia testium. Siquidem, praeterquam quod quamplurimi haud erant servitio addicti, veluti parochus Désévaux, Victor Dévaux, Eugenius Denijat, Stephanus Bertoux et alii, cum omnes sub iuramento deposuerit, illos tamquam periurii reos traducere temerarium esse animadvertit. Unde concludit cum theologo et canonista Curiae Burdigalensis adesse in huiusmodi matrimonio graves nullitatis causas.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS SACRI VINCULI. Nihilominus ex adverso sacramenti vindex, delibatis rationibus ob quas Burdigalensis inquisitio nullo in pretio habenda sit, animadvertit contrariam actionem totam inniti testimoniis Clodomiri Buiron, Annae Lourdain, Mariae Carte et parochi **Gio**berti Désévaux, quorum priores tamquam famuli familiae Lesbre addicti sunt, et omnes nonnisi tertio, quarto vel quinto ab expletis nuptiis labente anno Caeciliam agnoverunt, quique demum iam praeoccupati ad iudicem rhemensein accesserunt. Potius igitur, ad ea quae tradit Glossa *in cap. 26 De spons. et matrim,* verb. *Mulierem* illos audiendos esse censet, qui matrimoniali contractui interfuere et ad hoc tamquam testes adhibiti sunt. Ex his eminet proprius Caeciliae parochus referens : consensum ab utraque parte datum fuisse absque ulla reticentia aut conditione.

Praeterea, observat defensor, si testibus ab actore inductis fides adiiciatur, Caecilia turpe illud vitandae prolis pactum volentibus nolentibusve absque haesitatione, absque ulla circumspectione, sine ambagibus denuntiabat. Verum mirabile esse dicit, quod existentia huius conditionis dum evulgata erat in oppido Bront-Vernet, ubi familia Lesbre degebat, ubi tribus a matrimonio iam elapsis annis, paucis mensibus Caecilia versata est, eadem prorsus ignota fuerit in pago Vendresse, ubi illa lucem vidit, adolevit, explevit nuptias et

usque adhuc moratur. Profecto Henricus Robert emeritus parochus loci Vendresse, qui non minorem fidem quam parochus Désévaux mereri videtur , nunquam audivit quod hi coniuges dederint consensum conditionatum quando matrimonium initum fuit. Quod pariter fassi sunt Victoria Didier, nata Lapierre, Ernesta Bontemps et Alexander Hanonnet de de la Grange, omnes in pago Vendresse degentes. Quin imo duas spectatissimas feminas, Caeciliae coaetaneas, familiarissimas ac intimas audiendas esse putat, quae eadem referunt.

Praeterea, adurget patronus, notissima Maria Ludovica Germana Hanonnet de la Grange, quae prius in obsequium Iacobi Lesbre gravissima contra sororem suam Caeciliam asseruerat, die 23 Maii 1892 coram rhemensi iudice deposuit : habuisse matrimonium illud ceu vere initum. Ulterius observat, de illo generationis impediendae pacto, quod Caecilia in ore semper habebat paucis illis diebus, quos in domo parentum Iacobi transegit, Maria neque a Caecilia sorore, neque ab aliis per diuturnum tresdecim annorum intervallum quidquid accepit.

Verumtamen facta perpendenda esse existimat defensor, quae cum relatis a Iacobi Lesbre testibus e diametro pugnant. Praeter ea quae parochus Robert enarravit, adesse memorat epistolam a medico Sidoux, qui Caeciliae curationem adhibebat, anno 1877 datam, in qua inter alia legitur : quod in ea reperiebat medicus signa graviditatis, eademque deprehendi possunt ex testimoniis Alexandri Hanonnet et Ernestae Bontemps. Iamvero hic animadvertit matrimonii vindex, facta a quinque testibus quoad graviditatem enarrata una simul cum factis per quatuor testes a Iacobo inductos supra relatis nulla prorsus ratione existere posse. Cum enim impossibile prorsus sit, mulierem quae posteritatem exoptat aut conceptae prolis laetatur, odio habere prolem et cum viro de generatione vitanda pacisci: concludendum est aut burdigalenses aut rhemenses testes deceptores, sin minus deceptos necessario fuisse. Verum praeterquam quod lex caritatis vetat existimare quinque potius quam quatuor testes mentiri, anim-

advertit defensor, testes Bui ron, Lourdain et Carte servitio familiae Lesbre addictos fuisse vel adhuc esse, et parochum Désévaux confessum fuisse quod a domino Lesbre auxilia receperit pro Ecclesiae instauratione ; dum e contra quinque alios testes neque spe lucri, neque amicitia vel inimicitia ad testimonium dicendum moveri.

Postremo, pergit, famulas Annam Lourdain, Mariam Carte, Clodomirum Buiron et Moulinensem parochum Désévaux non solum de apertissimo mendacio redargui ab integerrimis testibus Henrico Robert parocho proprio, baronissa Carola Maria Evain, Alexandro Hanonnet de la Grange, Victoria Lapierre Didier, Ernesta Bontemps et Matilde Gilmer ; sed praeterea quae ab illis narrantur haud veritati consona apparere. Speciminis ergo recolit ea quae Anna Lourdain, Clodomirus Buiron et Maria Carte de instrumentis a Caecilia ad impediendam generationem adhibitis referunt, ac quaerit quorsum ea adhibebantur si Iacobus impie datam fidem adimplebat. Neque sustinendum videtur, Caeciliam ad eas cautelas conf u gisse, quia non solum Iacobo, sed aliis etiam hominibus corporis sui copiam faciebat, cum facile credi non possit, illam, acta completa quae viro vetabat, extraneis induisisse, aut tali ingenuitate praeditam fuisse ut existimare! se spongiis, quas Anna Lourdain in thalamo coniugali repetiit effectum congressuum alibi habitorum praepedire posset. Ceterum adnotat, ipsammet Annam Lourdain et Mariam Carte Caeciliam ab adulterinis amplexibus, sin minus per tempus quod in patria parentum Iacobi fransegit, immunem profiteri, hasque attestationes magni esse faciendas, utpote quae prob ra ab eis adversus Caeciliam coram iudice Burdigalensi prolata omnino destruunt. Quoad vero parochum Déséveaux , recolit illum deposuisse duos vel tres annos ab inito matrimonio dubitari coeptum est apud familiam Lesbre de eius validitate ex apposita conventione; ex quibus videretur a primis annis de validitate huius matrimonii dubitatum fuisse. Ast id a veritate prorsus alienum esse, nedum deducitur ex testibus, qui renuntiant ne somnio quidem

quempiam de matrimonii valore dubitasse ante civilem coniugum separationem, sed ex eo quod ipsemet Iacobus profitetur : sese habuisse plene de vinctum.

At testium contradictionibus omissis, fingit matrimonii vindex non deceptores, sed deceptus fuisse, eisque Caeciliam id de quo in patria tam alte siluerat videlicet horrorem prolis et generationis impediendae pactum saepius recinuisse, atque concludit haud tamen exinde assertum pactum in probatis existere. Siquidem opponi adnotat non modo doctrinam Glossae *cap. 26 de sponsa!, et matr.* verb. *Mulierem;* sed etiam tempus suspectum et circumstantias in quibus Caecilia ita locuta fuisset. Sane exploratum esse ait, Caeciliam elapsis iam ab hymenaeo duobus vel tribus annis ad domum socruum primum profectam fuisse ac tum discordias, contentiones ac simultates inter Caeciliam et socrus ac ipsum virum eo temporis acerrimas exarsisse, adeo ut Caecilia volvente anno 1880 Iacobum ob saevitias et infidelitates ad tribunal rapuerit, quemadmodum in prima causae disceptatione demonstrasse recolit. Pariter exploratum esse tuetur, Caeciliam aestivo tempore anni 1877, idest octo vel novem mensibus post initum matrimonium aegrotasse ; et medicum qui illi curationem adhibebat censuisse : 'nescio an desiderandum sit quod mulier praegnans sit. Unde, concludit, si Caecilia hisce in adiunctis constituta Iacobi parentibus continuo de prole sciscitantibus eorumque domesticis ac parocho Désévaux respondisset : « ego nihil magis odio habeo quam prolem, Iacobus promisit mihi, me prolem non suscepturam, ego minime nupsissem, nisi Iacobus ita cavisset: » istiusmodi acclamationes haud serio accipiendae fuissent, neque ea tantum valerent, ut quae solemniter coram civili magistratu et praesertim in ecclesia, coram parocho et testibus acta sunt fiocci facienda essent. Huc praeterea accedere animadvertit, quod si admittamus, Caeciliam tempore suspecto ansam haud esse inimicis illudere ut ab iniustis vexationibus se redimeret, necessario etiam admittendum esset eamdem pro lubitu, imo in caput proprium falsa passim, tempore haud suspecto, og-

gessisse propinquis, amicis ac notis. Ad quod probandum recolit responsum parocho Robert datum, nec non agendi rationem cum medico Sidoux et cum baronissa Evain adhibitam quae profecto inexplicabilia forent.

Frustra autem, prosequitur sacramenti vindex, ex adverso obiicitur Iacobo et non Caeciliae, attenta utriusque fama et credibilitate, iidem esse adiiciendam. Namque de fama et credibilitate loqui tantum testes, a Iacobo inductos observat, quos tamen ex superius relatis tamquam suspectos habendos esse tenet. Testes vero a Caecilia inductos haud de credibilitate rogatos fuisse monet, sed ex eo ipso quod testimonium pro Caecilia dicunt et antiquam amicitiam ac necessitudinem commemorant, asserta a contrariis testibus omnino destruere putat defensor. Ceterum cuinam ex coniugibus credendum sit non a testibus burdigalensibus, sed ab utriusque agendi ratione accipiendum esse animadvertit. Porro Iacobus vix detegere potuit nomina testium mulieris, eos praeoccupare festinavit, ut ingenue testantur parochus Henricus Robert et baronissa Evain in Uteris ad Ordinarium Burdigalensem datis ; quod profecto Caecilia minime aggressa fuit. Deinde iuxta Leurenium *For. ecclesiast. lib. 2 qq. 604 et 607* nulla fides illi est adiicienda, « qui non stat firmus in suis dictis » cum nimis indignum sit, ut quod sua quisque voce dilucide protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare. *Cap. Per tuas 10. Be probat.* Verum, uti advertit validitatis defensor in curia rhemensi Iacobus id quod alias iuramento aifirmaverat pluries conatus est infirmare, dum e contra Caeciliam numquam eadem ausam fuisse sacramenti vindex tuetur.

Demum postquam contra ea quae Iacobi patronus dolebat, adnotaverit litis diuturnitatem burdigalensi inquisitioni esse tribuendam, profitetur defensor se haud intelligere quem in finem citetur Parisien. *Dispensationis matrimonii 28 Martii 1857 et 20 Tumi 1858,* cuius speciem a nostra quantum a terra coelum distare ait. Potius vero ad rem facere autumat recentiorem Parisien. *Matrimonii diei 31 Ianuarii 1891,*

in qua cum ageretur de quodam Carolo Normand, qui coram parocho et testibus in ecclesia Berthae Gautereau dixerat, « consentio in te » : at extra ecclesiam et ante et post matrimonii celebrationem professus fuerat se non admittere matrimonii perpetuitatem, et licet curia parisiensis sententiam pro nullitate edidisset, S. C. C. consultissime rescripsit : «: sententiam esse infirmandam. » Unde, attento quod ex deductis matrimonii invaliditas minime probata evaserit, concludit invocans Rotae auctoritatem in *Decis. 149 § 1. coram Ratto* - ibi - « Cum agatur de matrimonio contracto coram parocho et duobus testibus iuxta formam praescriptam a sacro Concilio Tridentino in *sess. 24 de reformât, matrim, cap. 1,* et in ipso celebrationis actu intervenerit liber consensus utriusque contrahentis, omnis praesumptio militare debet pro validitate eiusdem matrimonii, nullaque ratio habenda est de oppositis exceptionibus, quando illae non sunt adeo perstringentes et efficaces, ut incontinenti et concludentissime evincant praetensam nullitatem. »

His ex utraque parte pro recepto more summatim relatis, propositum fuit diluendum

Dis Mum

An constet de matrimonii nullitate in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die 28 Ianuasii 1893 censuit respondere : *Negative.*

EK QUIBUS COLLIGES. I. Conditiones serio appositas contra coniugii substantiam facere, ut matrimonialis contractus careat effectu.

II. Hinc nulliter contrahitur si dicatur contraho tecum si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore vel facultatibus ditiorem, aut si pro quaestu adulterandam te tradas.

III. His enim conditionibus destruitur proles, mutua fidelitas , et individua societas ; in his enim tribus bona matrimonii substantialia consistunt.

IV. Ast appositionem harum conditionum ante matrimonii celebrationem formaliter probandam esse, ut effectum producant contra matrimonii validitatem, pro qua specialis militat in Ecclesia favor.

V. In themate formalem probationem quoad praesumptam conditionem appositam vitandae prolis defuisse videri.

CANTONIS TICINI SEU LUGANEN.

QUOAD DEPUTATOS SEMINARII

Die 28 Ianuarii 1893.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Die 29 Decembris anni mox elapsi, ad emum S. C. C. Praefectum litterae pervenerunt Episcopi titularis callipolitani et administratoris apostolici Cantonis Ticini, quae ita se habent: Tridentinum *cap. IS sess. 23 de ref.* iubere Episcopum constituere, pro temporali Seminarii administratione, consilium quatuor deputatorum ; quorum duo sint de Capitulo Cathedrali, duo de clero civitatis. Facile est, ait Antistes, deputatos sumere de canonicis cathedralis ; difficultas adest pro duobus de clero sumendis, quoniam parvus est numerus cleri; cuius, unus est parochus, ceteri autem haud onere videntur qualitates pro hoc munere fungendo.

Qua de re I. Electio deputati a clero facienda, videtur remitti posse coetui Vicariorum et provicariorum foraneorum huius Dioecesis. II. Electio haec a vicariis et provicariis foraneis peragenda, per Schedas Episcopo mittendas fieri posset, quin iidem Lugani civitatem peterent. III. Quis eligi valebit? An sacerdotes morantes in paroe-ia Lugani, cum addictis Seminario, vel etiam al'quis sacerdos curam animarum gerens prope Luganum, ut coetibus, facili ratione, adesse possit *ì*

Disceptatio Synoptica.

Ut nonnulla quoad proposita dubia breviter notentur, ante omnia recolendum est, Tridentinam Synodum loc. cit. prae-

scripsisse ut Episcopi omnia ad disciplinam et spirituale regimen Seminarii constituerent « cum consilio duorum canonicorum seniorum et graviorum, quos ipsi elegerint » ; ac inferius ut « idem Episcopus cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter ab ipso Capitulo eligatur, itemque duorum de clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius vero ad clerum pertineat », portionem ex singulis beneficiis pro Seminarii sustentatione detraheret et rerum temporalium administrationem curaret. Ex quibus verbis deduci posse videretur propositum administratoris apostolici ticinensis committendi vicariis seu provicariis foraneis tantum electionem alterius ex deputatis, aperte in ius tridentinum impingere, a quo universus clerus elector in casu constituitur.

His accedit quod tueri forsan posset electionem huiusmodi ad unum civitatis episcopalis clerum pertinere, ideoque vicarios foraneos ab ea omnino esse excludendos. Sane licet S. Synodus de electoribus loquens, non addat vocem *civitatis** prout addidit cum deputai um eligendum designavit, nihilominus ob nexum sermonis de uno eodemque clero intelligendus uterque locus videretur. Cui opinioni favere posset difficultas clerum universum colligendi, nec non damnum quod ex parochorum absentia fidelibus obvenire posset, ac tandem agendi ratio S. C. C. quae consuetudinem hanc in pluribus dioecesibus existentem haud improbavit.

Verumtamen argumenta non desunt iis qui tenent deputati electionem ad totius dioecesis clerum spectare. Ac in primis observandum est universum clerum ad taxam pro Seminario solvendam teneri, atque idcirco totius dioecesis cleri interesse rectam illius adminisirationem. Ceterum admisso principio « quod ubi lex non distinguit nec nos distinguere debemus », verbum *c[1] erara* a Tridentino secunda tice adhibitum ad clerum civitatis non esset coarctandum. Eo vel magis quia si maxime congruit, ut deputatus eligendus in civitate et prope Seminarium commoretur, haud succurrit ratio cur eadem requirantur in electoribus, qui, attenta de-

putati perpetuitate, nonnisi raro convenire deberent. Propius autem ad petitionem Administratoris Ticinensis, commemorandum est in Buscoducen. *diei 21 Iunii 1879,* coram S. C. C. propositum fuisse supplicem libellum, in quo secundo loco haec quaerebantur : « Cum Seminaria Hollandiae non in civitate, sed in aliis locis sita sint, duo posteriores deputati, qui ex praescripto Concilii Tridentini de clero civitatis assumendi sunt, saepe ex cetero clero eliguntur : unus nempe per Episcopum, alter vero per decanos tamquam repraesentantes totius cleri. Quaeritur utrum et haec agendi ratio probari ac tuto retineri possit », et responsum prodiisse : *Ad secundum: attentis peculiaribus circumstantiis affirmative.* Ex quo erui videretur, in quibusdam peculiaribus casibus concedi posse, ut in electione deputati, decani vel vicarii foranei reliquum clerum repraesentarent.

Relate ad secundum dubium observandum est, ad tramites iuris, nominationes et electiones perfici debere in coetu collegialiter convocato, aliter enim electio non esset actus a corpore morali collective elicitus, sed potius resol veretur in tot suffragia seorsim sumpta singulorum electorum, quae actum moraliter unum constituere nequeunt, ut tradit Gregorius IX *Cap. In Genesi 55 De eieci.*

Demum quoad tertium dubium, cum a Tridentino ceu iam vidimus praecipiatur electio « duorum de clero civitatis » , perspicuum est illos eligi non posse qui inter urbanum clerum haud accensentur. Nihilominus ex allata Buscoducen. *diei 21 Iunii 1879* (1), nec non ex iis quae superius animadversa fuerunt, forsan argui liceret, mentem esse Patrum Tridentinorum, ut munere deputati fungantur qui prope Seminarium degunt, vel saltem qui ad locum ubi Seminarium adest frequenter et sine incommodo accedere possunt. Neque generatim loquendo probandum videretur, ut moderatores aliique Seminario addicti ad deputati officium assumantur, et sic

(1) Relata fuit Vol. XII, 492. Recolé in eodem volumine 497 et seqq.. quidquid adnotatum vel recollectum sit quoad electionem deputatorum pro directione Seminariorum. Recole etiam Clusina et Pientina, Vol. XXV, 405.

quandoque contra iuris et aequitatis sanctiones, in causa propria iudices fiant. Sane, ut cetera praeteream, compertum est S. C. in Salernitana *lib. 6 Decr. pag. 22* ad III Dubium praecise de deputatis secundae speciei respondisse : *Teneri Episcopum adhibere deputatorum consilium* tam circa institutionem, disciplinam et mores, quam temporalium rerum administrationem.* Verum in Fundana *Officialium Seminarii diei 26 Martii 1689** propositis S. C. sequentibus dubiis: « I. *An Episcopus potuerit et possit deputare Rectorem* aliosque officiales Seminarii absque consilio deputatorum a Capitulo* » et « II. *An Episcopus in revisione et solidatione compitorum dicti Rectoris debuerit sequi consilium eorumdem deputatorum;* » responsum prodiit: adi. *«Negative »,* ad II. *«Teneri adhibere consilium, sed non sequi».* Unde erui fas esset, ut etiam docuit Pignatellus *to. 9 consult. 81,* electionem moderatorum et magistrorum et vigilantiam quoad institutionem, disciplinam et mores duobus primae speciei deputatis canonicis reservari ; atque in omnibus quae ad Seminarium pertinent, unicum iudicem et gubernatorem esse Episcopum. Quare saltem illi ex officialibus Seminarii qui rerum temporalium curam non gerunt, attento cleri urbani defectu, in themate forsan eligi psssent.

Praeter haec vero quae in iure dicta sunt consideranda essent locorum adiuncta et peculiares circumstantiae, in quibus noviter erecta dioecesis luganensis versatur, ac perpendendum n¡¿m in iis quae proposuit apostolicus administrator aliquantulum de rigore iuris deflectendum esset.

Quibus praemonitis, quaesitum fuit, quomodo dubiis responderetur.

RESOLUTIO. Sacra Congr. Concilii, re disceptata sub die 29 Ianuarii 1893, hoc dedit responsum : *Ad I, II et III. Attentis peculiaribus circumstantiis* iisque perdurantibus, indulgeri Episcopo* ut electio fiat a vicariis foraneis, idque etiam per* ***Schedas***

EX S. CONGR. EPISC. ET REGULARIUM

COLONIEN, SEU LIMBURGEN.

IURISDICTIONIS

Die 24 Februarii 1893.

COMPENDIUM FACTI. Rodulphus R. Creseldiae in Archidioecesi Coloniensi natus, vertente anno 1865 Lutetiam Parisiorum se contulit, ubi Congregationem S. Spiritus et S. Cordis Mariae ingressus est, et in eadem tres annos et dimidium permansit. Sacrae Theologiae cursu in eodem Instituto emenso, sub die 19 decembris 1868 in vim litterarum dimissorialium Superioris Generalis Congregationis ad sacrum Presbyteratus ordinem, dum adhuc novitius erat, de mandato Archiepiscopi Parisiorum, promotus fuit.

Sacerdos factus, ad vitam religiosam profitendam vocatum haud fuisse ratus, die 31 martii 1869, novitiatu adhuc perdurante, ex Congregatione recessit, venia Superioris Generalis obtenta, vi cuius vel in Dioecesim originis, vel in aliam Dioecesim pro suo lubitu se conferre valebat. Verum ipse Dioecesim Limburgensem Archidioecesi Colonien, praeferens, Episcopum Limburgen. adiit, petens ut in hanc Dioecesim reciperetur.

Huiusmodi precibus acceptis, Episcopus respondit, se in suam Dioecesim recepturum esse, dummodo dimissionem a Rmo Domino Archiepiscopo Coloniensi *respective* a Rmo Superiore Generali Congregationis S. Spiritus et Imm. Cordis Mariae datam exhiberet. Litteris dimissionis a Superiore Generali Congregationis obtentis, Sacerdos R. Episcopum Limburgensem denuo adiit, qui illum in sua Dioecesi recepit, te capellanum prius in Langenschwalbach, deinde in Hadamar nominavit.

Verum infelix Sacerdos ob turpia delicta die 13 iunii 1870, per sententiam Curiae, suspensionis perpetuae poena damnatus et e Dioecesi Limburgensi eiectus, hac illae vagari coepit nova in dies scelera patrando, simulque missam celebrando, stipendia colligendo, confessiones audiendo, et Episcopos Parochosque fraudulenter decipiendo.

Ex hac turpi agendi ratione, controversia inter Archiepiscopum Colonien, et Episcopum Limburgen. circa Sacerdotis R. incardinationem orta est.

Episcopus enim contendebat, Sacerdotem R. utpote e Dioecesi Colonien, oriundum Archiepiscopi subditum esse, ideoque ipsi onus incumbere Sacerdotem a vita vaga revocandi eiusque sustentationi consulendi. Vicissim Archiepiscopus sustinebat huiusmodi onus ad Episcopum pertinere, ex eo quod Sacerdos Dioecesi Limburgensi per incardinationem adscriptus censendus erat. Et partibus non convenientibus, Archiepiscopus Colonien, pro controversiae solutione S. Congregationem Episc, et Regul. adivit.

Disceptatio Synoptica

IURA ARCHIEPISCOPI COLONIEN. Archiepiscopus contendit sacerdotem R. in Dioecesi Limburgensi incardinatum fuisse; idque, nedum ex facto, verum etiam ex ipsius Episcopi confessione evinci ait.

Ad factum quod pertinet, Archiepiscopus meminit, Episcopum Limburgen. Sacerdoti R. incardinationem petenti, se in suam Dioecesim ipsum recepturum esse, dummodo Sacerdos « dimissionem a Rmo Domino Archiepiscopo Coloniensi respective a Rmo Superiore Generali Congregationis S. Spiritus et Immaculati Cordis Mariae » exhibuisset. Quo posito, Archiepiscopus sic argumentatio : « Conditio, sub qua Rmus Episcopus Limburgen. dictum Sacerdotem in Dioecesim Limburgen. recepit, ab illo adimpleta est. Praesentavit enim, .prouti eidem *respective* iniunctum erat, litteras dimissoriales a Superiore Generali Congregationis S. Spiritus et Imm. Cor-

dis Mariae relaxatas. Quibus litteris Rmo Episcopo Limburgensi praesentatis, incardinationem conditionate concessam, plenum effectum sortitam esse luculenter patet ».

Quo vero ad confessionem perpendit Episcopum non semel , neque bis, sed pluries declarasse Sacerdotem R. in sua Dioecesi receptum fuisse, ac praeprimis S. Congregationi Episc, et Regul. sub die 6 augusti 1870 fassum esse ait: quandoquidem S. C. C. sciscitanti: «An orator (scilicet Sacerdos R.) incardinatus fuerit in Dioecesi Limburgensi » Episcopus die 18 augusti respondit: « Quod ad quaestionem pertinet, utrum Rodulpbus R. in hac Dioecesi Limburgensi incardinatus fuerit, affirmative respondendum esse ». Secunda vice, tum cum eidem Sacerdoti, qui propositum significaverat Romam petendi, ut ibidem in aliquo claustro vel religiosa domo poenitentiam ageret, litteras dedit fidem faciens, ipsum in Dioecesim Limburgensem receptum fuisse : « Rodulphum R. Sacerdotem ex Metrodioecesi Coloniensi oriundum, Parisiis ab Archiepiscopo Portae Principis ordinatum, et anno praeterito in nostram Dioecesim receptum. . . perpetuae suspensionis poena obstrictum esse. . . ». Tertio tandem idipsum fassum fuisse urget, tum cum, sub die 28 Iunii 1878 Abbati Trappistarum in Nothingam litteras dimissoriales transmittens dictum R. Sacerdotem suae Dioecesis appellavit, haec scribens : « Infelix Sacerdos *Dioecesis meae* D- Rodulphus R. ante aliquot dies supplex me adivit, ut ipsum forma quadam insueta ab ipso conscripta, ad amplitudinem tuam simpliciter dimitterem ». Hisce in facto positis, Archiepiscopus Colonien, concludendum esse autumat : « Rodulphum R. anno 1869 Dioecesi Limburgensi plene incardinatum fuisse ».

Neque Archiepiscopo Colonien, contradicit, imo ipsi plene concordat P. Procurator Generalis Congregationis S. Spiritus et Immaculati Cordis Mariae, qui asserit Sacerdotem Rodulphum R. in Dioecesi Limburgensi vere incardinatum fuisse, ideoque Episcopo Limburgensi onus incumbere ipsius vitae vagae finem imponendi, eique praesidia vitae suppeditandi.

Quin regerere valeat huiusmodi onus Archiepiscopo Coloniensi imponendum esse, cum praedictus Sacerdos ex ipsius Dioecesi oriundus sit. Siquidem idem P. Procurator Generalis animadvertit, Sacerdotem R., ex eo quod in Congregationem S. Spiritus receptus fuerat, non amplius ad Dioecesim pertinere, a qua originem duxit, sed in vim admissionis, sub Superioris Generalis dictae Congregationis iurisdictioni obnoxium fuisse.

Nec praesumi posse oppugnatam excardinationem locum haud obtinuisse, ex eo quod scriptum excardinationis documentum non amplius reperiatur. Hanc siquidem offensionem P. Procurator explodit, fidem faciens, quod licet necesse haud sit excardinationem a loco originis petere pro scholasticis Congregationem ingressis, dum adhuc laici erant, et pro clericis simplex permissio requiratur; nihilominus, subdit, huiusmodi excardinationem semper expeti solere. Qua de re, prosequitur, ipsa pro Sacerdote R. certo certius expetita fuit, et extra omnem dubitationis aleam admittendum est, praefatum Sacerdotem ad Dioecesim originis non amplius pertinere, etsi scriptum de huiusmodi excardinatione documentum in praesentiarum haud inveniatur.

Ex quibus hactenus adductis, cum luce meridiana clarius manifestum erumpat Sacerdotem R. ab Archidioecesi Coloniensi excardinatum et in Dioecesim Limburgensem receptum fuisse, pleno alveo fluit, non Archiepiscopum Coloniensem, sed Episcopum Limburgensem teneri Sacerdotem ad bonam frugem revocare, eidem congruam sustentationem praebere.

IURA EPISCOPI LIMBURGENSIS. Verum ex altera parte Episcopus Limburgensis pro viribus sustinet Sacerdotem R. Archidioecesis Coloniensis adhuc subditum esse, ac proinde contendit in nullo pretio habenda esse argumenta, quibus Archiepiscopus ostendere studet praedictum Sacerdotem in Dioecesi Limburgensi incardinatum fuisse. Idque hac de causa, quia scilicet Sacerdos R. conditionibus a defuncto Limburgensi Episcopo ipsi impositis, ut suae Dioecesi adscriberetur, haud obtemperavit.

Sane, inquit, Episcopus Limburgensis promiserat quidem Sacerdoti R. se illum in suam Dioecesim recepturum esse, sed pacto adiecto, ut Sacerdos praebere deberet dimissionem a Reverendissimo Dno Archiepiscopo Coloniensi *respective* a Rmo Superiore Generali Congregationis S. Spiritus et Imm. Cordis Mariae. Et hanc conditionem ipsi idcirco impositam fuisse ait, quia nesciebatur, utrum ille in Archidioecesi Colonien., vel in S. Spiritus Congregatione incardinatus existeret. Porro, quaerit Episcopus , ecquid egit Sacerdos R. ut ab Episcopo Limburge isi suae Dioecesi adscriberetur? Attulit quidem litteras dimissionis Superioris Generalis Congregationis Sancti Spiritus, in cuius Instituto incardinatus haud erat, ex eo quod professionem religiosam ibi haud emiserat; at litteras dimissoriales Episcopi originis seu Archiepiscopi Colonien, minime attulit, in cuius Dioecesi retinendum est, ipsum adhuc incardinatum extitisse, quia a Congregatione S. Spiritus dimissus fuerat, antequam professionem emitteret. Quum itaque de facto Rodulphus non Congregationi, sed Archidioecesi Coloniensi incardinatus esset, dimissionem ex hac afferre debuisset, ut in Dioecesim Limburgensem reciperetur, respective ut receptio rescripto diei 8 maii *conditionate* concessa, in *absolutam* transiret. Nam litterae alicuius Superioris ecclesiastici, quibus *non subditum* dimittere affectât, hunc neque a iurisdictione legitimi Superioris sui eximere, neque alium Antistitem auctorizare valent, ut invalide hoc modo dimissum suum subditum efficiat. Hinc, concludit Episcopus , receptio in Dioecesim Limburgensem conditionate concessa , conditione non verificata, nunquam realis evasit.

Neque dicas Sacerdotem R. Dioecesi Limburgensi reapse incardinatum extitisse, ex eo quod Episcopus Limburgensis ipsum ad curam animarum in sua Dioecesi exercendam admiserat. Siquidem, Episcopus perpendit, simplex curae animarum exercitium minime sufficere , ut Sacerdos in aliena Dioecesi incardinetur, sed ad hoc requiri, praeter litteras dimissoriales Episcopi proprii , consensum expressum et abso-

lutum acceptationis Episcopi, in cuius Dioecesi recipi vult, ceu ex decisione S. Congr. Episc, et Regul. die 26 martii 1886 in Rottembergen. data, clarissime patet.

Pariter nullius ponderis esse aliud argumentum ex litteris commendatitiis deductum Sacerdoti R. sub die 14 iunii 1870 a defuncto Episcopo datis, quibus asseritur praedictum Sacerdotem in Dioecesim Limburgensem adscriptum fuisse. Nam haec verba minime necessario receptionem per incardinationem significant; receptus enim in Dioecesim aliquam et is certo sensu vocari potest, cui cura animarum in eadem exercenda committitur, quin ipsi formaliter incardinetur.

Neque in maiori pretio habendas esse alias litteras dimissoriales diei 28 iunii 1878 ad P. Abbatem S. Bernardi de Trappa in Anglia transmissas, quibus Episcopus Limburgensis Rodulphum suae Dioecesis Sacerdotem appellat. Hoc enim ideo contigisse ait, quia ille Episcopus tunc temporis exui in Bohemia degebat, neque acta ulla inspicere poterat. Quod profecto haud accidisset, si Antistes acta inspicere potuisset. Et hoc ex eo luculentissime patet, quod cum in urbe Limburgensi transmissio litterarum illarum dimissorialium innotuit, et Antistiti actorum series in mentem revocata fuit, ipse statim litteris d. d. 12 iulii 1878 enixissime ab Abbate petiit, ut dimissoriales illas a Sacerdote R. ipsi tradendas, statim combureret.

Tandem Episcopus sustinet, responsum a suo Praedecessore S. Congreg. Episc, et Regul. die 6 Augusti 1870 datum, scilicet Sacerdotem R. suae Dioecesi adscriptum fuisse, favore thesis ab Archiepiscopo Coloniensi propugnatae nihil ponere in esse. Quandoquidem, ait; Episcopus, dictus Praedecessor tenori innixus litterarum dimissorialium Generalis Congregationis Sancti Spiritus, falso putavit Sacerdotem R. ad Congregationem S. Spiritus tanquam verum sodalem seu subditum revera pertinuisse. Ratione igitur habita huiusmodi litterarum, Antecessor S. Congr. Episc, et Regul. de incardinatione Rodulphi sciscitanti respondit, ipsum in Dioe-

cesi Limburgensi incardinatum fuisse. Verum cum progressu temporis apparuerit, Rodulphum. Congregationis S. Spiritus sodalem seu subditum haud fuisse, sponte sequitur Rodulphi incardinationem, quae Superioris Congregationis S. Spiritus dimissioni tantum nitebatur, locum non habuisse et responsum defuncti Episcopi erroneum fuisse.

Verum quomodocumque res definiri velit, Episcopus observat, initium omnium malorum in eo fuisse , quod Superior Generalis Congregationis Sancti Spiritus Rodulphum ad sacros ordines promoveri fecit. Hinc postulat, ut Superior Generalis de Sacerdote R. respondeat ac de ipso curam habeat. Idque nedum quia litteris dimissorialibus diei 14 Maii 1869 tamquam Superiorem Rodulphi immerito sese gesserit; verum etiam quia Congregationi tot domus sunt vel in coloniis exteris, et in his domibus tot diversa munera exercenda, ut facile, vel sin minus facilius, quam in Dioecesi Limburgensi, Rodulpho aliquo modo honestiori provideri queat.

Hisce in medium prolatis , Episcopus autumat concludi posse, Rodulphum nec Dioecesi Limburgensi incardinatum existere, neque sui muneris esse eum ad meliorem frugem reducere.

Quibus utrinque perpensis , propositum fuit diluendum sequens

Dubium

An et cui incumbat onus finem imponendi vitae vagae Sacerdotis R., eique alimenta suppeditandi in casui

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium, re maturo examini subiecta, sub die 24 februarii 1893 respondere censuit: *Affirmative ad Episcopum Limburgensem.*

Ex QUIBUS COLLIGES. I. Incardinationem sub conditione concessam, adimpleta conditione, plenum effectum sortiri et in absolutam converti.

II. In vim incardinationis Sacerdotem ad dioecesim, a qua originem duxit, non amplius pertinere, sed iurisdictioni Episcopi in cuius dioecesim receptus est, obnoxium esse.

III. Hinc Episcopo dioecesis, in qua sacerdos incardinatus fuit, onus incumbere, sacerdoti praesidia vitae suppeditandi ac ipsius vitae vagae finem imponendi.

IV. Verum ut sacerdos in aliena dioecesi incardinatus dicatur, praeter litteras dimissoriales Episcopi proprii, requiri consensum acceptationis Episcopi, in cuius dioecesi recipi vult.

X S. C. SUPER DISCIPLINA REGULARI

PRAESCRIPTIONES quoad iuvenes ex familiis religiosis, qui militari delectat obnoxii sunt.

Die 27 Novembris 1892.

La S. Congregazione sopra la Disciplina Regolare sempre intenta al bene delle Corporazioni Religiose, non può trascurare i giovani che ne sono le più belle speranze; quindi, autorizzata dal S. Padre, conferma le Costituzioni Apostoliche che sonosi svolte ne'tempi decorsi per norma del loro stato ordinario, ed impartisce ai Superiori Generali pei soggetti alla *Leva militare* le seguenti prescrizioni speciali :

I°. Per quelli che appartengono alla prima categoria, e non possono essere certi di venire riformati, la *Professionesolenne* e l'ammissione agli *Ordini Sacri* debbono essere ritardate fin dopo compiute il rispettivo servizio attivo di un anno, o di altro tempo necessario.

2°. È utile favorire il volontariato di un anno , anche sussidiando i giovani bisognosi, o in parte, o in tutto, secondo i mezzi di cui può disporre ciascun Ordine, onde loro sia dato di supplire alla tassa richiesta dal Governo, ed alle altre spese durante il servizio ; ma s'in-

S. Congregatio regulari Disciplinae moderandae praeposita, communi religiosorum Ordinum bono curando continenter intenta, iuvenes, qui electissima eorumdem spes procul dubio sunt, negligere nullo modo potest. Idcirco, facta sibi a Romano Pontifice potestate, Apostolicas Constitutiones ordinariam eorumdem Ordinum vitae rationem spectantes, elapsis subinde temporibus editas, confirmat; et Generalibus quibusvis illorum Praesulibus, pro iis suae religiosae familiae iuvenibus , qui militari delectui obnoxii sunt, haec specialia praescripta exhibet:

I°. Iis, qui ad primam, ut aiunt, Categoriam pertinent, nec certi esse possunt, se exauctoratum iri, solemnis Professio, et sacrorum Ordinum collatio , quousque primum militiae cursum uno, vel si opus fuerit pluribus annis confecerint, omnino differenda est.

2°. Apprime iis, qui militiae in annum dare nomen velint, favere expedit; imo etiam indigentibus iuvenibus pecuniae subsidia erogare, ut hi sive ex parte, sive ex toto, pro maiori, vel minori cuiusvis Ordinis facultate, vectigalibus ab ei-

tende che tale aiuto si darà solamente ai giovani di buone speranze, docili ed obbedienti.

vili Regimine impositis, ceterisque, quoad stipendia fecerint, impensis solvendis pares esse possint: at vero huiusmodi subsidia tantummodo optimae spei adolescentibus, quique dociles fuerint atque obedientes, sunt tribuenda.

3°. È espediente che prima di intraprendere il volontariato o servizio maggiore, abbiano atteso ad un corso di esercizi spirituali almeno per dieci giorni, ed abbiano fatto una parte di studi teologici (premesso il corso regolare degli altri studi), onde siano più fondati nelle idee religiose e nella religiosa istituzione.

3°. Item expedit, ut antequam militia sponte suscepta subeatur, vel maiora, ut aiunt, stipendia fiant, piis exercitationibus per decem saltem dies sub Magistro pietatis vacaverit, et theologicorum studiorum partem, ceterarum scientiarum curriculo, uti mos est, ante confecto, sollerter perfecerint; quo validius ac copiosius, ecclesiastica institutione confirmati, religiosis sensibus imbuantur.

4°. Acciocché i giovani conservino più facilmente la loro vocazione, e vi corrispondano colla condotta, oltre alle salutari ammonizioni, la possibile frequenza dei Sacramenti, la lettura di buoni libri, s'imporrà loro di far capo agli Ecclesiastici designati dagli Ordinari de'luoghi per la loro coltura spirituale; e questi non mancheranno di prestare a favore dei coscritti, nel miglior modo possibile, l'opera loro proficua, ed a seconda delle circostanze. A facilitare poi tale opera i Superiori Generali ordineranno a'Provinciali di dar conto dei loro sudditi, a' lodati Ordinari indicando la dimora dei medesimi, e raccomandandone la vigilanza. Gli Ordinari dalla loro parte indicheranno ai Provinciali i sacerdoti a cui debbono rivolgersi i giovani

4°. Quo facilius iuvenes animi propositum, quod Deo afflante conceperunt, ubique servent, suaque illi vivendi ratione fidelius respondeant, praeter salutares praeceptiones, assiduum, quoad fieri potest, Sacramentorum usum, bonorumque librorum lectionem, ad ecclesiasticos viros, qui ab cuiuslibet loci Episcopis eosdem iuvenes pie curandi causa designati fuerint, accedere iubeantur: hique operam suam apprime proficuam, tempori locisque opportunam, in conscriptos iuvenes, quoad poterunt, conferre non renuent.

Quo vero id facilius fiat, Generales Praesules cuiusvis Provinciae Praesidibus praecipiam, ut praedictis locorum Episcopis alumnorum suorum rationem reddant, eorum

coscritti. In ogni cambiamento di stazione i giovani sono obbligati a dare analoghe notizie al P. Provinciale, e riferirgli, per quanto è possibile, l'andamento della loro vita. Se durante il servizio hanno qualche settimana di permesso debbono attendere, almeno per tre giorni, agli esercizi spirituali. Non occorre poi dire che nelle città- dove vi sono case della Religione, i Provinciali possano deputare qualche loro religioso per la cura spirituale de' detti coscritti; ma rimane sempre fermo l'obbligo d'informare l'Ordinario del luogo dei giovani che vanno a compiere il servizio militare nella loro Diocesi.

5°. Quelli che finito il servizio militare di un anno, o di tempo maggiore, perseverano nella santa vocazione, e risulta dalla buona condotta tenuta, verranno riammessi nell'Ordine, dove per prima cosa faranno un corso di esercizi spirituali, e non saranno promossi alla *Professione solenne,* nè agli *Ordini Sacri,* se non dopo un tempo sufficiente, non minore di un anno, affinchè intanto diano saggio

domicilium patefacientes; eosdemque Episcopos hortantes, ut sedulo super ipsos vigilent: Episcopi autem Provinciarum Praesidibus Sacerdotes, ad quos conscripti iuvenes confugere debeant, vicissim indicabunt.

Quoties stationis locum commutari contingat, iidem iuvenes hac de re Provinciae Praesidem certiorem facere, suaeque vitae rationem, quoad eius fieri poterit, pandere gravi officio adstringuntur.

Si dum militiae dant operam, per hebdomadam quo quisque velit abeundi copia fiat, triduo saltem piis exercitationibus sub pietatis Magistro vacaturi secedant.

Hic vero monere supervacuum est, in iis locis, ubi sunt proprii Ordinis Coenobia, a quibuslibet Provinciarum Praesidibus Sacerdotem ex suis alumnis designari posse, qui spiritualem horum iuvenum curam gerat; quin tamen obligatione eximantur, proprium loci Episcopum de iuvenibus, qui in ipsius Dioecesim stipendia facturi se conferunt, mature commonefaciendi.

5°. Qui militiae cursu post unum aut plures annos confecto, in sancto ecclesiasticae vitae capessendae proposito perseveraverint, idque ex proba eorumdem vivendi ratione certo constiterit, in suum religiosum ordinem denuo excipiatur; ubi primum omnium piis exercitationibus vacandi causa secedant; nec ad solemnem Professionem, nec vero ad sacros Ordines, nisi post suffi-

della stabilità della loro vocazione, riassumano gli studi sacri, e rimanendo per questo tempo o nel Professorio, o in qualche altro luogo di stretta osservanza, sotto la direzione di un Religioso, grave per età e per costumi all'uopo deputato, diano prova della loro virtù. Massima cautela dovrà usarsi per quelli, che invece del volontariato, abbiano fatto il servizio ordinario di tempo maggiore.

ciens tempus, videlicet saltem post annum, promoveantur, ut interim in sancto proposito stabilitatis specimen praebeant, sacraque studia iterum excolenda suscipiant: atque sub idem tempus in ea Coenobii parte, quae a Professis nomen habet, aut in alio quopiam perfectae observantiae Asceterio, sub religionis Magistro aetate gravi ac moribus spectabili, cui id operis commissum sit, virtutis suae argumenta probationemque exhibeant. Maxima autem cura circa iuvenes illos adhibenda est, qui non quidem sponte militiae per annum ferme nomen dederint; sed coacti , maiori tempore per legem stato, stipendia fecerint.

Saranno per tutti necessarie le lettere testimoniali degli Ordinari diocesani, nel cui territorio abbiano dimorato almeno *tre mesi.* E rimangono sempre ferme le prescrizioni dei Sacri Canoni, in ordine a quelli che presentano difetti inducenti irregolarità, per i quali deve implorarsi nei singoli casi la dispensa Pontificia.

Omnibus vero, quas testimoniales vocant, Literae per Episcopos datae, in quorum Dioecesibus tres saltem menses commorati fuerint, necessariae erunt: salvis atque integris consistentibus sacrorum Canonum praescriptionibus quoad illos, qui corporis pravitates, unde irregularitas, ut aiunt, exoritur, insignes praeseferunt ; pro quibus Pontificia dispensatio singulis in casibus imploranda est.

6°. Le misure di precauzione indicate al n. 4 si osserveranno anche riguardo a quelli che dopo la Professione o gli Ordini Sacri venissero richiamati al servizio militare per un tempo notabile.

6°. Quae supra in §. 4 praescripta sunt, etiam quoad illos, qui post Professionem, aut sacros susceptos Ordines ad militiam notabili tempore exercendam iterum acciti fuerint, statuta atque sancita habeantur.

7°. Dandosi finalmente casi eccezionali e non previsti, i Superiori Generali degli Ordini dovranno ri-

7°. Si qui demum singulares casus, hic non praevisi, contigerint, Generales Ordinum quorumlibet

correre a questa Sacra Congregazione per le analoghe istruzioni e deroghe.

Roma, 27 Novembre 1892.

I. CARD. **VERGA, Prefetto**

GIUSEPPE MARIA **Arc. di Ces. del Ponto,** *Segretario.*

Praesules ad hanc Sacram Congregationem confugere debent, ut et quid agendum sit edoceantur, et si quid de communi lege sit derogandum, opportune derogetur.

Datum Romae, die XXVII Novembris anno Domini MDCCCXCII.

I. CARD. **VERGA, Praefectus**

IOSEPH MARIA **Archiep. Caesar, in Ponto,** *Scriba a secretis.*

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

QUEBECEN. Decretum beatificationis et canonizationis ven. servi Dei Francisci de Montmorency-Laval, primi episcopi Quebecen.

Instante Rmo P. Francisco Xaverio Cazenave Procuratore Generali Parisiensis Seminarii Missionum ad exteros, Postulatore constituto Causae Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Francisci de Montemorency-Laval, primi Episcopi Quebecensis, Emus ac Rmus Dnus Cardinalis Lucidus Maria Parocchi. Episcopus Albanen, huius Causae Ponens seu Relator in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu, subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens proposuit dubium : « *An sententia Iridiéis Subdelegati ab Emo ae Rmo Dno Cardinali Archiepiscopo Quebecen, super cultu praefato Ven. Servo Dei non cœhibito, seu super paratone Decretis rec. fel. Urbani Papae VII **f** sit confirmanda in casti et ad effectum de quo agitur ?* » Emi porro et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus rite perpensis et audito voce et scripto R. P. D. Augustino Caprara Sanctae Fidei Promotore, rescribere censuerunt: « *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam.* » Die 14 Ianuarii 1893.

Facta postmodum de his per meipsum subscriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Praefectum Sanctissimo

Domino Nostro Leoni Papae XIII relatione, Sanctitas Sua rescriptum Sacrae ipsius Congregationis ratum habuit et confirmavit die 4 Februarii anno eodem.

CAL CARD. ALOISI-MASELLA, *Praefectus.*

L. $ S.

VINCENTIUS NUSSI S. R. C. *Secretarius.*

M0N0P0LITANA Sodalitati tertii Ordinis s. Dominici praecedentia competit super omnes laicas confraternitates.

Die ***27*** *Martii 1893.*

Moderatores Tertii Ordinis s. Dominici in loco vulgo dicto ***FasanOj,*** intra fines Monopolitanae Dioeceseos, rite instituti, de consensu Rmi Ordinarii, S. Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime subiecerunt, nimirum:

An in processionibus, etiam in solemnitate Corporis Christi Sodalitati Tertii Ordinis Sancti Dominici ius praecedentiae competat supra quascumque laicas Confraternitates, etiam a SSmo Sacramento nuncupatas?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, exquisito voto alterius ex suis Consultoribus, ita proposito Dubio rescribendum censuit: *Affirmative; dummodo ea sodalitas gaudeat privilegiis Tertii Ordinis et collegialiter proprio habitu incedat.* Atque ita rescripsit die 27 Martii 1893.

CAIETANUS CARD. ALOISI-MASELLA
S. R. C. Praefectus.

L. © S.

VINCENTIUS NUSSI, *S. R. C. Secretarius.*

X S. CONGREGATIONE CONCILII

COLONIEN.

DUBIUM MATRIMONII

Di,,'. 18 Martii 1.803.,

Sess. 24 etip, 1 De rotor, matrim.

COMPENDIUM FACTI. Ordinarius Posnaniensis a die **22** Maii **1889** haec significabat : « In civitate Posnaniensi, regno Borussia), ubi plures existunt parochiae, non raro accidit, sponsos, derelicta, inscio proprio parocho, parochia, in'qua domicilium per longius habuerunt tempus, et aggresso domicilio in alia eiusdem civitatis parochia, nihilominus in veteri parochia proclamare se facere, et ibidem dolose matrimonium contrahere. Cum parochi civitatis hunc dolum detexissent, ad praecavenda futura invalida matrimonia, generatim mutuo se delega runt, ut quotiescumque supra memoratus dolus ex parte sponsorum reiteroretur, tamquam delegati proprii parochi valide matrimonio ineundo talium sponsorum assistere possent. Nunc tamen dubium eis venit, an revera facultas eis inesset talem generalem delegationem sibi mutuo concedere et Vicariatum generalem adierunt, ut ipse omnibus civitatis Posnaniensis parochis facultatem tribueret assistendi valide matrimoniis omnibus alienorum parochianorum civitatis praefatae in casibus, in quibus ab iis pertinentia ad parochiam simularetur ».

« Vicarius generalis non minora tamen fovet dubia quoad talem introducendam praxim et quoad competentem sibi in hoc casu facultatem, quam quoad praxim per plures annos, inscio loci Ordinario, a parochis civitatis Posnaniae observatam, - et ideo Sanctitati Vestrae supplicat, ut declarare dignetur:

« a) Quid de praxi parochorum civitatis Posnaniensis adhuc observata, mutuo in genere se delegandi pro tempore indeterminato ad assistendum matrimoniis sponsorum simulantium domicilium, sit tenendum ?

« b) Si haec praxis non probaretur, an valeat Vicariatus generalis generatim concedere facultatem parochis civitatis Posnaniae, de qua sermo?

«c) Si praxis ad — *a* - memorata improbaretur, dignetur Sanctitas Vestra sanare quoad praeteritum omnia matrimonia, vigore huius praxis invalide inita. »

Omnibus perpensis, rescriptum fuit die 20 Iulii 1889: *Quoad praeteritam pro sanatione : quoad dubia praxim non esse probandam, sed requiri in singulis casibus expressam validam delegationem.* Haec vero responsio cum Archiepiscopo Coloniensi innotuerit, sequenti ratione interpellavit S. C. C. : « In civitate hac Coloniensi in qua novemdecim existunt parochiae catholicae et circiter 150,000 numerantur catholicorum, non raro accidit, quod sponsa, v. gr. ancilla, proclamationibus expeditis, parochiam in qua domicilium habebat, inscio parocho proprio, derelinquit, et tamen coram hoc parocho dolose matrimonium contrahit, flngens, se in huius parochia, in qua proclamation es factae sunt, adhuc habitare.

« Quare ad praecavenda invalida matrimonia parochi huius civitatis, multis abhinc annis, se mutuo delegaverunt in hunc modum ut parochus, qui tempore, quo proclamationes expetebantur, parochus proprius sponsae erat, inde per tres menses matrimonio eius assistere valeat, etiamsi sponsa, hac parochia derelicta, in alia parochia huius civitatis tempore matrimonii habitet. Quam quidem conventionem adhibita facultate subdelegandi praedecessor meus Emus Card. Melchers postea, anno scilicet 1866, confirmaverat, eaque confirmatio delegationem Ordinarii exhibere videtur. Quamvis vero, postquam gubernationem huius Archidioecesis suscepi, similis a me confirmatio seu approbatio istius praxis statim expetita non sit, parochi Colonienses tamen eam sunt secuti.

« Similes ob causas in civitate Aquisgranensi existebat *ab immemoriali tempore,* ut parochi asserunt, usus iuxta quem propter frequentem habitationis mutationem ex parte ancillarum, mercenariorum et pauperum parochus in cuius parochia sponsa habitat, dum proclamationes expetit eius matrimonio assistere possit, etiamsi sponsa tempore proclamationum in aliam parochiam eiusdem civitatis transmigret. Quem usum, a parochis Aquisgranensibus anno 1840 renovatum, Vicarius generalis archiepiscopalis die 14 Novembris 1840 tamquam valori'matrimoniorum faventem approbavit. Utilis sane est talis dispositio, quaque valor matrimonii non raro salvaretur.

« Attamen cum S. C. Concilii die 20 Iulii h. a. in causa

Posnaniensi declaravit conventionem similem parochorum Posnaniensium haud esse probandam, S. V. enixe rogatur, ut declarare dignetur :

« I° An Ordinario liceat parochis civitatis Coloniensis aliorumque oppidorum numerosiorum, cum facultate subdelegandi, delegare facultatem generaliorem matrimonio assistendi, de qua sermo ?

« Et quatenus negative.

« 2° S. V. dignetur Archiepiscopo oratori facultatem concedere, qua talem delegationem assistendi matrimonio in casu exposito parochis civitatis Coloniensis et oppidorum numerosiorum Archidioecesis Coloniensis concedere valeat.

« 3° S. V. enixe quoque supplico, ut matrimonia, si quae ex hac praxi et conventione invalida in hac Archidioecesi Coloniensi contracta sunt, benigne dignetur sanare. »

Sub die 6 Septembris 1890 proposita fuit, et dimissa responso : «Dilata et exquiratur votum duorum consultorum».

In praeterito folio, inter cetera observatum fuerat, necessitatem generalis delegationis inter parochos haud undequaque perspectam esse, quippe quoniam ad impediendum ne famuli, mercenarii, aliique de quibus quaestio, ex mutato inopinate domicilio nulliter contrahant, potiusquam ad mutuam generalem delegationem recurrere id unum sufficere videretur, ut parochus vel pridie vel ipsa nuptiarum die a sponsis exquireret, ubinam actu ii habitent, eosque de gravitate negotii moneat, et detecta fraude, aut eos ad proprium parochum remittat, aut, obtenta continuo a proprio parocho sive Ordinario expressa et speciali licentia, matrimonium ipse pro casuum diversitate consecret. Haec vero perlegens amplissimus Coloniensis Praesul, ut peculiares locorum circumstantiae et recepti mores plenius EE. VV. innotescerent, sequentia perpendenda die 5 Decembris 1890 adiungebat :

« I° Saepissime impossibile erit, pridie nuptiarum a sponsis denuo locum domicilii exquirere, quum die tantum nuptiarum non raro ad ecclesiam veniant, ut sacramenta suscipiant et matrimonium contrahant, atque aegerrime ferrent, si matrimonium differretur ad licentiam proprii parochi exquirendam.

« 2° Timendum est, ne sponsi mentirentur ad dilationem matrimonii et expensas evitandas praesertim, quando iam cum testibus in ecclesia ad matrimonium contrahendum adsint. »

« 3° Immo bona fide interdum in errore circa domicilium versari possunt, quippe qui domicilium civile, quod declaratione coram magistratu civili etiam actuali habitatione nondum incepta contrahunt, etiam domicilium ecclesiasticum ad matrimonium contrahendum constituere opinantur. »

« 4° Cum ad matrimonium in facie ecclesiae contrahendum se nonnisi post contractum matrimonium civile se sistant, timendum est, ne sponsi, cum parochus matrimonium ad quod omnia parata sunt, differret, recedant solo matrimonio civili contenti. »

« 5° In matrimoniis mixtis, quae proh dolor ! hisce in regionibus frequentiores sunt, timendum quoque est, ne sponsi, priusquam dilationi consentiant, ministrum haereticum adeant coram eo matrimonium contracturi, quo casu etiam liberorum salus maxime periclitaretur. »

Disceptatio Synoptica.

VOTUM THEOLOGI. Cum duplex sit dubium: I. «An mutua et generalis delegatio (parochorum ad assistentiam in matrimo-' niis), de qua in precibus (Archiep. Coloniensis) ad validitatem matrimonii valeat in casu. » Et quatenus negative : II. « An supplicandum sit SSmo pro convalidatione eiusdem praxis quoad futurum in casu ; » ante quam responsio canonica proponatur, haud abs re erit, si illa praxis sive consuetudo facti, de cuius valore iuridico quaeritur, accuratius circumscribatur. Quod eo maiore perspicuitate atque utilitate fiet, si quibusnam in rebus praxis parochorum Coloniensium atque Aquisgranensium differat a praxi parochorum in civitate Posnaniensi d. 20 Iulii 1889 a S. C. C. reprobata, breviter fuerit indicatum.

I. SPECIES PACTI. Novemdecim parochi Colonienses atque octo parochi Aquisgranenses sese mutuo generali quadam ratione delegarunt ad assistentiam in celebratione matrimoniorum hisce limitibus coarctatam :

I. Non qualiscumque parochus delegabatur, sed is, « qui tempore, quo proclamationes *expetebantur*, parochus proprius *sponsae erat* » (Supplie Arch. Colon, in fol. p. 3) ; viget enim in Archidioecesi Coloniensi ordinarie antiqua et laudabilis consuetudo, ut tantum parochus sponsae ad ordinatam et convenientem, non ad validam matrimonii celebrationem sit competens, Cfr. Archiv, iur. eccl. tom. 64, p. 246. Secus accidit in civi-

tate Posnaniensi. Nam ut constat ex fol. p. 1, ibidem sponsi postquam domicilium iam in novam parochiam transtulerunt, « nihilominus in vetere parochia proclamare se (faciunt) » neque in civitate Posnaniensi illa reperitur restrictio delegationis ad solum parochum sponsae. Quare ut terminis canonicis utar, parochi Golonienses per delegationem fiunt competentes « re non amplius integra » i. e. si sponsi eo tempore, quo veri et proprii ipsorum subditi erant per formalem et expressam petitionem proclamationum (cfr. Feije, De imped. et disp. matrim, n. 253) ante translatum domicilium propositam, proprii sui parochi ministerium legitime requisiverunt, ita ut parochus iam manum apposuerit celebrationi matrimonii; at in civitate Posnaniensi parochus veteris domicilii mansit competens re plane integra atque petitione facta proclamationum post mutatum domicilium.

II. Mutua illa delegatio in civitate Coloniensi ad certum tempus fuit limitatum sci. « inde (i. e. a tempore propositae petitionis proclamationum) per *tres menses* matrimonio eius assistere valeat, etiamsi sponsa hac parochia derelicta in alia parochia huius civitatis tempore matrimonii habitet ». (Suppl. Arch. Colon, in fol. p. 3). Quod tempus, nisi omnia me fallunt, videtur fuisse statutum, quoniam ex rituali romano duobus mensibus ab ultima proclamatione elapsis denuntiationes matrimoniales renovandae sunt, a quo iure, ut testantur canonistae germanici, etiam Archidioecesis Coloniensis non est aliena, quamvis in aliis dioecesibus nonnisi post quatuor atque secundum Instr. Em. Card. Rauscher pro imperio austriaco § 74, post sex demum menses bannorum renovatio exigatur. Verum in civitate Posnaniensi huiusmodi limitatio temporis delegationi mutuae invenitur adiecta.

III. In Archidioecesi Coloniensi in stabilienda illa praxi intervenit auctoritas Ordinarii. « Quam quidem conventionem (parochorum civitatis Coloniensis) multis abhinc annis factam adhibita facultate subdelegandi praedecessor, Emus Card. Melchers postea, anno scilicet 1866 confirmaverat eaque confirmatio delegationem Ordinarii exhibere videtur. Quamvis vero postquam gubernationem huius Archidioecesis suscepi, similis a me confirmatio seu approbatio istius praxis statim expetita non sit, parochi Colonienses tamen eam secuti sunt. Similes ob causas in civitate Aquisgranensi existebat ab *immemorabili tempore*^ ut parochi asserunt, usus, iuxta quem propter frequentem ha-

bitationis mutationem ex parte ancillarum, mercenariorum et pauperum, parochus, in cuius parochia sponsa habitat, dum proclamationes expetit, eius matrimonio assistere possit, etiamsi sponsa tempore proclamationum in aliam parochiam eiusdem civitatis transmigret. Quem usum a parochis Aquisgranensibus anno 1840 renovatum, Vicarius generalis Archiepiscopalis die 14 Novembris 1840 tamquam valori matrimoniorum faventem approbavit. Utilis sane est talis dispositio quaque valor matrimonii non raro salvaretur. » Hactenus suppl. Arch. Colon, in fol. p. 3. Longe alio modo res sese habet in praxi civitatis Posnaniensis.

Etenim praxis illa recenti tempore videtur fuisse inducta, praeterea sine interventione et approbatione aut delegatione Ordinarii, sed mere privata *conventione* parochorum, nullo instrumento publico confecto de negotio transacto, ita ut successores parochorum ignorare potuerint, talem licentiam esse datam, neque intentionem habuerint, similem licentiam aliis parochis civitatis concedendi. Denique nulla fit mentio facultatis concessae etiam subdelegandi. Quare universa ista praxis Posnan. fuit aliquantisper informis, confusa, periculis invalide assistendi matrimoniis exposita. Quae pericula videntur esse magis remota, si ipso statuto Episcopi sive *ex legis dispositione* datur parochis facultas delegata assistendi etiam cum iure subdelegandi, uti factum est in civitate Coloniensi.

Denique manifestum est, ex ipsa sententia S. C. C. utramque causam omnino esse distinctam. Nam si in similibus causis idem iudicium est ferendum (cfr. cap. 19 X de sent. et re iud. (II.- 27), sane in causa proposita ab Archiepiscopo Coloniensi idem responsum fuisset dandum atque in causa Posnaniensi; at S. H. C. non repetiit prius iudicium neque respondit : « Detur decretum in causa Posnaniensi », neque alia simili formula usa est, sed rescripsit : « Dilata etc. » ergo in ea videtur fuisse opinione, circumstantias atque conditiones utriusque praxis ita esse distinctas, ut idem iuris responsum saltem per definitivam et magistralem sententiam etiam in causa Coloniensi dari non possit.

II. RESPONSIO CANONICA.

ANIMADVERSIONES PRAEVIAE. Cum dubium proponitur, an « valeat in casu » mutua illa et generalis delegatio parochorum

Coloniensium et Aquisgranensium, tacite vel ipsa forma dubii videtur insinuari, unice difficultatem moveri posse de valore illius delegationis. At ut constat ex cap. 16 X de regular. (III. 31): « Multa fieri prohibentur, quae si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. » Cfr. quoque Suarez, De legib. lib. V, cap. 25. Quod iuris principium etiam in hac quaestione practici est momenti. Nam non paucae recenseri possunt delegationes assistentiae in matrimonii celebratione, quae optimo iure tanquam illicitae reprobantur, sed invalidae non existunt. Ita v. g. in fol. p. 6 refertur responsio S. C. C. 15 Iun. 1586 « sufficere » ad validitatem matrimonii, cui alius sacerdos interfuit vigore licentiae a parocho proprio contrahentibus concessa adhibendi quemvis sacerdotem ipsorum arbitrio electum. Itemque in causa Compost, s. Lucen., cum Vicarius generalis, remissis denuntiationibus, etiam facultatem dedisset cuicunque sacerdoti matrimonio illi assistendi, S. C. C. 19 Sept. 1744 rescripsit : « De validitate constare, renovato consensu ad cautelam. » Quae ultima verba evidenter propter aliam difficultatem in eadem causa occurrentem fuerunt adiecta. Verum ex duobus illis scriptis nemo profecto inferre potest, S. C. C. vagam illam et indeterminatam licentiam cuilibet sacerdoti concessam approbasse, etiam ut licitam, recte enim scribit Feije, De impedim. et disp. matrim, n. 297 : « Valida est licentia, ut contrahatur coram quolibet, quem contrahentes maluerint, sacerdote ; est tamen valde improbanda. » Ex altera parte denegata liceitate delegationis assistendi matrimonio, nequit concludi etiam invalidam esse delegationem. Quare S. C. C. in caus. Bosanen. 28 Nov. 1789 atque in caus. Turiton. 19 Decembris 1795 coadiutorum quorundam sive proparochorum assistentiam declaravit illicitam, at validam, utpote factam vi illimitatae facultatis a parochis contra statuta dioecesana coadiutoribus datae. Inde efficitur pro more loquendi ipsius S. C. C. in duabus causis modo citatis distinctius dubium esse formandum sci.: An illa assistentia valida et licita sit in casu. Cui quaestioni saltem triplex poterit dari responsum: *a)* Negative ad utrumque. *b)* Affirmative ad primum, negative ad secundum, *e)* Affirmative ad utrumque vel cum additamento « iuxta modum ».

Praeterea probe notandum est, Rmum Archiepiscopum Coloniensem non solum petere interpretationem legis Tridentinae capite « Tametsi » contentae, qua futuris detur forma negotiis, sed generalem iuris normam, quae, si contra validitatem praxis

Coloniensis ei Aquisgranensis detur decisio, ipso facto involvat declarationem nullitatis quarnplurimorum matrimoniorum iam contractorum. At S. C. C si vel de unius matrimonii valore agitur atque argumenta pro nullitate non sunt omnino certa et concludentia, solet constanter respondere : Non constare de nullitate matrimonii.

Ergo a fortiori nisi argumenta contra praxim in casu sint plane peremptoria, potius in favorem valoris quam nullitatis danda est interpretatio, ne quamplurima matrimonia invalida declarentur. Etenim « nullitas et irritatio actus, iure naturae validi, est odiosa, cum ius memoratum corrigat ac proinde non statuenda sine claro iuris textu aut urgente ratione. » Schmalzgrueber, Ius ecclesiast. lib. I. tit. 40, de his, quae vi, n. 21. Insuper causae vinculi matrimonialis in iure accensentur causis favorabilius, ut constat ex cap. 26 X de sent. et re iud. (II. 27), ergo nisi concludentibus rationibus probetur lex irritans potius in favorem vinculi matrimonialis proferatur necesse est et iudicis ecclesiastici sententia atque mera iuris interpretatio. Denique summopere solet esse odiosa in iure lex, qua cavetur de actibus praeteritis. Nam Gregorius IX. cap. 13 X de constit. (1.2) declarat, constitutionem a se editam: «Non ad praeterita, sed ad futura tantum extendi. Cum leges et constitutiones futuris certum sit dare formam negotiis, non ad praeterita facta trahi, nisi nominatim in eis de praeteritis caveatur. » Quod odium legis in praeteritum latae practice incurreret interpretatio nimis rigida in casu, ut supra expositum est, propter nullitatem plurimorum matrimoniorum. Neque putandum est, rem esse finitam, si dubia Rmi Archiepiscopi resolvuntur. Mox forte alia dubia ex aliis civitatibus Germaniae sequentur, ubi similes existunt praxes. Ita v. g. in rituali Viennensi (ed. Vienn. 1774) de matrimoniis intra septa civitatis Viennensis haec leguntur: « Si quis sponsus aut sponsa per tempus trium hebdomadarum in aliena parochia, quamvis animo ibi permanendi commoretur, non in nova, quam primo sponsus aut sponsa subiit, sed *in ilia parochia, e qua ultimo discessit*, matrimonialis copulatio fiat ; quodsi tamen desponsati ex causis privatis malint in noviter ingressa parochia copulari, id non aliter concedendum, quam si licentia a priori parocho producatur. » Laurin, qui nunc est professor iuris decretalium in Universitate Viennensi, contra theoriam de domicilio in illo rituali Viennensi practice appii-

.catarri sane optimo iure suas proponit exceptiones in Archiv, iur. eccl. tom. 26 p. 218, sed valorem assistentiae parochi domicilii derelicti in dubium vocare non audet, eo quod in rituali Viennensi contineatur saltem indirecte delegatio Episcopi atque ex Concilio Trid. Sess. XXIV, cap. 1, de ref. matr., huiusmodi delegatio « de - Ordinarii licentia » Episcopis sit permissa. Forte quis dicet, omnibus illis incommodis ex invaliditate multorum matrimoniorum petitis facillime occurri quoad tempus praeteritum per sanationem in radice. Sane Romanus Pontifex illam sanationem concedere potest; eamque SS. Dom. procul dubio concedet etiamsi tantum requiratur ad cautelam ; sed ad medium illud extraordinarium et quasi desperatum non est deveniendum nisi cogente extraordinaria necessitate. Nam etiamsi sanatione in radice matrimonia irrite contracta pro futuro tempore convalidentur, restat tristissimum illud factum, tot coniuges per multos annos omnibus gratiis Sacramenti matrimonii caruisse, quae ipsis sanatione in radice non restituantur. Quin imo accidere potest, ut coniuges ita invalido matrimonio coniuncti atque iam impatientes iugi matrimonialis, si quid suspicati sunt de illa allegata invalida praxi, facilem se putent nactos esse occasionem excutiendi iugum atque implorandi declarationem nullitatis matrimonii. Quid respondendum, si talis causa in foro ecclesiastico atque in ipsa S. C C. proponatur? Si certa est invaliditas illius praxis assistendi matrimoniis, contra valorem ferenda erit sententia. At si certa et indubia huiusmodi invaliditas non sit? Manet inconcussum principium iuris canonici: contra valorem matrimonii non est pronuntiandum, nisi certis argumentis probetur nullitas. Numquid rationes contra validitatem praxis Coloniensis et Aquisgranensis sunt certae? Id examinandum restat. Quod examen antequam fìat, tertia quaedam animadversio est praemittenda.

III. In dubio secundo quaeritur, an in casu, quo in responsione ad dubium primum pronuntiatum sit contra valorem praxis allegatae saltem « supplicandum sit SSmo Domino pro convalidatione eiusdem praxis quoad futurum in casu ». Quod iam ad formam dubii primi animadverti, id quoad dubium secundum est repetendum, sci. nequaquam quaestionem esse restringendam « ad convalidationem eiusdem praxis ». Profecto Romani Pontificis interventio est imploranda, ut sanentur matrimonia, forte invalide contractu, aut praxis invalida vel saltem

illicita (utrumque enim etiam in dubio secundo accuratius videtur distinguendum) capiti « Tametsi » Concilii Tridentini forte contraria, fiat legitima ; cum solius Romani Pontificis sit ius commune atque speciatim ius Tridentinum immutare. Verum etiamsi de sola interpretatione capitis « Tametsi » agatur, quae pariter Sedi Apostolicae est reservata et per S. C. C. exercenda, atque Emi Patres existiment, neque validitatem neque liceitatem praxis commemoratae esse reprobandam, tamen propter alias rationes SSmo Domino supplicatio proponi potest, ut speciali ratione decisionem approbare dignetur. Atque imprimis id fieri potest ad maiorem decisionis solemnitatem, quemadmodum accidit in alia interpretatione cap. « Tametsi » quondam sub Urbano VIII, pariter ad instantiam alicuius xArchiepiscopi Coloniensis a S. C. C. data, ut refert Benedict. XIV in Epistola « Paucis abhinc » 19 Mart. 1758 atque in opere de synodo dioec, lib. XIII, cap. 4, n. 10. Praeterea interpretatio danda non est, fortasse, pura interpretatio, sed admixtum habetstatutum. Qua ratione De Angelis, Praelect. iur. can. lib. IV, tit, 4, n. 9, 10, rescriptum S. C. C. de relatione inter matrimonium civile et impedimentum publicae honestatis d. 13 Martii 1879 datum atque a SSmo Domino d. 17 eiusdem mensis confirmatum vocat « declarationem cum decreto, » quod SSmus Dominus : « Declarat atque statuit. » Denique ut vitetur confusio atque arbitraria extensio declarationis etiam favorabilis valori praxis Coloniensis et Aquisgranensis, adiungi posset non solum determinatus modus, quo praxis illa possit et debeat exerceri, sed simul prohiberi posset extensio talis declarationis ad alias regiones sine interventione Sedis Apostolicae, quemadmodum cautum est quoad declarationem Benedicti XIV, pro Hollandia die 4 Novembris 1741. Quare quamvis de nullitate praxis allegatae in casu forte solida, dubia non existant, tamen supplicatio SSmo Domino, ut approbationem concedere dignetur, sub alio respectu poterit esse necessaria vel saltem utilis. Cfr. quoque approbationem a SSmo Domino datam decisioni S. C. C, qua ni refert Fagnan. comment, lib. IV, tit. 3, cap. 3, num. 33.

EXAMEN RATIONUM CONTRA VALIDITATEM PRAXIS IN CASU PROLATARUM. In animadversionibus praeviis satis demonstratum esse videtur, certa argumenta requiri, ut praxis, de qua quaeritur, invalida dici possit. At rationes, quae in fol. p. 7. sq., contra va-

liditatem afferuntur, salvo meliori iudicio mihi certae et vere concludentes esse non videntur.

I. Primo loco allegantur tres declarationes C. S. C, quibus praxis ista dicitur reprobata atque adeo doctrina contraria tanquam principium a S. C. C. adoptata. Abstineo a discussione quaestionis, num ex tribus declarationibus S. C. C. in causis quibusdam particularibus datis, in quibus haec quaestio specialis ex professo non fuit examinata, illico deduci possit norma quaedam generalis atque principium. Sane Benedictus XIV. in laudata declaratione pro Hollandia haec scribit: « Licet Sanctitas Sua non ignoret, alias in casibus quibusdam particularibus et attentis tum expositis circumstantiis S. Congr. Concilii pro eorum (matrimoniorum) invaliditate respondisse, aeque tamen compertum habens, nihil adhuc generatim et universe super eiusmodi matrimoniis fuisse ab Apostolica Sede definitum.... declaravit statuitque.... » At hisce animadversionibus opus non est. Principalis enim difficultas inde petitur, quod S. C. C. in laudatis declarationibus dixerit: « Non sufficere ad validitatem matrimonii licentiam tacitam, quae resultat ex tolerantia, sed requiri vel licentiam generalem administrandi omnia sacramenta, vel si haec non adsit, expressam et specialem. » Atqui parochus, e cuius parochia coniuges discesserunt non amplius est proprius illorum parochus; ergo ad validam assistentiam debet habere specialem et expressam licentiam neque delegatio illa universalis sufficit ad valorem matrimonii. Haec videtur esse argumentatio in fol. proposita, si ad breviorem quandam formulam redigatur.

At quod de tacita licentia rescripsit S. C. C, in casu nostro evidenter non est ad rem. Nam ut patet ex specie facti, non agitur de tacita quadam licentia, sed de expressa et publica parochorum deputatione, quam praecesserit mutua parochorum conventio solemnis, cui non solum Ordinarius confirmatione sua robur adiecit, sed « adhibita facultate subdelegandi, » ut dicitur in supplicatione Rmi Archiepiscopi, etiam delegata potestate instruxit parochos. Idemque accidit in civitate Aquisgranensi, quamvis de expressa illa facultate subdelegandi ab Ordinario quoque concessa nihil legatur, sed cum deputatio illa facta fuerit ad universalitatem causarum, ex generalibus iuris principiis consequitur, subdelegationem ad casus particulares pariter fuisse permissam.

Hinc cum certo constet de expressa licentia data in casu, parum curanda est controversia inter canonistas agitata, num istis

declarationibus S. C. C. non solum licentia praesumpta sive tacita sensu lato, sed etiam tacita sensu stricto sit exclusa. Quod praesumpta sit exclusa, manifestum est; at tacitam sensu stricto excludi, licet illius existentia obiectiva ex factis concludentibus certo probetur, De Angelis 1. c. lib. IV. tit. 3. n. 5., Giovine, Gury, Ferrari aliisque nondum definitum esse existimant:

Neque firmior est ratio petita ex allegatis declarationibus S. G. C, ut adstruitur necessitas specialis cuiusdam licentiae, si hisce verbis excludatur delegatio ad universalitatem causarum. Nam legenti textum illarum decisionum patet, proxime et directe controversiam agitatam fuisse, utrum sufficiat licentia tacita vel praesumpta, an requiratur expressa, atque S. C. tota in eo est, ut excludat tacitam vel praesumptam, requirat vero expressam licentiam; alteram illam quaestionem, num sufficiat licentia quaedam specialis ad universalitatem causarum, ne attingit quidem S. C. C, multoque minus illam reprobat etiam cum clausula irritante. Nam verba S. C. C. intelligenda sunt ex oppositione, quae intercedit inter primum et secundum membrum dilemmatis S. C. In priore enim membro nequaquam agitur de licentia quadam generali assistendi matrimoniis, sed de commissione generali exercendi universam curam animarum et administrandi omnia sacramenta, inclusive matrimonium. Huic generi universali totius curae in altero membro dilemmatis non opponitur licentia assistendi *uni* determinato matrimonio, sed *species* causarum matrimonialium, quatenus distinguuntur ab universali *genere* causarum totius curae. At huiusmodi « specialis » licentia potest ex natura sua dari aut ad universalitatem quandam causarum aut ad casum quendam particularem.

Praeterea non est admittenda interpretatio declarationum S. C. C, quae aliis declarationibus eiusdem S. C. G. repugnat: iam vero in caus. Tricaricen. 27 Iun. 1733 S. C. C. iudicavit matrimonium valide fuisse contractum coram presbytero, cui parochus in scriptis licentiam dederat nuptias inter quoscumque e suo grege conciliandi. Quae licentia profecto data erat ad universalitatem causarum, non tantum ad celebrationem particularis matrimonii. Porro in caus. Bosanen. 28 Nov. 1789 et in caus. Turritana 19 Dec. 1795, quamvis S. C. C. illimitatam delegationem coadiutorum contra statutum dioecesanum a parochis factam improbnret, tamen valorem omnium matrimoniorum, coram illis delegatis celebratorum, omnino sustinuit.

Tandem praxis est optima legum interpres, sed in quamplurimis dioecesibus vicarii sive coadiutores parochorum nequaquam constituuntur cum ampla illa facultate etiam assistendi matrimoniis, qua gaudent vicarii parochiales in Gallia (cfr. Gury, Theol. mor.{tom. II. n.850). Quare primum illud membrum dilemma tis non verificatur. Hinc Feije 1. c. n. 296 scribit: « Quum autem vicarii seu cooperatores parochorum non ubique ita constituantur, ut eis generalis illa Sacramentorum administratio sit ab Ordinario attributa vel saltem non ubique in generali Sacramenta ministrandi commissione censeatur comprehensa assistentia matrimonialis, idcirco in singulis dioecesibus indagandum est, quomodo illi nominentur; in multis dioecesibus et certe in Belgio, indigent facultate a parocho obtenta. » Quod Feije de Belgio testatur, coadiutoribus parochialibus nequaquam ab Episcopis dari generalem illam commissionem administrandi omnia sacramenta etiam matrimonium, id etiam in dubium vocat saltem pro dioecesi Brixinensi Aichner, Compendium iuris eccl. § 187, not. 16, quin imo Scherer, Ius ecclesiasticum § 93, not. 43, in Austria et Hungaria huiusmodi generalem deputationem vicariorum existere, omnino negat solideque probat, atque omnino dubitat, num in Germania proprie dicta ampla illa potestas coadiutorum existat. Et revera Kreutzwald, qui est professor iuris ecclesiastici in seminario Coloniensi, de ipsa Archidioecesi testatur, ibidem nullo modo coadiutoribus parochorum competere vi officii generalem illam facultatem assistendi matrimoniis, sed sive pro singulis matrimoniis, sive pro pluribus matrimoniis, sive generatim pro omnibus matrimoniis, in parochia celebrandis, expressam parochi licentiam requiri. Cfr. Ephemerides pastorales (Archidioecesis Coloniensis) a. 1889 p. 27 sq. At non obstante hac certissima praxi, qua coadiutoribus ius assistendi vi officii negatur, nequaquam canonistae, quos modo commemoravi, parocho negant ius etiam generaliter sive ad universalitatem causarum coadiutores saltem valide deputandi. Ita v. g. Feije 1. c docet: « Parochus potest generalem quoque vicario suo dare commissionem, sed improbandum est, si parochus alicui generale huiusmodi det mandatum, ut, se licet non absente nec impedito, omnia parochialia peragere queat. » Similiter neque Aichner, qui nunc est Princeps Episcopus Brixinensis, 1. c. in suo Compendio iuris ecclesiastici, per universam Austriam divulgato neque Kreutzwnld, S<*horer aliique canonistae de illo iure parochorum

generaliter delegandi assistentiam ullam movent dubium. Quare dilemma illud in declarationibus allegatis S. C. C. iuxta genuinam interpretationem aliis verbis ita enuntiari potest: nullus sacerdos valide in aliqua parochia matrimonii celebrationi assistit, qui ibidem a competente superiore non habet aut generalem commissionem ad universam curam animarum exercendam omniaque sacramenta administranda aut specialem et expressam deputationem ad assistentiam in matrimoniorum celebratione sive in casu quodam particulari sive in compluribus casibus, sive generaliter in omnibus matrimoniis. Qua interpretatione admissa tota argumentatio contra valorem praxis Coloniensis ex declarationibus Sacra Congregatio Concilii petita evidenter corruit.

II. Secundo arguitur ex alia responsione S. C C. « Matrimonium ut supra contractum a sacerdote, qui neque certam neque praesumptam scientiam, se habere licentiam a proprio parocho, habuit, non esse validum. » Atqui iuxta praxim Coloniensem et Aquisgranensem contingeret « ut parochus matrimoniis assisteret extraneorum, nedum sine certa aut praesumpta scientia delegationis, sed imo cum persuasione iure proprio et ordinario agendi, » ut dicitur in fol. p. 8. Ergo videtur esse conclamatum de valore illius praxis. Authentia talis declarationis videtur esse omnino admittenda, cum illa responsio S. C. C. etiam ab aliis scriptoribus veluti a Giraldi, Expos, iur. pontif. P. II, sect. 115, Zamboni v. Matrim. § 19, Feije 1. c. n. 297, not. 5 referatur. Illud solummodo notasse sufficiat, non agi in illa responsione de sola ignorantia sacerdotis delegati, sed etiam unius ex contrahentibus de facta delegatione a parocho proprio. Porro illis verbis « qui neque certam neque praesumptam scientiam (suae delegationis) habuit » S. C C. insinuare videtur obiectivam quidem requiri licentiam neque sufficere praesumptam, quae forte obiective non existat, at scientiam de illa licentia obiective et de facto data non necessario debere esse certam, sed sufficere scientiam recte praesumptam, dummodo illa praesumpta scientia nitatur vero fundamento i. e. licentia revera concessa. Nam S. C. C. ideo excludit valorem assistentiae in causa allegata, quod sacerdos *neque* certam, *neque* praesumptam habuerit scientiam delegationis suae, hinc legitime videtur posse inferri, S. C. C. noluisse illam delegationem declarare nullam, si saltem secunda ex conditionibus appositis i. e. praesumpta scientia fuisset ve-

Fincata. Hinc S. C. C. potius videtur adoptasse illam sententiam, quam iam tenuerunt Sánchez, De s. matr. sacramento lib. III. disp. 36, Barbosa, Collectanea doctorum in cit. cap. Tametsi n. 118, aliique velut Fillucius, Hurtado, sci. validam esse assistentiam sacerdotis delegati, quo petente vel petitionis conscio a proprio parocho delegatio concessa sit, quamvis notitia concessionis ad sacerdotem delegatum nondum pervenerit. Neque omittenda est doctrina a Sánchez 1. c. n. 3 tradita, omnino non requiri scientiam concessionis ad valorem actus in privilegiato, si concessio per modum statuti vel constitutionis, non per simplex rescriptum facta sit. Atque haec quidem ad superabundantiam sint dicta. Quo iure enim dici possit, parochos illos Colonienses vel Aquisgranenses laborare ignorantia suae delegationis, equidem plane non intelligo.

Profecto non potest allegari ignorantia iuris. Nam sicut iudex ecclesiasticus debet scire ius commune atque ius in universa sua dioecesi receptum, ita parochus debet cognoscere ius, quo parochiae sui territorii reguntur. Iam vero deputatio parochorum in casu fundatur solemni quadam conventione, ordinatione et statuto Ordinarii, cui inserta fuit potestas subdelegandi. Quomodo talem actum solemnem parochi ignorare possunt? Merito ipsis opponeretur R. I. 13 in Sexto: «Ignorantia facti, non iuris excusat. » Neque supponi potest ignorantia huius statuti in fidelibus. Agitur enim de actu quodam publico et notorio conventionis et statuti, quod frequenter in praxi applicatur atque probe sciunt fideles, a multis annis nunquam matrimonium fuisse ut invalidum impugnatum, eo quod sponsi, translato iam domicilio in novam parochiam, in parochia antiqua matrimonium celebrarint parochosque sine praevio rigoroso examine assistentiam praebere vident.

Praeterea ne facti quidem allegari valet ignorantia. Etenim ut patet ex specie facti, non disceptatur de consuetudine qualicunque, sed de consuetudine coloniensi et aquisgranensi. At ibidem delegatio non conceditur ad assistentiam in matrimoniis sponsorum, qui plane sunt ignoti parochis atque ex omnibus mundi partibus in illas civitates confluentes, sed tantum pro illis sponsis, qui in parochia ista hucusque habitarunt atque parochis non raro a multis annis noti sunt, qui personaliter a parocho forte vix duabus hebdomadis ante celebrationem matrimonii, cum ipsius adhuc essent subditi, proclamationem bannorum.

postularunt. Quare si isti sponsi postea parocho derelicti interim domicilii in ecclesia sese sistant ad contrahendum matrimonium, is certa scientia scit, sese aut iure proprio aut iure delegato ad assistentiam esse competentem.

Neque excipi potest, parochum assistere « cum persuasione iure proprio et ordinario agendi ». Nam talis suppositio fieri posset, si parochus plane ignoraret istud factum frequentis transmigrationis ex una parochia in aliam, propter quod parochi Ordinario approbante conventionem inierunt. Qua conventione et praxi existente, parochus non assistit cum intentione restricta ad ius suum ordinarium et proprium, sed potius pro universa sua facultate quam habet, ut actus sit validus.

Etenim parochi rhenani in rebus agendis versatissimi, non solent esse homines adeo simplices, ut pro diversitate sponsorum ne in suspicionem quidem veniant, agi de matrimonio in conventione contento. Denique aliunde constat, assistentiam parochi in celebratione matrimonii non esse actum ordinis vel iurisdictionis, sed officium testis qualificati. Cfr. Sanche/ 1. c. n. 8., Feije 1. c. n. 286, 294. Rigorosa igitur principia de delegatione potestatis iurisdictionis nequeunt simpliciter et absolute applicari licentiae datae ad assistentiam in matrimonii celebratione, atque v. g. S. C. C. 9 Sept. 1684 rescripsit, matrimonium valide esse contractum coram sacerdote assistente ex mandato Episcopi, quem per errorem proprium parochum esse existimavit. Cfr. Girali Ii 1. c Quin imo etiamsi illa potestas assistendi diceretur iurisdictio, non multum efficeretur in casu. Nam sicut Episcopus, qui ex iure Tridentino modo iure ordinario et delegato, modo iure tantum delegato procedere potest, valide iurisdictionem suam exerceret, si per errorem theoreticum existimaret, se iure suo ordinario uti posse, ita etiam parochus in casu non ageret invalide, quoniam error iste theoreticus non excludit voluntatem et intentionum applicandi potestatem delegatam, nisi diserte et expresse hoc fiat, ut accidit in Calvinista, qui errorem suum theoreticum de iure solvendi matrimonium tanquam expressam conditionem in pactum deducit. Huiusmodi supposita intentio in parochis restringendi suam facultatem assistendi ad solum ius ordinarium stante illa conventione est plane absurda hypothesis; ergo parochi Colonienses atque Aquisgranenses utuntur universa sua potestate, quam habent etiam per statutum et ordinationem -Ordinarii" (cfr."Sánchez 1: e. n. 3), ut validum celebretur

matrimonium. Quibus animadversionibus videtur esse demonstratum, etiam ex secunda declaratione S. C. C. in fol. allegata, legitimum argumentum contra praxim, de qua quaeritur, derivari non posse.

III. « Sed quod magis est, dici insuper haud improbabiliter potest, eandem controversam praxim totius oeconomiae capitis *Tametsi* esse subversivam et tum litterae, tum spiritui eiusdem capitis cum magno dispendio receptae hac de re in Ecclesia disciplinae obviare. » Ita in fol. p. 10. Res sane gravissima est subversio capitis « Tametsi », et iure merito postulatur, ut huiusmodi assertio, quae simul non paucorum Praelatorum ecclesiasticorum haud levis est accusatio, solidis argumentis probetur. Quaenam sunt illa argumenta? Facile ad duo breviter reduci possunt: 1. Concilium Tridentinum non qualemcumque sacerdotem, sed parochum proprium sponsorum voluit esse testem qualificatum et exclusivum in matrimoniis suorum subditorum. Atqui in casu non assistit parochus proprius sponsorum neque exclusive, cum ipsius arbitrio extendi possit ius assistendi ad quamplurimis. Ergo praxis in casu adversatur fini legis Tridentinae. 2. Quamvis concedatur ex lege Tridentina parochis facultas delegandi assistentiam, tamen sermo est de delegatione « singulari et individua », ut parochi « in singulis casibus partes diligenter » examinent, denique nonnisi « ob legitimam gravissimumque causam » a parochis, quinimo ab Episcopis iuxta Benedictum XIV tantum ob « ineluctabilern necessitatem» assistentia alteri sacerdoti est deleganda. Atqui in casu non habetur singularis illa delegatio neque denuntiationes et examina fiunt a proprio parocho neque causae gravissimae et ineluctabilis necessitatis verificantur. Ergo videtur esse pronuntiandum contra praxim in casu.

Cui rationi ex subversione capitis « Tametsi » petitae inprimis opponitur gravissima praesumptio. Pericula subversionis tam atris coloribus depicta, quae ex praxi in casu dicuntur imminere, post tot annos (« ab immemoriali tempore » in civitate Aquisgranensi, « multis abhinc annis » Coloniae) in utraque civitate debuissent fieri manifesta. At nemo hucusque vidit subversionem capitis « Tametsi » in duabus istis civitatibus existere.

Et revera Rmus Archiepiscopus, qui nunc Archidioecesim Coloniensem, iam a quinque annis, regit, disertis verbis petit approbationem illius praxis; at quis dicet hunc Praesidem diu in

cara animarum et in administratione dioecesium versatum petere a S. Sede approbationem praxis, quam propria experientia cognoverit esse subversivam capitis « Tametsi » ? Porro eandem praxim in civitate Coloniensi expresse confirmavit a. 1866 Em. Card. Melchers, cum esset Archiepiscopus Coloniensis, neque unquam reprehendit Em. Cardinalis Geissel, qui fuit praedecessor Em. Card. Melchers in sede Coloniensi; exstitit illa praxis iam sub Archiepiscopo Clemente Augusto, acerrimo vindice sanctitatis matrimonii contra gubernium borussicum. Omnes Praelati, quos modo commemoravi, ne momento quidem tolérassent praxim, quae teste experientia fuisset subversiva disciplinae Tridentinae. Denique parochi illarum civitatum solent eligi ex viris spectatissimis totius cleri dioecesani atque a multis iam annis rerum gerendarum experientia et zelo pastorali commendantur. Qui viri omnino alieni fuissent a sustinenda praxi, si ipsa experientia propter pravos effectus fuisset reprobata. Neque omittendum est, in duabus laudatis civitatibus vitam vere catholicam adeo florere, ut non paucis civitatibus catholicis a multis annis exemplo esse possint. Quod quomodo cum subversione capitis « Tametsi » comprobatur, difficulter intelligitur. Quare saltem per experientiam subversio iuris Tridentini non est demonstrata atque potius videtur esse spectrum quoddam canonicum, quam periculum verum, quod immineat ecclesiasticae disciplinae ex praxi coloniensi.

Propius ad rem est accedendum. Numquid de facto praxis coloniensis et aquisgranensis, quae in specie facti est exposita (non de alia quadam conficta praxi agitur) in sese et ex sua natura est subversiva iuris Tridentini? Profecto a Concilio Tridentino non qualiscumque sacerdos est testis qualificatus, sed requiritur, ut sit *parochus.* Id sane in casu obtinet; non enim qualiscumque sacerdos deputatur, sed competentes sunt ad assistentiam in civitate Aquisgranensi octo, Coloniae undeviginti *parochi,* non alii sacerdotes. At dices, Concilium Tridentinum requirit etiam parochum *proprium.* Omnino. At idem Concilium concessit et parocho et Ordinario ius delegandi assistentiam atque in casu, nisi quis in cortice verborum haereat et verba legis complectens contra legis nitatur voluntatem (R. I. 88 in Sext.), non raro aeque bene, imo melius assistit alius parochus ad ipsum scopum Concilii Tridentini obtinendum. Nam secundum praxim coloniensem praeter parochum, qui in rigore iuris pro-

pter translationem domicilii solus est proprius parochus, unice competens est parochus parochiae a sponsis derelictae, in qua habita runt eo tempore, quo a parocho proclamationes peterent peragendas neque competens manet indefinito quodam tempore, ut patet ex specie facti. At manifestum est, in antiqua parochia melius illos sponsos cognosci quam in nova, facilius ibidem detegi impedimenta, plenius antiquum parochum de universo negotio esse instructum, quam novum, in cuius parochia sponsi forte a duabus vel tribus hebdomadis commorantur. Quod quam verum sit, patet ex praxi in istis regionibus pariter recepta, tantum in parochia derelicta fieri proclamationes matrimoniales, si sponsi infra mensem in nova parochia commorentur. Cfr. Schneider, Manuale sacerdotum II, p. 336. « Si nondum sex menses praeterlapsi sunt, ex quo vetus domicilium reliquit et simul in novo domicilio nondum per mensem integrum habitavit, solummodo in veteris domicilii parochia fiunt proclamationes, licet copulatio pertineat ad novi domicilii parochum. » Accedit illa praxis, supra 'ex rituali Viennensi relata, ubi idem fere, quod Coloniae et Aquisgrani *permissum* est, ex praescripto ritualis atque delegatione Ordinarii fieri *debet* sci. copulatio intra certum tempus coram parocho domicilii derelicti est peragenda. Si consuetudo ista in maioribus civitatibus non esset practica et conveniens, sine dubio proprio statuto ritualis Viennae « intra septa » non fuisset praescripta. Neque res nova et insolita fit in casu, cum non raro in iure adoptètur principium, illum superiorem in negotio quodam canonico manere competentem, cui manum iam apposuit, licet interim ortae sint circumstantiae ipsius iurisdictioni contrariae. Hinc v. g. etiam in causis matrimonialibus postquam citatio iudicialis intimata est, mutatio quoad coniugum domicilium facta mutationem respectu iudicis competentis minime operatur, ut constat ex cap. 19 X de foro comp. (II. 2.) Cfr. quoque Inst. Em. Card. Rauscher § 96. Quod igitur in exemplo allato fit ipsa iuris dispositione, id in casu nostro congrua delegatione suppletur.

At restat difficultas, praxi coloniensi parochum proprium non iam esse exclusive competentem nimiumque multiplicari ad arbitrium parochorum numerum delegatorum. Quae ratio, si quam vim habet, ad summum urgeri potest contra liceitatem praxis, contra validitatem vero est inefficax. Ubi quaeso numerus delegatorum est maior magisque indeterminatus quam eo

in casu, quo superior competens dat licentiam coram « aliquo » sacerdote, ab ipsis sponsis electo, celebrandi matrimonium? Atqui ut patet ex iteratis declarationibus S. C. C. supra citatis talis delegatio vaga valorem matrimonii non impedit, licet aliunde certum sit S. C. C- illimitatas delegationes non placere, ut pariter eruitur ex. caus. Bosanen. et Turritana supra allegatis. Atque in disceptatione causae Neapolit. d. 3. Iul. 1734 a S. C. C. definita haec leguntur : « Circa primum exponitur, licentiam nimis vagam et generalem contrahendi matrimonium coram quocunque sacerdote et cum quocunque particulariter et nominatim non designato, utpote contrariam menti S. Conc. Trid. Sess. XXIV, cap. 1, de ref. matr., non refragati, ut sentit Card. de Luca... Et licet Fagnanus in L. IV Decr. cap. *Nobis,* de danel, despons. n. 32 § *An licentia,* referat, hanc S. Congr. declarasse sufficientem pro validitate matrimonii licentiam in scriptis a parocho concessam, ut *quilibet sacerdos* arbitrio contrahentium assistere posset, attamen in illo casu advertitur, contrahentes fuisse nominatim designatos. »

Quae iam est vaga delegatio in praxi coloniensi? Sane non ex parte contrahentium; parochus enim parochiae derelictae tantum est deputatus ad assistentiam eorum sponsorum, qui ab ipso ante discessum ex parochia proclamationes postularunt atque ibidem de facto proclamati sunt. Quae personae non sunt vagae et indeterminatae. Neque delegatio est vaga et nimis ampla ex parte parochorum, qui delegantur. Nam restrictus est numerus, inter quos delegatio illa fit ; sunt enim 8 parochi Aquisgranenses et 19 parochi Colonienses. Qui numerus sane non est enormis, licet omnes simul essent delegati. Nam v. g. Parisiis in parochia S. Magdalenae sunt 8 vicarii parochiales, ad S. Philippi sunt 10, in ecclesia S. Sulpicii 11; omnes illi vicarii parochiales sunt delegati ad universalitatem causarum etiam quoad assistentiam in celebratione matrimonii ideoque in casibus particularibus subdelegare possunt. Quare in parochia S. Sulpicii praeter parochum, iure proprio assistentem, habes undecim delegatos et eorum subdelégalos ! Iste numerus delegatorum in una parochia est haud exiguus; at nemo hucusque valorem illius praxis parisiensis propter nimium numerum delegatorum impugnavit. Quot iam sunt in casu delegati Coloniae vel Aquisgrani ? *Unus,* si res practice et in concreto spectetur. Nam, praeter parochum novi domicilii, unice tamquam delegatus

est competens saltem ad licitam assistentiam parochus domicilii a sponsa derelicti, in quo sponsi iam petierunt proclamationes matrimoniales. Qui *unus* parochus non est delegatus vagus, sed accuratissime determinatus. Practice inquam res reducitur ad unum delegatum. Nam ut constat ex specie factorum in Archidioecesi Coloniensi nequaquam viget praxis gallica, vi cuius omnes vicarii parochiales etiam ad assistentiam in omnibus matrimoniis parochianorum sunt delegati, sed requiritur pro casibus particularibus expressa licentia parochi. Porro etiam huiusmodi subdelegatio non est vaga et nimis generalis. Sacerdotes enim regulares in illis regionibus numero sunt pauci, neque huiusmodi rebus sese immiscere solent. Alii sacerdotes non curati pariter sunt pauci atque alieni a curandis negotiis aliorum. Quare si fit subdelegatio quaedam, eligitur unus ex paucis (ordinarie tantum duo vel tres vel quatuor) capellanis curatis, qui ipsi parocho assistunt in cura animarum, et inter quos non raro primus reliquis praefertur pro expediendis negotiis maioris momenti. Omnibus igitur difficultatibus de subversione capitis «Tametsi» expensis, pericula illa disciplinae ecclesiasticae imminentia non videntur subsistere ex vaga et nimis generali delegatione. Quae conclusio coronidis loco practico exemplo illustrari potest. Iuxta descriptionem universae Archidioecesis Colonienis anno 1888 denuo ex officio publicatam p. 22 sq. recensentur parochiae civitatis Aquisgranensis alalie primo loco commemoratur parochia s. Adalberti cum uno parocho et quatuor vicariis parochialibus (sed quarta vicaria vacabat) et 22,200 parochianis, dein sequitur parochia S. Foilani, in qua unus parochus cum tribus vicariis (tertia vicaria vacabat) exercuit curam animarum pro 54,180 parochianis. Parisiis vg. parochia S. Magdalenae eundem fere habet numerum parochianorum atque duae istae parochiae Aquisgranenses. Iam vero Parisiis in laudata parochia pro eodem numero catholicorum matrimoniis assistunt 8 vicarii cum parocho, Aquisgrani, si omnes vicarii una cum parochis in utraque parochia matrimoniis assisterent, pariter 9 tantum sacerdotes essent ad assistentiam competentes, si vigeret praxis gallica de competentia vicariorum. Id quod non obtinet, ut supra demonstratum est. Hinc si duo sponsi, qui in parochia S. Foilani iam petierant a parocho proclamationes, postea migrant in parochiam S. Adalberti, *competens* ad assistentiam *fit* parochus S. Adalberti et forte unus ex ipsius vicariis vi spe-

cialis deputationis et praeterea competens *manet* solus parochus S. Foilani vi delegationis acceptae, qui forte in casu quodam extraordinario unum ex suis capellanis specialiter subdelegabit. Qua praxi certe non habetur vaga et nimis generalis delegatio; atqui ut denuo repetam, de praxi coloniensi et aquisgranensi, quae de facto existit, non de praxi quadam conficta iudicium est ferendum.

Quid respondendum est alteri difficultati supra expositae secundo syllogismo? Assertio ibidem contenta, ipso textu Concilii Tridentini requiri delegationem specialem pro singulis casibus et excludi generalem delegationem, salvo meliori iudicio, est omni fundamento destituta. Peccat enim talis interpretatio capitis «Tametsi» contra principium fundamentale legitimae interpretationis: Ubi lex non distinguit, neque nos debemus distinguere. Atqui lex Tridentina simpliciter et sine limitatione parochis et Ordinariis concedit facultatem delegandi assistentiam in matrimonii celebratione; ergo cum ex natura rei et ex generalibus iuris canonici principiis delegatio tum ad universalitatem causarum, tum ad casus particulares sit permissa, arbitraria plane ratione ius delegandi restringitur ad casus particulares. Porro si is esset sensus cap. «Tametsi», canonistae antiquiores et recentiores communi consensu errassent in interpretatione decreti Tridentini. Etenim Sánchez, Reiffenstuel aliique non raro iisdem fere verbis idem tradunt, quod docet Schmalzgrueber, Ius eccl. lib. IV tit. 3 n. 190. « Potest committi (sci. sacerdoti extraneo potestas matrimoniis assistendi) verbo, scripto vel alio signo externo, per se vel per intermediam personam, nec solum *specialiter,* sed etiam *generaliter;* ac proinde cui commissa est cura functionum sive muneris parochialis, illi etiam commissa censetur facultas et potestas assistendi matrimoniis ovium sibi commissarum, quia generalis regulae instar est, quod generalis dispositio generaliter et consequenter ita intelligenda sit, ut *omnes species* sub se comprehendat. » Qua in doctrina asserenda canonistae adeo unanimes sunt, ut ne controversiam quidem hac de quaestione existentem commémorent. At quis dicet, omnes illos doctores in interpretando textu Tridentino adeo simplici et obvio errasse. Nec iuvat excipere S. C. C. in declarationibus supra allegatis contrariam adoptasse interpretationem capit. « Tametsi ». Illis enim declarationibus alium sensum inesse demonstratum est, qui denuo confirmatur ex cit. verbis Schmolz-

grueberi. Nam S. C. C. *generi,* quod « *omnes species* » comprehendit, opponit *unicam speciem* causarum matrimonialium, sed sub una specie quamplurimi casus, non unus tantum continentur. Denique aliis responsis S. C. C. interpretatio illa nimis restrictiva fuit exclusa. ?

Quid tandem respondendum, quae in fol. p. 13 sq. ex verbis Barbosae atque Benedict, XIV in Const. « Nimiam licentiam » praxi in casu obiiciuntur, scilicet parochum tantum ob «gravissimam causam » posse assistentiam delegare alteri sacerdoti, Ordinarium vero nonnisi ob « ineluctabilem necessitatem». Id quod in praxi Coloniensi non verificatur, cum huius delegationis nulla sit necessitas. At auctoritati Barbosae imprimis obstat auctoritas aliorum doctorum atque praxis generaliter recepta. Ita enim scribit Feije 1. c. n. 295 : « Parochus tamen cavere debet ne absque iusta. . . . causa alteri munus assistendi committat » et in nota 2 addit: «Praxis tamen generalis, cui consonat communis loquendi modus auctorum rationabilem tantum causam postulat. Pro vicariis saltem parochorum non requiri gravissimam opinatur Nouv. rev. th. t. 3 p. 217 sqq. » Et profecto in Concilio Tridentino clausula illa de causa gravissima non reperitur neque allegari potest declaratio S. C. C.„ qua adeo rigidam theoriam generaliter adoptant, ipse vero Benedict. XIV in Const. « Satis vobis » 17 Nov. 1741, tantum requirit *gravem* causam, ut Episcopus vel in ipsis matrimoniis occultis sive conscientiae, quae adeo sunt periculosa, alteri sacerdoti, praeter parochum, assistentiam deleget. Tandem citatio Const. Benedicti XIV « Nimiam licentiam » 18 Maii 1743 omnino non est ad rem. Quicunque enim illam Constitutionem integram perlegerit, focile sciet, eam scriptam esse Episcopis Poloniae propter inorclinatum modum, «quo matrimonia per Polonium contrahuntur». «Saepenumero enim ac passim praesentia proprii parochi, dum matrimonium per verba de praesenti contrahitur, desideratur, et *cuilibet sacerdoti* interessendi commissio, interdum inscio etiam proprio parocho demandatur. *Frequentissime* etiam super *denuntiat! onibus* per tres festos dies inter missarum solemnia in parochiali ecclesia tam viri quam mulieris de matrimonio contrahendo solitis ac tantopere praescriptis dispensatur, ita ut *nulla* intercedente *legitima* et *urgente* causa *ne una,* quidem *denuntiatio* fiat. » 1. c § 5. Quodsi in eadem Const. § 12 Benedictus XIV adhibet illam vocem *ineluctabilis necessitatis,* ob quam

Episcopus alteri sacerdoti assistentiam committat, ut patet ex contextu, agitur de illis commissionibus, « quae *cuilibet* potius sacerdoti quam proprio parocho » fiunt praesertim cum dispensatione *ob omnibus* denuntiationibus aut *una* forte tantum excepta. At quis non videat, ut verbis utar Benedicti XIV in cit. Const. § 5, « inordinationem confusionemque antedictam in regno Poloniae vigentem » omnino differre a praxi coloniensi. Etenim nequaquam « cuilibet sacerdoti » delegatur ius assistendi, sed parocho, in cuius parochia sponsi habitarent, a quo proclamaciones petierunt, cum illius essent subditi, qui de facto proclamaciones omnes ex iuris praescripto publicavit, melius quam novus parochus novi domicilii de omnibus relationibus et impedimentis sponsorum informatus est. In tali delegatione nulla existit « inordinatio et confusio ». Neque plane negligenda est illa animadversio, Benedictum XIV iusta indignatione de tot tantisque abusibus commotum sapienti consilio acrioribus severioribusque usum esse verbis, ut meta altius defixa parochos, Episcopos ipsumque Nuntium Apostolicum eo tempore in Polonia existentem ad iustam viam mediam revocaret. Atque in hunc sensum recte scribit Feije 1. c. « Equidem puto Benedictum (XIV) in cit. Const. quamquam generaliter loquitur, ad severiorem scribendi modum fuisse adductum per magnos abusus vigentes in Polonia, ad cuius Episcopos scribebat. »

Quodsi tandem exinde contra praxim in casu obiicitur^ quod huiusmodi delegatio non sit necessaria, iam in praecedentibus data est responsio ; non enim requiritur absoluta et ineluctabilis necessitas, sed congruae iustaeque rationes sufficiunt. Quae rationes in casu non desunt, ut iam ex parte demonstratum est aliasque rationes in responsione positiva mox proponam. At dices in fol. 1. c. focile remedium suggerì : « Id unum sufficeret, ut parochus vel pridie vel ipsa nuptiarum die a sponsis exquireret, ubinam actu ii habitent. » Cui remedio parochos Aquisgranenses et Colonienses responsuros esse puto, rem non practicam proponi. Et sane illi propositioni iam obest praesumptio, quod tot Episcopi et parochi experientia edocti prudentiaque pastorali praediti remedium istud obvium non applicarmi. Parochi igitur *pridie* deberent inquirere de loco habitationis sponsorum i. c. parochis propter penuriam sacerdotum et amplitudinem parochiarum laboribus onustis novum imponitur onus, ut ante nuptias perlustrent parochiam ad instar

quaestorum, num sponsi parochiam iam reliquerint, res in se non levis et multum odiosa. Multo minus ipso die nuptiarum in ecclesia, ad quam sponsi pro more regionis publica quadam ratione accedunt, inquisitio neri potest de loco domicilii. Qui. ritus plane novus atque in ritualibus non praescriptus in quamplurimis matrimoniis esset peragendus. At quo effectu ? Si sponsi confiteantur, se iam in alia parochia habitare, nuntius mittendus est ad illum parochum, sed is domi non reperitur, visitat infirmum, docet in schola catechismum, tandem post unam alteramve horam feliciter invenitur. Quid interim fit in ecclesia, ubi sponsi cum parocho expectant reditum nuntii? Si sponsi patientiam non amittunt neque morae impatientes atque indignati odioque pleni contra parochum discedunt solo forte matrimonio civili contenti, saltem publico opprobrio et risui manent expositi. Neque dici potest, id fieri in iustam poenam fraudis. Nan non raro nullus omnino erit dolus. Homines enim simplices subtiliores illas distinctiones de domicilio in ordine ad sacramentum ordinis, matrimonii, poenitentiae, extremae unctionis non percipiunt; praeterea stante illa praxi et delegatione sciunt, parochos sine difficultate assistere huiusmodi matrimoniis atque parochum sibi bene notum novo parocho praeferunt. Quare uterque iste modus propositus practica utilitate omnino videtur carere.

Responsio positiva pro valore praxis in casu.

Cum in examine supra instituto sit probatum, rationes contra valorem praxis, de qua quaeritur, vi probandi carere, sponte iam sequitur conclusio, pronuntiandum esse in favorem sententiae affirmantis valorem p. 4 sq. in fol. propriis argumentis stabilitae. Quae positiva argumentatio maxima ex parte in remtatione iam continetur, atque ne longior sim atque non pauca repetere debeam, ita breviter comprehendi potest.

I. Fundatur talis praxis ipso textu Concilii Tridentini cap. « Tametsi ». « Qui aliter quam praesente parocho vel *alio sacerdote, de ipsi/fs parochi* seu *Ordinarii licentia* et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere atlentabunt, eos sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, » Quo in textu Concilium Tridentinum inter licentiam particularem et generalem non distinguit neque nos debemus distinguere atque utraque licentia verbis Concilii Tridentini est conformis, quemadmodum non solum docuit Reiffenstuel 1. c. in fol. p. 4 sq., sed

passim scriptores antiqui et recentiores citra ullam controversiam. Cfr. supra refutat argum. III.

II. S. C. C. ad quaestionem : « An licentia contrahentibus nominatim designatis a parocho concessa in scriptis, ut matrimonio inter se celebrando quemvis sacerdotem eorum arbitrio adhibere possint, censeatur sufficiens ad validitatem matrimonii, cui alius sacerdos vigore eiusdem licentiae interfuit ? » d. 15 Iun. (1589) teste Fagnano, Comment, lib. IV tit. 3 cap. 2 n. 32 respondit: « Sufficere nota praecipue doctrina Card. Zabarella post Zenzel. Paul. Steph... » Cui responsioni consonae sunt declarationes datae in caus. Compost, s. Luc 19 Sept. 1744, in caus. Tricaricen. 27 Iun. 1733, in caus. Bosanen. 28 Nov. 1789, 19 Dec. 1795, in caus. Turritan. 19 Dec. .1795, in quibus S. C. C. non obstante generali et illimitata delegatione, saltem valorem matrimoniorum sustinuit. Iam vero in casu, ut patet ex specie facta, delegatio est minus vaga minusque generalis et illimitata quam in causis allegatis; ergo nisi S. C. C. novam quandam theoriam et doctrinam sequi velit, quam in causis decidendis hucusque non adoptavit, saltem valor praxis Coloniensis et Aquisgranensis est sustinendum.

III. Ultimo loco in fol. p. 6 sq. etiam ex eo confirmatur praxis in casu, quod teste Rmo Archiepiscopo Coloniensi iam ab immemorabili tempore vel saltem multis abhinc annis vigeat. Quae ratio vi probandi non esset destituta, licet ageretur de consuetudine contra caput « Tametsi ». Sunt auctores, qui absolute et simpliciter negant, contra decreta disciplinaria Concilii Tridentini consuetudinem non posse induci. Ita v. g. Bouix, De principiis iuris canonici p. 399 sq. aliique canonistae. Quamvis haud difficilis esset demonstratio, istam sententiam labilibus inniti fundamentis atque contrariam sententiam, quam tenent v. g. De Angelis, Praelect, iur. can. lib. I tit. 4 n. 12, Aichner 1. c § 17 atque imprimis praeclare probant Acta theologica Oenipontana tom. VI (a 1822) p. 438 sq. 608 sq., omnino esse praeferendam, tamen a generali illa quaestione hoc loco discutienda convenienter abstinetur. Nam vel ipsi patroni rigidioris sententiae illam minime indiscriminatim ad consuetudinem immemorialem extendere audent, sed in casu nostro ageretur de consuetudine immemoriali, cui merito aequiparatur centenaria; porro Benedictus XIV, qui ut doctor privatus in severiorem inclinat opinionem, aperte concedit, decreta disciplinaria Concilii

Tridentini contraria consuetudine saltem posse « emolliri », ut patet ex opere de synod, dioec. lib. I cap. 6 n. 5; manifestum vero est vi huius praxis Coloniae vel Aquisgrani cap. « Tametsi non abrogari, sed ad summum emolliri». Denique «etsi ad decreta disciplinaria Concilii Tridentini mitior doctrina generatim applicari non posset, nihil inde efficeretur. Nam ut constat ex R. I. 34 in Sext. Generi per speciem derogatur; iam vero caput *Tametsi* contraria consuetudine sive desuetudine necessariis vestita conditionibus posse tolli et abrogari speciatim et disertis verbis declaratum est a Pio VII in Epist, ad Archiep. Moguntin. 8 Oct. 1803 atque S. C. Inquis. in caus. Vicar. Apost. lapon. 11 Mart. 1868 Jianc doctrinam practice adoptavit. Certissima enim fuit promulgatio cap. *Tametsi* quondam a missionariis in Iaponia facta, nihilominus S. C. Inquis. in cit. causa respondit : *Negative* i. e. cap. iliud non amplius in Iaponia vim legis habere». Cfr. Collectam Const, S. Sed. p. 473, 445 sq.

Verum haec omnia potius ad ornatum et superabundantiam dicta sint; etenim consuetudo illa in casu Concilio Tridentino non est contraria, sed potius conformis menti Patrum Tridentinorum atque aequitati canonicae. Dubitari enim non potest, quin Patres Conciliii Tridentini condentes cap. « Tametsi » magnam supponerent incolarum stabilitatem atque de incredibili illa facilitate et frequentia nostrae aetatis mutandi domicilium ne cogitarent quidem. Porro tempore Concilii Tridentini etiam in civitatibus non parvis ordinarie una tantum fuit parochia. Quare in discussionibus et consultationibus, quibus .cap. «Tametsi » fuit praeparatum, adeo firma fuit persuasio de stabilitate incolarum, ut de illo casu, quo sponsi pertinerent ad diversas parochias, nulla moveretur difficultas, neque quidquam in ipso textu Concilii Tridentini expresse definiretur, licet accuratiore analysi instituta facile inde deduci posset. Nihilominus cum anno 1574 in S. C. C. controversia agitaretur, num in casu matrimonium coram parocho proprio sponsi celebratum sit revera validum ex 11 Cardinalibus praesentibus solummodo sex Eminentissimi Patres suffragium tulerunt pro valore matrimonii, reliqui quinque nullitatem sustinuerunt, cum solus parochus sponsae videretur esse parochus proprius. SSmus Dom. sententiam maioris partis Cardinalium ratam habuit. Cfr. Fagnan. 1. c. n. 33. Iam vero si Concilii Tridentinorum Patres magnam illam stabilitatem parochianorum supposuerunt, ille parochus

ad assistentiam ex se videtur esse aptior, in cuius parochia forte iam ex notabili tempore habitarunt, non novi domicilii parochus, quod sibi per transmigrationem in eadem civitate compararunt. Hinc apte per delegationem suppletur, quod iuris rigor denegat. Praeterea illae fraudes ipsae probant, praxim illam esse sponsis commodam, quia in antiqua parochia suos habent amicos et notos, in nova parochia vix cogniti sunt. Denique nostra aetate homines iam tot formalitatibus matrimonii civilis vexantur, ut celebratio matrimonii ecclesiastica fidelibus sit reddenda facilis et expedita. Hinc iam a Concilio Vaticano a compluribus Episcopis hoc propositum est postulatum : « Si hoc impedimentum dirimens (clandestinitatis) servandum iudicetur, saltem ita attemperetur conditio, quae exigit sub poena nullitatis praesentiam proprii sacerdotis exclusive ad alium, ut in posterum gravissimi huius contractus et sacramenti validitas non dependeat ab tam facilibus erroribus, qui circa quaestiones domicilii ac consequenter circa qualitatem proprii sacerdotis oriri et subrepere possunt. » Cfr. Martin, Collect, docum. Conc Vatic p. 163. In casu vero non haberetur mutatio legis Tridentinae, sed potius propter mutationem conditionum, quae tempore Concilii Tridentini non extiterunt, fit prudens usus facultatis delegandi ab ipso Concilio Tridentino concessae; e contra is mutat legem Tridentinam, qui neglecta nova temporum conditione et transmigratione parochianorum licentiam deputandi alium sacerdotem ultra tenorem textus Tridentini sine solidis rationibus restringit.

Quodsi denique ex huiusmodi delegatione timeantur abusus, facile illi vitari possunt, si praxis in casu tantum approbetur *iuxta modum.* Qui modus haec poterit continere:

I. Parochis mutua illa delegatio generalis non est permissa, nisi accedat approbatio et delegatio Ordinarii una cum facultate etiam subdelegandi (ad excludendos omnes scrupulos pro casibus particularibus, si delegatio niteretur mera *conventione* privata parochorum).

II. Limitanda est delegatio ista ad casum, quo res per petitionem proclamationum factam non iam est integra sive restringenda est ad solos parochos domicilii a sponsis relicti, ut clare exprimitur in conventione approbata ab Em. Card. Meichers.

III. Delegatio quoad durationem ita determinanda est, ut espiret, si a die ultimae proclamatione (exclusive) secundum

rituale romanum elapsi sint duo menses sive 60 dies completi vel tot dies completi, quot iuxta statuta dioecesana requiruntur, ut denuo fiant proclamation es, si intro illud tempus .matrimonium non fuerit celebratum.

IV. Rmo Archiepiscopo iniungi potest, ut hac facultate tantum utatur pro maioribus civitatibus suae Archidioecesis. Quare ad duplex dubium hoc modo breviter respondendum esse puto :

I. Dubium. An mutua ac generalis delegatio de qua in precibus Archiepiscopi Coloniensis sufficiat ad valorem et liceitatem matrimonii.

R. Quoad valorem affirmative ; quoad liceitatem affirmative iuxta modum.

II. Dubium. An supplicandum sit SSmo pro convalidatione et approbatione eiusdem praxis quoad futurum.

R. Quoad convalidationem provisum in primo, quoad approbationem affirmative iuxta modum.

P. S. Cum tempos iam satis longum sit elapsum, ex quo votum illud fuit conscriptum atque traditum, haud abs re erit, si sententiae duorum praeclarissimorum canonistarum subiungantur, qui interim plane independenter ab hoc voto et inter se, eamdem quaestionem examinarunt atque ad eandem conclusionem supra expositam pervenerunt. Quae res non levem videtur continere sententiae propugnatae confirmationem ideoque hoc loco ad instar appendicis inserenda, cum votum iam typis imprimatur.

Ita Gasparri, professor textus canonici in Universitate catholica Parisiensi in praeclaro suo tractatu canonico de matrimonio haec scribit n. 950: « Pariter quia Conc. Trid. ius parochi vel Ordinarii alium sacerdotem sibimet substituendi nullis limitibus coarctavit, nobis semper opinio fuerat, valere disciplinam pluribus dioecesibus receptam (n. 941), qua pro personarum alicuius generis *vel* Ordinarius in statutis dioecesanis dat licentiam omnibus parochis *vel* parochi hanc licentiam sibi mutuo concedunt. Sed post ea, quae ultimis temporibus acta sunt penes S. C. C. iudicium nostrum suspendimus. » Deinde relatione facta de actis in caus. Posnan. pergit idem Gasparri : « At hoc rescriptum quaestionem definitive non diremit, utpote datum non ab ipsa S. C, sed ab eiusdem Secretaria.» Denique allata •responsione S. C. C. 6 Septem. 1890 in caus. Colon, concludit:

« Igitur haec responsio exspectandi est et ab omnibus debita reverentia recipienda. Interim illud indubium videtur, has mutuas ac generales delegationes *inconsulto Ordinario* factas, ut in civitate Posnaniensi, *minime* esse *probandas* ». Hactenus Gaspard.

Scherer vero, professor iuris ecclesiastici in Universitate Gracidisi in Austria in continuatione operis supra laudati haec habet: « Qui scriptor § 112, not. 187 omnino non probat statutum Episcopi etiam bona intentione ad vitanda matrimonia invalida factum, vi cuius *omnes* parochi vel *omnes* sacerdotes alicuius *dioecesis* ex delegatione Episcopi declarantur competentes, ut matrimoniis *omnium* fidelium *dioecesis* assistere possint. Cuius assertionis recte eam affert rationem, quod huiusmodi statuto dioecesano caput *Tametsi* Conc. Trident, fieret illusorium, »

Nihilominus idem doctissimis canonista sine ulla haesitatione 1. c. not. 166 scribit: « Ita *parochi unius civitatis* sese mutuo ad copulationem suorum parochianorum *delegare possunt* (v. supra § 111, not, 50), item possunt conventione facta statuere, ut domestici, qui tempore proclamationum matrimonialium domicilium mutant, non a novo, sed ab antiquo suo parocho copulentur, v. Schoedrey, De domicilio in Areli. iur. eccl. tom. 30, p. 36. » A fortiori idem canonista illico sine ulla dubitatione approbando refert statutum dioecesanum supra ex Rituali Viennensi an. 1774 allatum.

Quin imo cit. §. III, not. 50, sine ambagibus fatetur et docet, divisionem parochiarum in civitatibus, quae nonnisi sero executioni mandata sit, si nimis rigida notio domicilii retineatur, non pauca matrimonia incolarum civitatum periculo nullitatis exponere ; quare remedium huic malo omnino afferri *debere* et facile *posse;* « Si *omnes* parochi *unius civitatis* pro copulationibus incolarum sese mutuo *delegent* resp. subdelegent. »

Quibus ex allegationibus satis superque videtur esse demonstratum, duos illos praeclarissimos canonistas sententiae in voto expositae calculum adiicere.

VOTUM CANONISTAE. Anno 1889 expositum est huic S. C. ab Ordinario Posnaniensi saepe in sua civitate sponsos, inscio parocho, derelinquere proprium domicilium et nihilominus proclamationes adhuc petere in derelicta parochia ibique contrahere. Ad matrimoniorum huiusmodi invaliditatem vitandam parochi mutuo sese delega verunt.

Quaesitum ' est quid iuris circa hanc generalem delegationem. Et responsum est die 20 iulii praedicti anni 1889, *pro sanatione quoad praeteritum, et praxim non èsse probandam, sed requiri in singulis casibus expressam validam delegationem.*

Cum haec responsio innotuisset Archiepiscopo Coloniensi, exposuit similem praxim vigere in sua quoque civitate, in qua parochi per tres menses a secutis proclamationibus matrimonialibus ad invicem sese habent ut delegatos.

Et item in civitate Aquisgranensi, ubi talis praxis an. 1840 a Vic. generali probata fuit. Hinc in Congregatione 5 septembris 1890 rationibus a Secretario S. C. hinc et inde accurate allatis, ut videre est in respectivo folio sub. n. II, quaesitum est: I. *An mutua ac generalis delegatio, de qua in precibus, ad validum matrimonium valeat in casti ;*

et quatenus negative

II. *An supplicandum sit SSmo pro convalidatione eiusdem praxis quoad futurum in casu.*

Emi Patres ob rei gravitatem responderunt - *Dilata et exquiratur votum duorum consultorum.*

Cui muneri quantum ad me attinet ut breviter, sed pro viribus satisfaciam, expendam notissimum Decretum Conc. Trid. *Tametsi,* cap *i,* Sess. XXIV de ref. matr.

Praestat pauca de historia eiusdem decreti praemittere.

Sacrosanctum Conc. Trid. animadvertens gravia mala quae fluebant ex matrimoniis clandestinis, praesertim quia derelicto primo coniuge, ad alias nuptias convocabant, statuit eadem irritare.

Res pluries discussa fuit; et ut narrat Card. Pallavicini in sua historia Conc. Trid. lib. XXII n. 42-46, primo proposita est necessitas trium testium simpliciter; deinde ex eo quod etiam haeretici requirerent praesentiam ministri sui, propositum est unum ex testibus oportere esse sacerdotem (op. cit. lib. XXII n. 46). Deinde ad permanens testimonium habendum, propositum est debere esse parochum proprium alterutrius ex sponsis. Nonnulli loco parochi proponebant notarium; sed praevaluit sententia favore parochi, quia ei magis fìdendum erat, quod diligenter et caute processisset in impedimentis inquirendis antequam sponsos coniungere!, praesertim quia debebat ipse proclamationes praemittere et postea documentum in libro matrimoniorum servare ad fidem faciendam (op. et lib. cit. n, 104

et 105). Et ita prodiit Decretum *Tametsi* (Sess. XXIV cap. I de ref. matr.), cuius praecipua pars haec est..... « praecipit (S. Synodus) ut in posterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium parocho, tribus continuis diebus festivis, in Ecclesia inter missarum solemnia publice denuntietur inter quos matrimonium sit contrahendum^... nisi Ordinarius ipse expedire iudicaverit ut praedictae denunciationes remittantur; quod illius prudentiae ac iudicio Sancta Synodus relinquit,

» Qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentarunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullai.... (Sequuntur poenae).... Habeat parochus librum in quo coniugum et testium nomina diemque et locum contracti matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat....».

Parochus est igitur qui debet praemittere denuntiationes et posito quod nullum detegat impedimentum, ipse debet sponsos coniungere, vel licentiam dare alteri sacerdoti, ut eos coniungat, salva potestate Ordinarii sive dispensandi ex iusta causa, sive assistendi matrimoniis aut alterum sacerdotem sibi substituendi, cum Ordinarius sit eminenter parochus. Tandem parochus debet in libro matrimoniorum referre contracta coniugia.

Mens igitur Tridentini est, ad validitatem matrimonii intersit ea persona quae valeat et debeat inquirere de idoneitate sponsorum, praesertim per proclamationes (parochus proprius), vel intersit de eius licentia alter sacerdos vel Ordinarius, cui facta est quoque potestas ex iusta causa dispensandi a publicationibus; iusta autem causa id semper requirit ut aliunde Ordinario satis constet de sponsorum idoneitate.

Et quamvis Concilium praevident aliquando ex malitia sponsorum (vel ex negligentia parochi aut Ordinarii) posse contrahi, omissis publicationibus, vel obstante aliquo impedimento impediente, quia tamen ici raro et difficile evenit, noluit necessitatem proclamationum vel iustam earundem dispensationem praescribere ad validitatem, sed maluit integram relinquere coniugiorum libertatem.

Si tamen ea delegandi ratio, sive a parocho sive ab Ordinario introduceretur, ob quam, *non e. v r i ti o I ton iim t in sed ex*

ipsa rei natura, publicationes non amplius fierent a proprio parocho, neque ex iusta causa dispensarentur, puto id esset contra mentem Concilii, ideoque interpretatio quae concederet huiusmodi modum delegandi esset reprobanda, utpote contraria intentioni Concilii. Videamus igitur an praxis^Goloniensis contradicat huic Concilii intentioni. Et videtur affirmandum.

Habetur enim licentia reciproca parochorum expressa, non specialis, sed generalis ad tres menses post factas publicationes; sed datur ab eo qui nescit se esse parochum proprium contrahentium; hinc parochus proprius tempore quo initur coniugium non instituit inquisitionem de impedimentis, neque proclamationes, nec ipse contracta matrimonia describit in libro suo; quae omnia sunt contra Conc. Trid. — Verum quidem est inquisitiones et proclamationes factas fuisse, sed non a parocho proprio, neque in parochia propria tempore coniugii, sed ab eo qui desiit esse proprius, qui insuper assistit matrimonio nesciens se in casu procedere ex delegatione, imo putans se agere nomine proprio; tantum enim habere potest quamdam generalem confusam suspicionem, quod forsan a sponsis deceptus fuerit et sic procedat per delegationem.

Insuper pro eo tempore quo recessit alter e sponsis a prima parochia, nemo inquisivit, nec parochus posterior seu actualis, utpote nescius, nec parochus anterior ob sponsi absentiam.

Neque dicas quod etiamsi alter ex sponsis moraretur in parochia post factas publicationes, adhuc per tres menses posset protrahere celebrationem matrimonii quin requirantur novae publicationes. Etenim perdurante altero ex sponsis in parochia, adhuc est sub vigilantia parochi qui fecit proclamationes, et parochianorum qui eas audierunt, quique proinde denuntiarent si quid novi superveniret; e contra cum discessit a parochia non amplius fuit sub hac vigilantia, neque sub ea novi parochi, quia eo inscio contrahit in prima parochia. — Ergo pro eo tempore sub nullius fuit vigilantia.

Videamus an Ordinarius supplere possit approbando tales mutuas delegationes parochorum, ut praefertur fecisse Vic. Gen. an. 1840 pro urbe Aquisgranensi, sic aequivalenter ratas habendo proclamationes factas in veteri parochia et dispensando a novis in actuali parochia.

Et videtur quod non possit. Etenim nec ipse Ordinarius inquisivit, nec alium inquirere fecit *su.fftcie?iter* de existentia im-

pedimeiitorum, cum, ex postremo adnotatis, pro ultimo spatio temporis (nempe ab elapsis publicationibus) nemo fuerit qui de iure invigilare debuerit.

Vitiosa ergo esset ex sui natura, et contra mentem Tridentini, talis delegandi ratio etsi fleret ab Episcopo etiam in Synodo dioecesana. — Quod magis persentiatur si adnotaverimus semel admissa validitate mutuae huius generalis delegationis factae a parochis civitatis, quod attinet ad validitatem pari iure extendi posset ad quoscumque sacerdotes non modo civitatis, sed et dioecesis; semper enim haberetur delegatio generalis parochi vel etiam Ordinarii; quod profecto subverteret mentem Tridentini; tolleret enim et vigilantiam in matrimonia contrahenda et testimonium facile patens de contractis.

Quod si in casu nostro haec plena subversio non verificatur, habetur tamen ex parte; quod sufficit ut dicamus, talem delegandi rationem non comprehendi in concessione Tridentini.

Superest videndum an allegari possit, saltem pro civitate Aquisgranensi, legitima praescriptio, cum dicatur talis delegandi ratio, in ea obtinere ab *immemorabili* tempore.

Et quoniam agitur de consuetudine fundata in falsa legis interpretatione, puto non sustineri, sicut non sustinentur obligationes quae ex falsa legis interpretatione inducuntur; mens enim introducendum hanc consuetudinem non fuit deficere a Tridentino, sed illud sequi; cum igitur ruat fundamentum, nullius roboris est quod superaedificatum est.

Hinc ad 1. dubium propositum responderem: *Negative.*

Quoad 2., sive ob reverentiam debitam Conc. Tridentino, sive quia interest plene obtinere scopum ab eo intentum, quod non fieret recedendo ex parte ab eius lege, putarem etiam respondendum: *Negative.*

Archiepiscopus Coloniensis in sua epistola 5. Dec. 1890, observat sponsos de quibus agitur, moneri non posse die matrimonii, nec pridie ut sibi consulant eos remittendo ad actualem parochum, vel ab eo obtinendo expressam delegationem, et ab Ordinario dispensationem a novis publicationibus; ideoque extare periculum quod sponsi mentiantur et negent se mutasse domicilium post peractas publicationes, ne matrimonium protrahatur, vel quod abstineant a matrimonii celebratione in facie Ecclesiae, contenti actu civili.

Sed id puto raro eveniet et omnino per accidens. Ceterum

cum primo accedunt ad publicationes impetrandas, possunt a parocho admoneri quod si domicilium in posterum mutaverunt, sibi statim consulant. Si. id praestare negligant, nullo modo excusabiles sunt, et peccata quae ex pura malitia, vel ex mera socordia procedunt, numquam habita sunt ut causa sufficiens ad leges, de cetero iustas, abrogandas.

Hisce praenotatis, proposita fuerunt diluenda

Dubia

I. *An constet de nullitate matrimoniorum, quae contrahuntur iuxta praxim, de qua in casu, ab Emo Archiepiscopo coloniensi propositam.*

Et quatenus negative.

II. *An supplicandum sit SSmo pro convalidatione eiusdem praxis quoad futur tan in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Concilii sub die 18 Martii 1893, causa discussa, censuit respondere :< Ad I. *Negative et ad mentem.* Ad II. *Provisum in primo.*

-£=fc$r

MILETEN.

VENIAE AD MATRIMONIUM

Die 21 Maii 1892.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. In plenariis comitiis diei 12 Septembris elapsi anni quum S. C. C. rogaretur in causa dispensationis matrimonii inter Raphaelem Valensisse et Rosam Loffredo e marchionibus Mongiufiì: *An sit consulendum SSriio. pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu,* BE. PP. responsum dare censuerunt : *Affirmative, vetito tamen viro transitu ad alias nuptias, inconsulta S. C.*

Verum impositum interdictum aegre ferens Raphael, affirmat se ex temporanea impotentia interim plene convaluisse simulque cupiens animae suae bono prospicere, mense Februario huius anni preces S. O. O. porrigebat, ut sibi fa-

cultas fieret ad matrimonium etiam cum virgine contrahendum. Atque ut preces effectum nanciscerent allegabat iuratum medici testimonium.

Precibus rescriptum fuit, ut Episcopus alterum peritum medicum e civitate Mileti, omni exceptione maiorem, ad corporalem oratoris inspectionem deputaret, qui sub iuramenti fide deinde referret, utrum Raphael ad matrimonium etiam cum virgine capax haberi possit. Praesul accivit peritum in arte medica, rogavitque eundem de sua sententia. Doctor medicus alium sibi assumpsit professorem scientiarum naturalium, ut tutius daret iudicium. Et reapse, praevia longa et prudenti observatione genitalium oratoris, retulerunt eundem aptum esse copulae carnali etiam cum virgine.

Disceptatio Synoptica.

PETITIO REIICIENDA VIDETUR. Ne contra Raphaelis petitionem vulgatum memorem adagium «. qui non est hodie, cras minus aptus erit; » proprius ad rem ex anteacto processu recolere praestat, medicos Chiaron, Casoni et Paris coram iudice tunc concordes declaravisse, dominum Valensisse nec esse, nec in futuro aptum fieri ad copulam posse. Neque huiusmodi gravissimum iudicium infirmari posse videretur ex modo allatis medicorum testimoniis, in quibus Raphaelis potentia ad coniugium asseritur.

Sane haec opinio peritorum quibusdam exterioribus signis et perfectae corporis structurae exclusive nititur, quae et tempore primi matrimonii Raphaelis inerant, quibusque haud obstantibus, impotentiam extare posse compertum est ex Barzellotti *Medicina legale cap. 3, lib. 1** cui et praxis S. C. C. adhaesit, praesertim in Neapolitana *matrimonii diei 25 Aprilis 1858* etc. Praeterea animadvertere non omittant S. C. C. difficilius in huiusmodi casibus veniam ad matrimonium cum virgine relaxare solere, cum plerumque in more habeat, quoties gratiam novi ineundi coniugii tribuat, clausulam adiicere *cum vidua tantum.*

PETITIO EXCIPIENDA VIDERETUR. Attamen ex adverso observandum est matrimonium inter Raphaelem Valensisse et Ros am Loffredo anno 1880 initum fuisse, ac proinde quae eius impotentiam tunc astruere videbantur* ultra lapsum decennii esse referenda. Unde optime quidem fieri posset, ut ille, post adhibita longo temporis spatio medicamenta, ad opus coniugale modo omnino aptus evaserit. Ceterum cum testimonia peritorum hac in re clarissima sint, nec ex iis quae retulit Episcopus ratio appareat cur eorum iuratae declarationi fides denegetur, petita gratia indulgenda videretur. Sane compertum est ex Abbate in *cap. Proposuisti 4 de prob,* quod « ubi res probanda est in qua iudex non est instructus, nec instrui potest sive quia haius rei inexpertas est, sive quia honestas non patitur, recurrendum est ad iudicium peritorum in illa arte, et secundum illorum testimonium iudex profert sententiam ». Cui concinit Card. De Luca *De iud. disc. 33, n. 20,* docens huiusmodi peritos « potius ad iudicandum, quam ad testificandum » assumi. Quapropter haud nimium urgenda essent ea quae medici Chiaron, Casoni et Paris remolo tempore existimarunt, qui ceteroquin non omnino impossibilem futuram Raphaelis ad matrimonium potentiam proclamantur. Neque praeterea etiam tunc alii archiatri defuerunt, qui eius impotentiam in civili iudicio vel excludere, vel saltem dubiam habere visi sunt, ceu patet ex folio Congregationis diei *12 Septemb. 1891.*

Insuper adnotari forsan posset, nec S. C. C. perpetua impotentia illum laborare censuisse, secus enim non addita esset clausula *inconsulta S. C,* sed absolute transitus ad alia vota vetitus fuisset, ceu in Salernitana *matrimonii diei 9 Augusti 1862 et 21 Martii 1863* aliisque. Tandem quoad petitionem contrahendi cum virgine, commemorare praestat quod licet difficilius excipi a S. C. C. soleat, nihilominus exempla gratiae non deesse, veluti factum legimus cum quodam Angelo Marcelli per rescriptum ex audientia SSmi *diei 12 Novembris 1855.*

Demum recolendum est, oratorem benignitatem S. C. C.

efflagitare, quia cum hoc permissu duo fierent felices; qui cupiunt vitam ducere christianam copulati vinculo sacramenti matrimonii.

Quibus aliisque praenotatis, quaesitum fuit quomodo preces essent dimittendae.

RESOLUTIO. Sacra C. C. re discussa sub die *22* Maii 1892 censuit respondere : *Arbitrio et conscientiae Episcopi.*

APRUTINA

IURIS FUNERANDI

Die 28 Ianuarii 1893.

Sess. *2Í* cap. 12 de Eeform.

COMPENDIUM FACTI. Plures olim in Teramensi civitate religiosae domus numerabantur, quibus etiam plerumque continens erat templum ad sacras functiones iuxta regularium leges et in fidelis plebis aedificationem peragendas. Hi autem regulares, prout illis laudabilis est mos, ibi laicorum sodalitates in suis ecclesiis erigendas curaverunt, atque ita factum est, ut confratres vulgo Cincturati in templo S. Augustini, sodales SS. Rosarii in ecclesia PP. Praedicatorum, confratres S. Spiritus ad sacram aedem Hospitaláriorum, aliique alibi sedem suam obtinerent. Cum vero, exeunte praeterito saeculo, insanum bellum religioni augustae indici coepit, et primum lapides sanctuarii dispersi sunt ; regularium familiae quae in aprutina Dioecesi morabantur, iniqua suppressionis lege expulsae, sua coenobia reliquerunt, quin ad ea usque adhuc pedem referre valuerint. Tunc igitur piae sodalitates, de quibus supra, concreditas habuerunt regularium ecclesias, quarum cura et regimen usque adhuc ab illis legitime retinetur.

Enarrat Episcopus, quod anno 1890 in huius civitatis Ecclesia, cuius expensas pro cultu divino fert Sodalitium a Spiritu Sancto nuncupatum, casus accidit, a quo dissensio par-

ta est inter cappellanum et parochum quoad funeralia celebranda, *praesente cadavere.* Solutioni huius quaestionis applicui, prosequitur Episcopus, responsum Decreti *Urbis* et *Orbis* S. O. Rituum anni 1703 ad dubium XX in quo'S. R.R. C. interrogata: « *An ad parodia,u spectet facere officiai n funebre super cadaveribus sepeliendis in saepe dictis Ecclesiis et Oratoriis publicis Confrater -i litatum:* » respondendum censuit : « *Affinila tice, quando tamulandus est subiectus parocho, intra cuius fines est Ecclesia rei Oratorium».* Prior Sodalitii a Spiritu Sancto iterum petiit ut quaestio resolveretur ; idem est in votis etiam aliorum parochorum et Confraternitatum, interesse habentium.

Re quidem vera moderator sodalitatis Cinct unitorum, confratrum voto suffultus, iam ad S. C. recursum habuerat ab eaque duorum sequentium dubiorum solutionem expostulahat : « 1. An confraternitates, de quibus supra exemptae sint a parochiali iurisdictione ; et ius habeant funerandi super cadaveribus illorum, qui ad eorum ecclesias pro funere exponi elegerunt et ab ipsis deferri ad coemeterium voluerunt, salva tamen parocho quarta funeraria. *2.* An confraternitates, quae ordinibus religiosis non successerunt ius habeant funerandi independenter a parocho solummodo super cadaveribus confratrum, salva semper eidem quarta funeraria. »

Disceptatio Synoptica

CONFRATERNITATUM DEFENSIO, liis ad rei intelligentiam praemissis, favore confratrum recolendum est ex *Clem. Dudum § Verum De Sepult ur is Hostien, in cap. 1 et in cap. Certificar i eod. tit.* in vim privilegii fratribus Praedicat oribus et Minoribus indultum fuisse, ut in suis ecclesiis defunctorum cadavera iuxta sacras sanctorum reliquias humo traderent, « ubi orationes atque missarum solemnia, tam pro vivis, quam pro defunctis celebrantur ». Hoc vero indultum sive ex peculiaribus constitutionibus, sive ob communicationem privilegiorum aliis quoque religiosis ordinibus competere apud

omnes Ductores incontro versum est. Barbosa *De off. et pot. parochi p. 3 cap. 20 a. 81* - S. Rota in Romana *Iuris ta- rn 'I a, xi i 7 Maii 171)2 § 1.0:* « Centies definitam est parochis aliisque saecularibus praesbyteris minime licere Regularium ecclesias ingredi cum cruce erecta, stola et superpelliceo, ibique absolutionem cadaverum explere, officium et Missam canere, exequias celebrare etc. » Ita pariter in dubium revocari nequit, per erectionem publici coemeterii, templa, quae iure sepeliendi potiebantur, nequaquam huiusmodi ius amisisse, sed illud modo etiam exercere posse, mutato loco, ceu docet Vecchiotti *his Can. lib. 2, pag. 61,* et Tenuit S. C. C. in Ariminen *die 4 Martii 1824,* in Derthonen *16 IunH 1827* et pluries etiam in novissimis decisionibus. His igitur probatis, manifeste erumpere putant, sodales, suas ecclesias olim ad regulares pertinentes, iuribus ecclesiae tumùlantis adhuc frui debere, ideoque et cappellanis inibi existentibus ius esse eorum funera peragendi, qui in iisdem ecclesiis exponi seu sepeliri voluerunt. Etenim in comperto est ius funerandi accessorium esse iuris sepeliendi, ut docent Berardi *his Eccl. Unir. Dissert. 6 ct 3. De pot. par rocía rat. fan.* Zallinger *Inst. Iuris Eccl. De Sepult. §. 358,* ac proinde eam esse accessorii indolem, ut principalis naturam sequatur.

Neque valide opponi censent, ecclesias, de quibus in themate per mutationem status, idest per regularium discessum, praefata iura amisisse. Siquidem, aiunt, praeterquamquod tueri posset templa illa regularía esse minime desiisse, eo quod ibi sodalitates extant, quae tamquam religiosorum derivano seu haeredes habendae sunt, observandum est, in casu de iuribus realibus agi, quae licet intuitu regularium concessa fuerunt, tamen non his sed ecclesiae inhaerentia putanda sunt. Revera in primis observari generatim posset, in casu regularium familias per vim illegitime eiectus fuisse, ac nullimode hac in re auctoritatem suam S. Sedem interposuisse, quae in mutatione status ecclesiae regularis in saecularem omnino necesse est interveniat. Rota *Decis. 547*

u. 5, cor. Merlino. Propius autem ad rem commemoranda est Ravennaten. *Fun er um, diei 17 Martii 1781,* in qua agebatur de templo regularium quod in Seminarii possessionem transierat. Cum enim inter parochum et rectorem disputantur an extinctum esset ius tumulandi, et pro rectore infer cetera observaretur ex extinctione Ordinis Religiosi argui non posse ad extinctionem iuris tumulandi loco sacro quaesiti, propterea quod ius tumulandi reale est et templo, sepulcra habenti, cohaerens ; proposito dubio : « *An funerale debeatur integrum parochis, quando defuncti fuerunt sepulii in ecclesia S. Hieran g mi,* » responsum prodiit: « *Negativ? et amplius.* » Quod ipsum praeterea in simili factispecie definitum fuit in Pergulana *18 Decembris 1824,* in Tiburtina *Iuris taniidundi 17 Martii 1827,* in Firmana *Iuris funerandi 21 Novembris 1840* aliisque. Unde opinantur sodales ad rem non facere decretum Urbis et Orbis SS. RH. C. anni 1703, in quo decernitur spectare ad parochum ius peragendi officium funebre in Ecclesiis et Oratoriis publicis confraternitatum, quando tumulandus est subiectus parocho, intra cuius fines est Ecclesia vel Oratorium, sed potius intrare sanctionem iuris in *Cap. Cum liberum I)i> Sepult.* « Cum liberum sit apud religiosa loca sibi eligere sepulturam, canonicae obviât rationi, qui devotioni et extremae voluntati decedentium in hac parte contradicere praesumit. » In vado autem posito iure tumulandi, consequens videtur et in themate axioma aptari posse: « ubi tumulus ibi funus » *Text. in Cap. In nostra 10 De sepult.* Ferraris *Bibi. cují. r. Quarta funeral is,* g *3.* Et quid voce funus intelligi debeat explicat Barbosa *De off. et pot. parochi p., 3, c, 27), v. 37:* « Funera igitur dicuntur quae ratione sepulturae obveniunt et quacumque occasione ad ecclesiam perveniunt. » Quocirca hic locum sibi vindicaret aliud decretum SS. RR. C. apud Gardellini n. *422:* « Associato funere ad ecclesiae portam, debere parochum, vel illum ex capitulo et clero, penes quem curae exercitium extitit ad populum converti, eique absolutione impertita recedere relicto

cadavere in ecclesia dictorum Clericorum Regularium, ad quos dumtaxat peragendi officii cura spectabit. »,

Ceterum, qui in presenti causa actor est animadvertit, praefatum decretum Urbis et Orbis legem dixisse « salvis tamen conventionibus immemorabilibus vel saltem centenariis ». In casu autem, praeter rationes usque huc allatas, et consuetudinem immemorabilem sibi favere contendit. Porro vis immemorabilis consuetudinis quanta sit, omnibus qui vix iuris canonici limina salutaverint aperta est. Tralatitium namque est, illam «etiam in actibus ecclesiae praeiudicium divinique cultus decrementum inferentibus plenam amplissimamque inducere cuiuscumque melioris tituli ac proinde etiam apostolici beneplaciti praesumptionem, » ut, ceteris missis, loquitur Rota in *Romano, oblationum 2f> ian. ¡725 § 5 etc.* Minime vero obstare, quod contra parochos consuetudo invocetur; siquidem si et iurisdictio praescribi potest, ut tradit De Luca *De Regid, disc. 24 n.* infitiandum non esset et iura parochialia, prout ceterum experientia docet, praescriptioni obnoxia quandoque esse.

Speciatim vero favore sodalitatis Cincturatorum, moderator in sua epistola asserit: « Hoc ius, nempe tumulandi et funerandi, quam maxime verificari in ecclesia Cincturatorum, cuius ius sepulturae institutionem antecedit Ordinis Augustinianorum, quorum ecclesiam hereditavit. » Inepte vero opponi, quod in huius sodalitatis statutis a civili auctoritate approbatis, legatur *ait. 31* « quod in exequiis semper integrum maneat ius Parochi ». Etenim ex hoc ipso articulo argui posset sodalitatem iure funerandi potiri, secus enim reservatio illa in bonum parochi nullimode fuisset adiecta. Iura vero parochi sarta tectaque volunt confratres, dum et; in proposito dubio quartam ex iure illi debitam reservant.

PAROCHORUM DEFKXSIO. Verum contra haec in primis perpendendum est, parochos, nedum in paroeciali ecclesia, sed et in suae paroeciae territorio privative quoad omnes circa sacramentorum administrationem, funera aliasque sacras functiones fundatam habere intentionem in iure, *"Cap. i) d cd us*

De Capellis Monac. Cap. 1 et 4 De Sepult., Cap. 2 Clement. Dudum § *Xerwm de Sepult.,* Barbosa *De off. et pot. parochi p. 1 cap. 12,* Rota *Decis. 124 a n. 1. Decis. 214 n. 6,7,- part. 12 etc.* Ideoque cum illi, qui non sunt parochi, ius aliquod paroeciale sibi vindicant, requiritur rigorosa probatio ab asserentibus producenda. Hanc autem minime in casu existere Episcopus censet. Et sane, quidquid sit de origine confraternitatum Teramensis civitatis, indubium est, privilegium sepeliendi et funerandi ecclesiis, de quibus in themate, non pure et simpliciter, sed ratione regularium ibi degentium pertinuisse. Cum autem regulares, licet per suppressionis iniquam legem expulsi iam a remoto tempore sua coenobia reliquerint, nec postea umquam ad ea remeaverint; tenendum videretur, illis deficientibus, et privilegia defecisse, quae eorum intuitu templis concessa fuerant. *Card. De Luca De Iuris. Disc. 10, n. 25 etc.* « Mutato enim statu, mutatur ius et eius effectus », ceu docet Rota *in Decis. 1445 n. 2 et 7 cor. Seraphino,* nec non eadem Rota *coram E mer ix dec. 1092 n. 16 et coram Ratto decis. 105 n. 3.* Ad quae firmanda, decisio in casu prorsus "simili lata a S. Congregatione Reformationis die *16 Decembris 1816,* quaeque refertur uti approbata a s. m. Pii VII in causa Pergulana coram S. C..C. diei *17 Decembris 1824 Reponit,* alleganda est. Quum enim conventus Minorum Conventualium Pergulae existens in pristinum haud fuisse restitutus, nec probabiliter restituturus esset, inter cetera quaesitum fuit : « An ecclesia, conventui annexa, debeat in praesenti statu considerari tamquam regularis in privilegiis officiis ecclesiasticis, tumulatione etc. », atque responsum prodiit ad propositum dubium: « *Negative* ».

Neque aliquid facessere quod confraternitates ortum duxerint a regularibus ; namque, praeterquam quod id forsan de omnibus haud affirmari potest, adnotandum est, regularium familias a laicalibus sodalitatibus toto coelo differre, atque hic agi de privilegiis et iuribus, quorum concessio est strictissimae interpretationis. Card. De Luca *De iurisdict, disc. 28 n. 7 in fin.*

Neque meliori omine ad immemorabilem consuetudinem moderator confraternitatis Cincturatorum confugere videtur. •Etenim quae ille absque concludentibus probationibus asseruit, omnino ex altera parte excluduntur.

Ut autem consuetudo vim nancisci queat compertum est non modo legitime praescriptam esse debere, sed insuper certam et univocam, ceu demonstrat Card. De Luca *De alien, disc. 1, n. 88.* Etenim observantia obscura, aequivoca vel praesumpta, veluti ea quae in casu allegatur, dici posse videtur nullius roboris esse. Eo vel magis quia invocatur contra parochos, quorum iura nullimode praescriptioni subiacere valent ex quacumque consuetudine, obsistente Constitutione Pii IV *In 'principis Apostolorum,* Scarfant. ad Ceccoper. *in lib. IV, Animadv. n. 9,* et S. C- C. in nullius *Sublacen. Iurium parochialium 18 Septembris 1833,* Brictinorien. *Iuris declinandi 8 Maii 1821** quae imo eadem iura sarta tectaque esse voluit contra quadragenaria!!! vel etiam centenariam, ut in Baren. *Iurium Parochialium 29 Augusti 1750* etc.

Quoad secundum dubium, cum nec vola nec verbum in actis reperiatur, brevius dictum fuit. Ac in primis relata fuerunt quae habet Ferraris *Biblioth. Can. V oc. Confraternitates art. V, num 1:* Confraternitatibus potest ab Episcopo concedi privilegium sepulcri. Sic communiter Doctores, teste praxi. Confratres tamen decedentes non; electa sibi explicite sepultura in sepulcro sui oratorii vel confraternitatis debent sepeliri in ecclesia parochiali, si alias non habeant proprium sepulcrum maiorum. S. C. Concilii in *Neapolit. 13 Febr. 1000 in resp. ad 7* etc. » Atque in novissimis additionibus : « Ex statuto a S. Sede confirmato possunt confratres sepeliri in sepultura ecclesiae suae confraternitatis. Quaestio vero est, utrum hoc in casu officium funebre super cadaveribus facere spectet ad cappellanum confraternitatis, an ad parochum. Porro ubi confratres ex propria electione sepeliendi sunt in sepultura ecclesiae suae confraternitatis, dubium nullum esse potest quin parochi et non cappellani con-

fraternitatis sit officium funebre facere super cadaveribus, quum actus electionis sepulturae hoc parocho praeiudicium inferre nequeat. Màrchett. *De sepult, tit. 38; § 2, num. 04:* Bass. *De Sodala. q. 2; mem. 5.* At ubi confratres sepeliri debent in ecclesia suae confraternitatis ex mox dicto statuto a S. Sede confirmato, videndum quid dispositum sit in hoc ipso statuto. Nota vero, quod si statutum vel obscurum vel ambiguum sit, ita interpretandum est ut parocho intactum maneat ius faciendi officium funebre super cadaveribus in ipsa ecclesia confraternitatis. »

His accedunt resolutiones S. C. O. quae in Vaivén, seu Sulmonen. *(in lib. 77 Decret, pag. 277)* rogata: « *An liceat in eadem ecclesia habere sepulcra et respective possint cadavera tumulari absque licentia, parecía et in praeiudicium iurium parochialium:* » reposuit : « *Licere habere sepulcra, accedente licentia Episcopi, ac posse in eis cadavera tumulari, si eligatur sepultura absque licentia parochi, seu salvis iuribus parochialibus.* » Cui consonat Nuscana *Sepulturae diei 28 Ianuarii 1730,* Firmana *Iurium Parochialium 2 Iunii 1730* etc. Praeterea commemorandum est eamdem S. C. C. *die 28 Iulii 1724* ad dubium: « *An liceat Conf ra-, tribus Salutis sepelire in propria ecclesia, cadavera confratrum et consororum, qui ibidem elegerint, sepulturam, et an eiusdem cappellanus, absente parocho, valeat officium aliasque functiones super iisdem cadaveribus explere in casu:* » respondisse: « *Affirmative quoad primam partem, quoad secundam negative, nisi parochus vocatus renuat, vel alium sacerdotem non substituât.* »

Hisce praeiactis, proposita fuerunt

Dubia

I. *An Con f rater n itates, de quibus supra, exemptae sint a parochiali iurisdictione, et ius habeant funerandi super cadaveribus illorum, (pii ad eorum ecclesias pro funere exponi elegerunt, er ab ipsis deferri ad coemeterium voluerunt, salva tamen parocho quarta, funeraria in casu.*

IL *An Confraternitates, quae Ordinibus Religiosis non successerunt, ius habeant funerandi independenter a parocho solummodo super cadaveribus confratrum, salva semper eidem quarta funeraria in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C Concilii re cognita sab die 28 Ianuarii 1893, censuit respondere: *Ad I cf II negative et amplius.*

Ex QUIBUS COLLIGES. L Ex iure ad parochos pertinere quidquid tangit sacramentorum administrationem, funera et alias sacras functiones.

IL Requiri formalem probationem, ut quis Sacerdos, non parochus, valeat sibi vindicare ius aliquod paroeciale.

III. Privilegia et iura quae regularibus conceduntur quoad exemptionem a parochorum iurisdictione, esse strictissimae interpretationis; ita ut omnino censeri nequeat, eadem privilegia transire per communicationem in laicorum sodalitates, quae toto coelo differunt ab Ordinibus religiosis.

IV. Consuetudinem certam, univocam, et legitime praescriptam posse etiam derogare iuribus paroecialibus.

V. Per consuetudinem in themate nullam afferri offensionem iuribus paroecialibus, utpote obscuram, aequivocam vel praesumptam, et minime formiter probatam.

ZAGRABIEN

IURISPATRONATUS

Die 28 Ianuarii 1893.

Sess. 25 cap. 9 de reform.

COMPENDIUM FACTI. Cum relate ad huiusmdi controversiam, quae circa ius nominandi rectorem vacantis paroeciae loci Tuhelj agitur inter Vicarium Capitulare Zagrabiense et liberam baronissam Olgam Ozêgovic, natam in comitibus Erdödv, perpauca admodum in actis prostent, operae pretium erit totidem verbis ipsius Vicarii Capitularis informa-

tioneni referre. Quod autem ibi asseritur, quoad iuspatronatus naturam, sive quoad praesentis quaestionis originem, pacificum inter partes videtur, ita ut exinde tuto factispecies erui possit. En itaque Ordinarii Zagrabiensis epistola :

« Iuspatronatus relate ad romano-catholicam parochiam B. Mariae Virginis in Tuhelj, in archidioecesi Zagrabiensi, a temporibus antiquissimis coniunctum erat cum possessione celeberrimi quondam dominii Csaszarvar seu Oesargrad. Possessores dominii eiusdem, comites Erdödy, ingruente saeculo decimonono vastam hanc possessionem inter se diviserunt, ita ut principales eiusdem portiones, dominia nempe Razvor et Novidvori II fratribus Alexandro et Petro comitibus Erdödy obtigerint. Porro iisdem ..fratribus, qua possessoribus principalium harum portionum divisi antiqui dominii, ius conferendi parochiam Tuheljensem adiudicatum fuit.

« Prouti fide digna historica documenta testantur, idem iuspatronatus relate ad parochiam Tuhelj inde a primordiis labentis saeculi, seu a tempore, quo in effectum deducta est divisio antiqui patronalis domini Csaszarvar, modo alternativo seu per turnum possessores dominiorum Razvor et Novidvori II exercebant. Quaestionem hanc de iure patronatus quoad praedictam parochiam, Gubernium regnorum Croatiae et Slavoniae anno 1885 strictiori examini subiecit, eo quod dubium suscitatum esset an possessor quoque certi dominii Velika Erpenja seu particulae praedicti dominii, ut compatronus considerari et qua talis ad ferenda onera patronalia astringi valeat.

« Re penitus examinata, praedictum R. Gubernium Croatico-slavonicum sub dato 8 Martii 1886, tulit decisum per Ordinariatum quoque Zagrabiensem acceptatum et approbatum : patronatum nempe relate ad parochiam Tuheljensem per modum turni coniunctum esse, unice cum dominiis Razvor et Novidvori II.

« Interim vita functus est parochus Tuheljensis Vilhelmus Sorg. More in hac archidioecesi recepto, vicarii foranei casum mortis parochi ad notitiam perferre solent et debent posses-

soribus concernentium patronalium dominiorum eos requirendo, ut in locum mortui aliam idoneam ecclesiasticam personam pro viduata parochia Ordinariatui intra terminum, per ss. Canones et dioecesanas constitutiones praefixum, praesentent. Huic consuetudini conformiter de morte parochi Tuheljensis Vilhelmi Sorg, concernons vicarius foraneus utrumque patronale dominium certius reddidit, ignorans, cui eorum ius praesentationis pro nunc competeret. - Accepta taliter notitia de vacantia parochiae Tuheijensis, praedicta illustris matrona baronissa Olga Ozêgovic nata Erdödy, qua dominii Razvor possessor, pro eadem parochia praesentavit presbyterum Franciscum Glojnaric. E ratione tamen, quod possessor eiusdem dominii Razvor pro parochia Tuheljensi ultima vice praesentaverit, iuxta turnum vero seu per vicem alternationis ius praesentandi pro nunc competeret possessori dominii Novidvori II, qui autem, utpote iudaeus iuri suo sponte renuntiavit hisque devolutionis in Ordinarii! *n* i ingenue agnovit ; Officium Vicariatus Capitularis Zagmbiensis rescripto suo dato 19 Februarii 1892 praedictae matronae declaravit, eidem e rationibus canonicis ius personam pro parochia Tuheljensi designandi seu praesentandi pro nunc non competere, liberumque collationem ad Ordinarium devolutam esse.

« Contra hanc sententiam praedicta matrona interposuit appellationem, in qua opinionem suam propugnare contendit, compatrono ius praesentandi in illo quoque casu competere, ubi alter compatronus alternativo iure praesentandi pro nunc gaudens e ratione defectus canonici praesentare non valet. »

Disceptatio Synoptlca

IURA B. OZEGOVIC. Favore huius Baronissae animadversum fuit, in themate attendendam esse inter iuspatronatus proprietatem et iuris exercitium. Sane cum per divisionem peractam antiqui dominii Cesargrad inter cohaeredes, ius praesentandi ad heneficium parochiale loci Tuhelj duobus fratribus, quibus maior dominii pars obtigerat, vi pacti et accedente auctoritatis placito, alternis assignatum fuit, remansit

indivisa patronatus propriétés a e dominiis Razvor et Novidvori II aeque ac pariter inhaerens. U ad e sponte consequi videretur unumquemque patronum in suo turno praesento nteni pro tunc solius iurispatronatus exercitii unicum et absolutum dominum dici posse, eo quod exercitium tantummodo divisionem recipiat ad ea quae habet *Glossa • in- <-<(j/. 1 verb. dividi D v iarcpafronal ;* Garcia M" *benrfh-iis pag.* 5, *cnp. 1;* De Luca *De iurepatr. disc. 10* ... Dì:* Pitonius *De contrae. D at ron.* etc.

Posito autem principio quod iuspatronatus utpote incorporale sit individuum, idem Card. De Luca *Ile ben.»f. disc. 23. n. 9, et disc. 28, n. 17;* infert in casu, quo illi, inter quos divisum est exercitium, deficiant vel ex alia causa sint impediti, totum ius, tamquam per ius non decrescendi devolvi ad superstites, seu verius in eis consolidari. Et re quidem vera sustineri optime potest, quod cum agitur de pluribus patronis, veluti in casu, ad suum ius exercentium per turnum vocatis, in unius defectu alter oompatronus praesentandi iure plene fruatur, ex hoc ipso quod et in turno non suo ius proprietatis minime amittat. Cessio enim ab ipso facta vel conventio quoad turnum praesentationis in favorem est compatroni tantum, in cuius tamen turno et ipse repraesentatur, ac proinde huiusmodi cessio seu conventio, deficiente compatrono, suo effectu carere videtur et hoc ipso ad cessionarium integrum ius reverti. Neque ita Ecclesiae libertati praeiudicium infertur; nam ipsa iurispatronatus servitute ligatur donec fundus, cui ius inhaeret, existit, cumque aliunde certum sit, illam non posse ex parte liberam, ex parte vero patronatui obnoxiam esse. Unde ad rem iacere videtur id quod doctores communiter docent, idest eam esse naturam turni et al ternati vae, ut uno deficiente in praesentatione facienda alter subingrediatur. Gonzalez *ad regid. 8* Gloss. 17). § 3* n. 17, 18;* Rota *cor. Meliin. decis. 184, n. 8* etc.

Quod autem devolutionis ius attinet, quo Vicarius Capitularis Zagrabiensis decisionem suam tueri nititur, putat baronissa Ozegovic, illud inepte prorsus invocari. Etenim com-

pertiim est ideo ab Ecclesia devolutionis ius invectum fuisse ut diuturnae vacation! beneficiorum atque damnis inde manantibus provideretur. Praeterea observari posset, devolutionem poenae rationem induere, atque vim suam exerere ad puniendam negligentiam illorum, ad quos electio vel praesentatio spectaret, quique electionem vel praesentationem ultra tempus a iure statutum differunt. *Cap. Quia diversità tem O de concess. praeb.* Verumtamen in casu haud agi de patrono, qui ius suum exercere negligat ipsa factispecies aperte ostendit. Si enim iudaeus Bruckner, utpote infidelis, haud capax est praesentandi, nequaquam potest de negligentia coargui. Unde in casu tenendum esset compatronum deficere, proindeque esse locum, non devolutioni, sed consolidât ioni iuris praesentandi in superextante compatrono. Haec vero confirmari possent ex iis quae habet Pitonius *De controv. patr. alleg. XC, n. Ii.* Scilicet quod diviso exercitio iuris praesentandi ex. gr. infer patronum laicum et ecclesiasticum, puta Episcopum, vacante beneficio in turno Episcopi, sede vacante, praesentatio spectet ad laicum ; secus in casu negligentiae Episcopi fumarii, quia tunc reapse devolvitur ad superiorem. Baronissa Ozegovic vero haec addit: « Combinatio impugnati decisi venerabilis Capitularis Vicariatus omnimodo iniusta est, quia Episcopo ordinario ius devolutionis competit tum demum, quando iudaeus est patronus seu collator solus sine ullo concollatore. In casu coëxistentiae concollatorum catholicorum, sicut est hoc in casu praesenti, illi soli ius praesentationis exercendum habent sine iudaeo concollatore, etiam si in prioribus temporibus possessio iudaeo nunc repraesentata alternative cum ceteris concollatoribus hoc ius exercebat, sicut tales occasiones optime pro me illustrant Schulte *Lehrbuch des Katholischen Kirchenrectes anno 1873p. 320, 321 ; /marg. 10, 12, 14;* et Hinschius *S g stem des Katholischen Kirchenrectes arano 1870, tom. III, pag. 58, 59, 60 ei pag. 37 pet. 7,* qui omnes pro allegata mea pugnant. >

Tandem ius suum adurget baronissa Ozêgovic tum ratione onerum sibi ob iuspatronatus inhaerentium, tum etiam allata

similitudine. En eius verba : « Quibus expositis hoc etiam addi debere puto, etiamsi iuspatronatus activum alternative exercendum sit, me compatronatus iure tamen privatam censeri non debere propter partem Novidvori II, quae in praesentia a iudaeo tenetur. Quod quidem ius compatronatus ardenter apparet in modo ferendorum onerum patronatu! adnexorum : in concursu enim qui propter talia onera promulgatur, uterque patronus aequaliter concurrunt. Inter me igitur et Iudaeum Iacobum Bruckner idem casus obtinet, qui inter catholicos et iudaeos electores in magistratibus, cum de eligendo catholico parocho agitur. Licet enim iudaei electores maioritatem votorum haberent, non quem illi, sed quem catholicorum electorum minoritas eligeret sine ulla interventione Episcopi titulo iuris devolutionis, electus censeretur. Qua de causa etiam Schulte, cui adstipulatur Hinschius, docent, ius devolutionis illo tantum in casu locum habere, quandiu nullus christianae fidei collator existit, in contrario casu, quando, licet tantum unus collator, qui christianam fidem profitetur adest, de iure devolutionis quaestionem haberi non debere ».

IURA VICARII CAPITULARIS. EX altera vero parte postquam adnotatum fuerit rationem alternae praesentationis inter compatronos , iuri canonico plene congruere ex *Clem. 2 De iurep.;* animadvertitur, quod ea semel statuta atque conventa, singuli in proprio turno seorsim, nec ulla compatroni facta mentione, ius suum exercent, ita ut in tali actu alter patronus nullam partem habeat ipsumque iuspatronatus pro ea vice apud solum turnarium adesse videatur. His igitur positis, non apparet ratio ob quam compatronus non existens in turno subintrare valeat ad praesentandum. Dicitur quidem a compatrono invocari posse ius accrescendi ; ast, ut advertit Pitonius *loc. cit. alleg. 74, n. 8,* praesentatio « alteri compatrono competere nequit iure accrescendi, quod, diviso exercitio per alternativam seu per turnum, sublatum remanet, manente tamen communione quoad proprietatem, quae nihil, commune habet cum exercitio ut bene probat Rota in *Lauden. Canonicatus, 3 Martii 1697.* »

Neque aliunde sustinendum videtur quod licet sit divisimi exercitium iurispatronatus, tamen quando unus ex compatronis praesentat in suo turno, id peragat communi iure, et alterum compatronum etiam repraesentet. Nam recolendum est legi apud Rotam in Salamantina Alternativae, *anni'1851, apud Piionium* « quod ubi ex concordantia partium collatio vel nominatio simultanea est, alternis vicibus cuilibet reservata in suo turno, totum ius pro illa vice dicitur translatum in illum solum, qui est in turno, et non dicitur divisus solus usus ; sed totum ius conferendi est penes ipsum solum etiam iure proprio et non iure communi. » Igitur sicuti in quolibet contractu convenientes iura et onera sibi mutuo tribuunt sub obligatione eadem respective servandi ; sic comites Erdôdy, et per eos omnes in posterum eorum successores et haeredes per statutam alternativam ius plenum in singulis quoque turnis praesentandi rectorem ad Tuheljensem paroeciam sibi invicem tribuerunt, cui proinde iuri relativa obligatio, se non ingerendi in vice non propria, privative ad alterum pertinenti, legitime respondet. Quamobrem concludendum esse videtur, quod possessor dominii Razvor, hodie baronissa Ozêgovic, absque violatione statutae legis turnariae, seu absque violatione alterius iuris, et praecise libertatis Ecclesiae nequeat praesentationem rectoris memoratae paroeciae pro se vindicare.

Distinctio autem inter casum negligentiae, in quo ius nominandi ad superiorem devolvitur, et casum defectus patroni, in quo huius ius compatrono accresceret, incassum hic a baronissa Ozêgovic invocari videretur. Siquidem casus, de quo agimus, apprime cum eo congruit, quem memorat Pitonius *De Controv. Patron Alleg. XC. n. 14,* scilicet quum turnus ad nominandum adest inter Episcopum et Capitulum, et Episcopus excommunicatus evadat vel suspensus, atque idcirco inhabilis reddatur ad nominandum. Quaerit itaque praefatus auctor, num in turno Episcopi incapacis, Capitulum iure accrescendi nominare valeat, atque negativum dat responsum. « Nam, ait, quamvis vigente simultanea, eiusque exercitio

indiviso manente, inter Episcopum et Capitulum, habeat Capitulum potestatem conferendi iure consoìidationis Episcopo mortuo vel suspenso ut in */ext. h. tit. Cap. un...* nihilominus ubi exercitium simultanee est divisum per turnum, cum vacatio in turno Episcopi ad eius tantum collationem pertineat, non habet Capitulum in quo fundet intentionem conferendi ea vice ; non quidem arguendo ab aequiparatione mortis civilis et naturalis, haec enim aequiparatio non habet locum nisi in casibus in iure expressis, ut bene notat Fagnanus in *Cap. Quia diversità tem n. 29 § 29,* etc.

Quod autem in themate ius devolutionis locum reapse habere debeat, argumentum foret ex eo quod Ecclesia, relate ad provisionem Tuheljensis paroeciae naturali ac directo tramite subintrare videatur pro hac vice in possessionem sui antiqui iuris seu pristinae suae libertatis, quum de hac spoliari nullimode possit per Iacobum Brukner iudaeum, qui si ex una parte dominium Novidvori II, cui controversum ius patronale adhaeret, revera possidet, ex altera tamen eiusdem iuris neque proprietatem neque exercitium acquirere potest, prouti et ipse ingenue confessus est. Ceterum ius liberae collationis paroeciae loci Tuhelij inde etiam exurgere videtur, quia secus, exclusa baronissa Ozêgovic, haud appareret cui ius praesentationis competeret.

Hisce breviter animadversis, propositum fuit enodandum

Dubium

An decisio Vicarii Capitularis ZagraMensis .sustineatur in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii re ponderata sub die 28 Ianuarii 1893 censuit respondere : *Affirmative.*

Ex QUIBUS COLLIGES I. Praesentationem alternam inter compatronos plene congruere iuri canonico ; qua semel inita, compatroni singuli ius suum exercent in proprio turno, independenter ab aliis compatronis ; ita ut, pro ea vice, iuspatronatus ipsum esse videatur tantum apud turnarium.

II. Ius accrescendi favore alterius compatroni sublatum videri ex eo quod exercitium divisum sit per turnum sive per alternativam ; qua stante, totum ius translatum videtur pro illa vice in solum turnarium, qui iure proprio agit, non iure communi.

III. Compatronos in themate per constitutam alternativam sibi tribuisse videri ius plenum in singulis turnis praesentandi rectorem paroeciae, absque alterius patroni intromissione ; quae intromissio locum haberet, quatenus Baronissa sibi vindicaret praesentationem rectoris.

IV. Deficiente patrono, Ecclesiam, per devolutionem, nativam resumere libertatem in conferendis beneficiis; qua libertate despoliari nequit per infidelem aut iudaeum ; qui horum privilegiorum incapaces sunt.

EX S. CONGREGATIONE RITUUM

IMOLEN. dubium de valida consecratione altaris.

Rmus Dnus Aloisius Tesorieri Episcopus Imolensis, Sacrae Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum : in Ecclesia cathedrali civitatis Imolensis adest altare maius, quod tamquam fixum habetur, maxime ex eo quod in posteriori eius parte insculpta legantur haec verba « Card. Antonius Rusconius, Episcopus Imolensis aedi fi cavit et consecravit hoc altare ».

Verum de eius valida consecratione subortum est dubium ex eo quod, licet mensa constet ex lapide; huic tamen in suis extremitatibus adnexa quaquaversus et coniuncta fuit (ante vel post consecrationem ignoratur) corona ex marmore: quo fit ut mensa non sit revera ex unico lapide, uti praescriptum est pro altaribus fixis. Cui dubio vis accedit etiam ex responsione Sacrorum Rituum Congregationis sub die 29 Augusti 1885 in Eugubina, Hinc quaeritur: debet ne hoc altare haberi tamquam fixum et consecratum; et quatenus negative, potest ne haberi tamquam altare portatile?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, ita proposito dubio rescribendum censuit, videlicet: *Sanato quovis defectu, Altare fixum consecratum haberi debet.* Atque ita rescripsit die 23 Aprilis 1893.

C. CARD. ALOISI-MASELLA S. R. C *Praefectus.*

L. & S.

VINCENTIUS NUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

SENOGALLIEN. dubia quoad paramenta induenda in solemni benedictione post completorium.

De mandato sui Rmi Episcopi, hodiernus Caeremoniarum Magister in Cathedrali Ecclesia Senogalliensi, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humillime subiecit, nimirum:

Dub. I. Quotiescumque, expleto Completorio, solemnis benedictio cum SSmo Eucharistiae Sacramento adstantibus christifidelibus in Ecclesia cathedrali impertitur, sacri Ministri pro Dalmatica et Tunicella supra Albam, possunt ne supra rochettum vel superpelliceum tantum induere Pluviale? Canonicus vero celebrans potestne adhibere tantum Amictum, Stolam et Pluviale, Alba omissa?

Dub. II. In eiusmodi Benedictione quae immediate datur post Completorium, sacri Ministri indui ne possunt iisdem cuiusvis coloris paramentis, quibus antea usi sunt ad Vesperas?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, re mature perpensa, ita propositis dubiis rescribendum censuit, videlicet:

Ad I. Sacri Ministri in casu induantur Dalmatica et Tunicella, et Sacerdos celebrans Albam deferat sub Pluviali.

Ad II. Utendum paramentis nonnisi coloris albi. Atque ita rescripsit et servari mandavit die 12 Maii 1893.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

L. & S.

VINCENTIUS NUSSI, S. R. C. *Secretarius.*

iMOLEN. quaeritur an tolerari possit adiectio comitis nomini Episcopi dum publicantur indulgentiae post pontificalem benedictionem.

His addendum est aliud quaesitum, ab eodem Caeremoniarum:). Magistro S. R. Congregationi propositum, nimirum: An tolerari possit quod Canonicus, post pontificalem benedictionem, indulgentias publican?, ad nomen Episcopi titulum Comitis adiungat; quamquam ex liturgicis legibus absolute prohibitum sit quocumque modo immutare formulas Caeremonialis Episcoporum ac Pontificalis Romani?

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem infrascripti Secretarii, suprascripto Dubio rescribendum censuit: *Negative.* Die 12 Maii 1893.

C. CARD. ALOISI-MASELLA, S. R. C. *Praefectus.*

L. * S.

VINCENTIUS NUSSI, S. R. C. *Secretarais.*

EX S. C. NEGOTIORUM EXTRAORDINARIORUM

DECRETA pro dirimendis difficultatibus de validitate matrimoniorum in insula Melitensi.

Dic 12 Ianuarii 1890.

Ex Audientia SSmi

Ad dirimendas quascumque controversias circa validitatem matrimoniorum, quae in insula Melitensi contrahuntur, Sanctissimus Dominus Noster Leo, divina Providentia Papa XIII, referente me infrascripto Secretario S. Congregationis, Negotiis extraordinariis praepositae, haec quae sequuntur, pro Apostolico suo munere statuit decernenda:

1. Matrimonia inita vel ineunda ab iis omnibus qui catholicam profitentur religionem, sive quod uterque contrahens sit catholicus, sive quod alter sit catholicus, alter heterodoxias, valida non esse, nisi celebrata fuerint iuxta formam a S. Concilio Tridentino praescriptam in c. 1 *Tametsi, Sess: 24; de Ref. matr.*

2. Eos vero, qui diversum a catholico cultum profitentur, valide contrahere posse matrimonium inter se, etiamsi formam Concilii Tridentini non servent, dummodo ceteroquin aliud non obstet canonicum dirimens impedimentum.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die mense ct anno praedictis.

DOMINICUS, ARCH. THESSALONICENSI, *Secretarius.*

EX S. CONGR. S. R. U. INQUISITIONIS

Sanantur matrimonia haereticorum contracta in insula Melitensi, non servata Tridentini forma.

Beatissime Pater,

Archiepiscopus Episcopus Melitensis Sanctitati Vestrae humiliter exponit quod per decretum die 12 Ianuarii 1890 valida declarata sunt matrimonia quae in posterum celebrabuntur in insula Melitensi ab acatholicis inter se, absque forma praescripta a sacro Concilio Tridentino.

Cum vero in praelaudato decreto nulla explicita mentio facta sit matrimoniorum antea contractorum, ad removendum quodcumque dubium, et ad providendum tot matrimoniis absque diera forma usque in illam diem celebratis, Sanctitatem Vestram enixe rogat Orator, ut etiam illa valida declarare dignetur".

Feria v *loco* iv, *die 2 Iunii 1892.*

In Congregatione Generali S. R. et Universalis Inquisitionis habita coram Emis ac Rmis DD. Cardinalibus in rebus fidei Generalibus Inquisitoribus proposita suprascripta instantia R. P. D. Archiepiscopi Episcopi Meliten, ac praehabito voto DD. Consultorum, iidem Emi ac Rmi DD. dixerunt:

Attenta petitione R. P. D. Archiepiscopi Episcopi Meliten., supplicandum SSmo ut declaret et decernat matrimonia haere-

ticorum inter se, non servata Tridentini forma, in Insula Meliten, hactenus contracta, pro validis habenda esse, dummodo aliud non obstiterit canonicum impedimentum.

Fena vi, *die 3 Iunii Î892.*

Facta de his relatione SSmo D. N. D. Leoni PP. XIII in Audientia R. P. D. Assessori S. O. impertita, Sanctitas Sua benigne annuere dignata est pro gratia iuxta Emorum Patrum suffragia.

J. MANCINI S. R. ET U. I. NOT.

APPENDIX V.

EXHIBENS ACTA SEDIS APOST. ; QUAE AUT IAMDIU EXARATA SUNT, AUT QUAE TEMPESTIVO LATUERUNT EPHEMERIDIS! MODERATOREM.

Ex Constitut. *Ex quo primum* **Bened. PP. XIV. I Martii 1756**
De ministro extremae unctionis

Quamvis Quintaduenas in *Tract. 5 de Extr. Unct.* asseruerit licere parochis mittere ad aegrotos aliosque petentes Oleum sanctum infirmorum, ad hoc ut eo in suis infirmitatibus se liniant ; nihilominus si quis hoc facere attentaret, gravibus poenis a tribunali ecclesiastico plecteretur vel tamquam abutens Sacramento Ecclesiae, vel tamquam suspectus non rectae fidei circa Sacramentum Extremae Unctionis, ut opportune advertit Clericatus *De Sacram. Extr. Unct. decis. 70 n. 32.*

S. C. S. Officii 20 Iunii 1866. — Vic. Apost, ad Gallas.
Dubia quoad matrimonia inter Gallas.

Filiaefamilias in regione tam Gallarum, quam Sidamarum traduntur in matrimonium inconsultae, saepe etiam invilae, aliquando iussu principis sine ullo ipsorum parentum consensu, plerumque nulla habita ratione diversae religionis, quam vir et mulier profitentur. Quaeritur proinde :

1. An filiafamilias sic data in matrimonium debet esse disposita potius ad moriendum quam ad consentiendum, etiamsi solum passive, ut tradatur marito musulmano aut iclololatrae aut polygamo.

2. Quatenus tradita sit per vim marito adhuc libero, quem tamen absolute ipsa non amat et non vult, utrum missionarius possit eam exhortari ut faciat de necessitate virtutem, suumque praestet assensum ad legitimandum et convalidandum matrimonium, vi contractum, an satius sit eamdem relinquere in statu concubinatus passivi, exspectando possibilem eius libertatem futuram.

3. Utrum dum infelix haec puella in statu passivo continuae violentiae detinetur possint ei administrari Sacramenta, an debeant negari sicut illis qui versantur in occasione peccati.

R. Certum est unumquemque hominem sic animo comparatum esse debere, ut potius eligat mori, quam vel uno peccato foedari. Certum quoque est gravissimum committi peccatum si matrimonium contrahatur scienter cum impedimento aliquo dirimente. Certum tandem est matrimonio inter puellam christianam et virum musulmanum aut idololatram aut polygàmum obstare impedimentum dirimens ligaminis, vel disparitatis cultus, vel utrumque simul. Quapropter ambigi nullatenus potest, quin iiliafamilias de qua sermo fit in dubio primo, quaeque supponitur christiana, debeat esse disposita potius ad moriendum quam ad consentiendum quomodocumque ut tradatur in matrimonio viro musulmano aut idololatrae aut polygamo. Poterunt tamen missionarii providere per legitimam dispensationem, iuxta facultates, si quas habent, dummodo concurrant debitae conditiones. Sed praecipue assiduam atque indefessam curam impendant uti iniquissimam consuetudinem, qua filiaefamilias christianae, non inconsultae modo et invitae, verum etiam polygamis et infidelibus viris nubere coguntur, e radicibus evellant, docendo, admonendo et a Sacramentorum etiam participatione repellendo christianos illos parentes qui divinam, naturalem et ecclesiasticam legem tam enormiter, tamque ingenti filiarum suarum iniuria ac discrimine proculcare nequaquam horrescunt. In casu autem, qui secundo et tertio dubio exponitur, potest certe femina suaderi ut consensum suum adiungat, ubi nihil desideretur aliud ad matrimonium convalidandum, sed cogi nequaquam potest, quia matrimonium iure naturali liberum esse debet. At si consensum praestare detrectet, Vicarius Apostolicus et missionarii se gerant iuxta regulas apud probatos auctores traditas.

Ex Instr. S. C. S. Officii 6 Iulii 1817.

Ad. Praef. Miss. Martinicae, Guadalupae etc. — Principia catholica de divortio.

Catholica nunc super divortio, super legis illud induc e nus auctore, ac super iudicibus illud exequentibus, vel exequi facientibus principia constituere necesse est.

Divortium omne, dissolutionem coniugalis vinculi legitime contracti et confirmati, inter christianos adhuc viventes, importans, aliud non est quam ingens attentatio, sin contra ius naturale (de quo scholaslici inter se disputant), ast profecto contra ius divinum positivum scriptum, sicuti perspicue S. Tridentinum Concilium ostendit, (sess. 24 Doct. de Sacr. Matr.) atque fuse evincit Benedictus X1Y *de Synodo Dioec. lib. XIII. cap. 22, §. 3, et seqq.* Quapropter legum latio omnis, talem confirmans, ac dirigens altentationem, irrita et nulla suapte natura est, violentia

potius quam lex est (D. Th. 12, quaest. 46 a. 4) immo corruptio legis est, cum supra rem divina institutione mere sacram, adeoque superiorem, uti talem, et ab omni terrena potestate evadentem versetur: quae insuper manifesto divinae opponitur legi, cui omnis humana potestas necti atque cedere debet ; quo fit, ut non minus legislator, a quo huiusmodi corruptio procedit, quam iudex, qui eidem famulatur, eamque ad peculiares casus applicat, atque eius promovet executionem, rei auctoritatis praeter fas usurpatae primo existant : quod idem est, ac mortaliter peccare priorem quidem *usurpatione potestatis,* alterum vero usurpatione iudicii : (Leonard. Lessius *de Iust. et Iur.* Düben. *Lib. 2, Cap. 29, p. 288).* Uterque pariter gravissimi scandali noxam incurrit, dum pharisaeorum exemplo, atque « in re maioris longe momenti irri- » tum faciunt praeceptum Dei, ut traditionem eorum servent. » (Marc. VII, 9. Matth. XV, 3.) Immo id etiam sibi sumunt, ut divino effato : *Quod Deus coniunxit homo non separet* contrarium substituant statutum: « Quos homo separavit, neque Deus, neque Ecclesia reconiungat » uti ab articulo 295 codicis superius citati habetur. Uterque denique exitiosorum omnium consectariorum particeps reperitur, quae ab huiusmodi nefaria legum latione necessario fluunt.

Iam vero dum criminationes istas omnes a se removere contendunt abusu tritissimae distinctionis contractus matrimonii, et Sacramenti Matrimonii, perinde ac si valor, consistentia, et duratio illius, e contra ac istius, saeculari potestati per modum regulae, atque pleno iure subdatur, augent profecto, non auferunt culpam, dum haeresim in subsidium impietatis advocant. Dogma Fidei est, in Tridentino Concilio contra luteranos definitum, Matrimonium vere et proprie unum esse e septem Legis evangelicae Sacramentis a D. N. Iesu Christo institutum : « Si quis (Sess. XXIV, Can. I.) dixerit Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis Evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, anathema sit. » Haeresis igitur est Sacramentum Matrimonii a matrimonii contractu *per modum regulae,* et absolute seiungere, perinde ac si contractus essentiam atque substantiam Sacramenti minime divinae institutionis vi ingrediatur, neque aliud Matrimonii Sacramentum esse reperiatur, nisi qualitas contractui supernatans, aut corona pictam tabulam, cui extranea est, circum ornans. Quapropter D. Thomas pluribus in locis modo se digno catholicam doctrinam hac de re declarans concludit : « Matrimonium igitur secundum quod consistit in coniunctione maris et feminae, intendentium prolem ad Dei cultum procreare et educare, est Ecclesiae Sacramentum. » (Lib. IV, contra gent. c 78.) Alibi autem affirmât, quod ex coniunctione mari? et feminae, explicito

ipsorum mediante consensu « efficitur vinculum, seu nexus quidam qui est Sacramentum Matrimonii ». (In 4 Sent. dist. 28 a. 3 ad 2). Matrimonium igitur ideo Sacramentum est, quia contractus ipse Sacramentum est, seu quia contractus et ad substantiam pertinet, et definitionem ingreditur Sacramenti : atque hoc dogma catholicum est. Quamvis autem quispiam ponere velit, aliquod inter fideles matrimonium Sacramentum non esse posse, semper tamen erit de fide, minime inter fideles Matrimonii Sacramentum reperiri, quod semper contractu essentialiter haud aedificetur ; nempe in lege evangelica matrimonii contractum esse posse, quod non sit Sacramentum ; matrimonii tamen Sacramentum esse non posse in quo contractus ipse non sit Sacramentum. Atque hoc dogma est, in citato Tridentini contentum canone : « Si quis dixerit Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae Sacramentis etc. » Haeresis igitur, ut iterum dicam, est, asserere in lege evangelica contractum matrimonii regulariter et essentialiter e Matrimonii Sacramento secerni, et Sacramentum non aliud esse, nisi contractus ornatum, qui ad valorem ipsius atque consistentiam indifferens sit, seu extraneus.

Fidei pariter dogma est aeque in Tridentino Concilio definitum Ecclesiam, ultra consanguinitatis et affinitatis gradus in Levitico expressos, valuisse alios gradus matrimonium contrahendum impedientes, et contractum dirimentes constituere : alia impedimenta matrimonium dirimentia constituere valuisse, in iisque constituendis non erravisse; causas denique matrimoniales ad iudices ecclesiasticos expectare : « Si quis dixerit, ait S. Concilium (sess. XXIV Can. III, IV, et XII) eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur posse impedire matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis eorum dispensare, nec constituere, ut plures impediant, et dirimant, anathema sit. — Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta, Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit. — Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos anathema sit. »

In hisce porro tribus Canonibus, qui dogmatici sunt, cognoscitur in Ecclesia vera et propria super matrimonii contractu potestas. Constituendorum enim impedimentorum dirimentium, eorumque dispensandumm potestas, potestatem suapte natura importat sive auferendi, sive impartiendi matrimoniali contractui vim atque valorem ; item contrahentes sive habiles, sive inhabiles et illud valide ineundum reddendi. Iurisdictio autem in causis matrimonialibus facultatem importat de contractu ipso iudicandi, de ipsius nempe valore, consistenza, duratione;

cum causae et sententiae matrimoniales in hisce potissimum versentur. De fide igitur est, Ecclesiam divina institutione super fidelium matrimoniali contractu veram et propriam potestatem habere, non vero tantummodo super Sacramento, seu super sola sacra caeremonia, quae contractui benedicit, eumdemque sanctificat, uti neoterici quidam contendunt, qui propterea in novam haeresim incidunt.

Addemus postremo, ex huiusmodi quorumdam modernorum legumlatorum systemate semel admisso, atque ex constituto, tamquam aequo ac legitimo, duplici contractus et Sacramenti Matrimonii respectu, ut prior saeculari, alter vero ecclesiasticae potestati subdatur ; ex huiusmodi inquam systemate id consequi, ut evangelicae legis matrimonium, gratia a Iesu Christo per suam passionem acquisita sanctificatum, perfectum, atque ad magni Sacramenti Ecclesiae dignitatem evectum, eodem simul tempore, divina dispositione, contradictoras legum, lationibus obiiceretur, atque perpetuo inter duas diversas potestates bello conflictaretur, dum id altera tuetur, quod ab altera irritum redditur ; illa contemptui habet ac punit id cui ista benedicit, atque sanctificationem adhibet; illa civiles concedit effectus ei, quem ista ad civiles atque spirituales effectus inhabilem reddit ; quae hinc inde iure meritoque fierent atque congruenter nativis, divinis, humanisque iuribus, quibus praescribi nequit ; quae quidem omnia simul sumpta immane haeresum blasphemiarumque cumulum conficiunt.

S. C. S. Officii 19 Iunii 1875 — Dubium quoad dispensationem impedimentorum.

1. An in multiplici consanguinitate, seu cum consanguineis qui ex multiplici stipite invicem coniuncti sunt, Ordinarius dispensare possit iuxta facultates a S. Sede impétralas tenoris sequentis : *Dispensandi in 3. et 4. consanguinitatis et affinitatis gradu simplici et mixto tantum, et in 2. 3, et 4. mixtis, non tamen in 2. solo quoad futura matrimonia;* atque *dispensandi in utroque foro pro catholicis, eius iurisdictioni subiectis in matrimoniis sive contractis, sive contrahendis super impedimento 2. gradus consanguinitatis vel affinitatis in linea transrersali aequali pro centum casibus.*

2. An in multiplici affinitate dispensare possit.

R. Ad. 1. et 2. Affirmative, scilicet Episcopos qui facultate gaudent quinquennali dispensandi in 3. et 4. consanguinitatis et affinitatis gradu simplici et mixto tantum, et in 2. 3. et 4. non tamen in 2. solo quoad futura matrimonia, posse dispensare in 3. 3., in 4. et 4., in 3.

mixto cum 4. ; nec non in 3. et 4. cum 2. mixtis, sive gradus oriatur ex uno sive ex multiplici stipite.

SSmus approbavit.

S. C. S. Officii 26 Augusti 1891 — Vic. Ap. Nankien.
Dubium quoad impedimentum affinitatis.

Caius adhuc in infidelitate vivens fornicarium commercium habet cum femina; deinde facti poenitens et idololatriae renuntians, rite instructus baptizatur. Accepto baptismo, Gaius potestne sibi in legitimam uxorem ducere sororem germanam illius feminae cum qua, in infidelitate vivens, peccavit.

R. Affinitatem quae in infidelitate naturaliter contrahitur ex copula tum licita, tum illicita, non esse impedimentum pro matrimoniis quae in infidelitate ineuntur: evadere tamen impedimentum pro matrimoniis quae ineuntur post baptismum, quo suscepto, infideles fiunt subditi Ecclesiae, eiusque proinde legibus subiecti.

S. C. Indulg. 5 Febr. 1841 — Valentinen.
Dubium quoad benedictionem in mortis articulo.

Utrum sufficiat recitatio Confessionis, id est *Confiteor etc.,* in Sacramento Poenitentiae habita, pro recitatione illius praescriptae, quando impertienda est benedictio cum Indulgentia in mortis articulo? — 2. Utrum necesse sit tribus vicibus recitare *Confiteor etc.,* quando administratur Sacrum Viaticum, Extrema Unctio, ac Indulgentia in mortis articulo impertitur? 3. Utrum infirmus lucrari possit indulgentiam plenariam in mortis articulo a pluribus sacerdotibus facultatem habentibus impertiendam? — 4. Utrum sacerdos valide conferat Indulgentiam plenariam in articulo mortis, omissa formula a Summo Pontifice praescripta, ob libri deficientiam?

R. — Ad 1. Negative, iuxta praxim et Rubricas, nisi necessitas urgeat. — Ad 2. Affirmative, iuxta praxim et Rubricas. — Ad 3. Negative in eodem mortis articulo. — Ad 4. Negative, quia formula non est tantum directiva, sed praeceptiva.

Decr. S. C. Indulg. 12 Martii 1855.
Dubia quoad benedictionem in mortis articulo.

Cum S. G. Indulgentiarum in una Valentinen, sub die 5 Februarii 1841 sequenti dubio : *Utrum infirmus pluries lucrari possit indulgentiam plenariam in mortis articulo a pluribus sacerdotibus facultatem habentibus impertiendam,* resolutionem dedisset: *Negative in eodem mortis articulo,* exinde quaeritur: 1. Utrum vi praecedentis resolutionis prohibitum sil, infirmo in eodem mortis articulo permanenti impertiri pluries ab eodem vel pluribus sacerdotibus hanc facultatem habentibus indulgentiam plenariam in articulo mortis, quae vulgo *benedictio papalis* dicitur. 2. Utrum vi eiusdem resolutionis item prohibitum sit, impertiri pluries infirmo in iisdem circumstantiis ac supra constituto, indulgentiam plenariam in articulo mortis a pluribus sacerdotibus hanc facultatem ex diverso capite habentibus, puta ratione aggregationis Confraternitati SSmi Rosarii, sacri Scapularis de Monte Carmelo, SSmae Trinitatis etc.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, postquam in generalibus comitiis habitis die 5 Martii 1855 apud Aedes Vaticanas votum Consultoris super praefatis dubiis audisset, respondendum censuit : *affirmative ad utrumque, firma remanente resolutione in una Valentinen, sub die 5 Feb. 1841.* Factaque de his omnibus SSmo D. N. relatione in Audientia habita die 12 Martii eiusdem anni, Sanctitas Sua relationem S. Congregationis benigne confirmavit.

Instr. S. C. S. Officii 6 April. 1843. — Ad Vic. Apost. Oceaniae.
Instructio quoad matrimonia inita in nonnullis Oceaniae locis.

Iam a die 28 Maii 1835, V. Amplitudo ad S. C. de Prop. Fide recurrerat, exponens difficultates circa valorem matrimoniorum in illis Oceaniae locis initorum ; atque iterum die 20 Iunii anni 1840 eidem S. C. alia dubia circa idem obiectum proposuerat, quod videlicet, legibus loci non solum non obstantibus sed faventibus, ibidem permittantur iniri alia matrimonia post triennium absentiae alterius partis, et quaerebat quid in hisce casibus esset agendum :

1. *Si uterque sit infidelis, et alteruter aut uterque voluerit converti f*

2. *Si uterque sit baptizatus, et alteruter, aut uterque voluerit converti f*

3. *Si utriusque aut alterius baptismus sit dubius f*

S. G. de Prop. Fide supradicta dubia ad S. Officium transmisit, ubi diligentissime discussa fuerunt tum illa dubia, tum cetera omnia quae hactenus ex Oceania circa hanc materiam ad S. Sedem missa fuerant, et quidem in consessu Emorum Inq. Generalium fer. II, die 21 Novembris 1842, et 1 Decembris eiusdem anni coram SSmo autem Fer. V, die 6 Aprilis 1843. SSmus vero D. N. D. Gregorius Papa XVI, re coram se diligenter discussa, ad 1, nempe: *Cum agatur de matrimoniis in infidelitate contractis, ut uterque coniugum, vel unus ex ipsis converti voluerit, an possint alias nuptias inire, relicto priore coniuge,* rescribi mandavit: « *Cumin casu posito, attentis eliam particularibus circumstantiis, non una interveniat ratio iuste dubitandi de valore huiusmodi matrimoniorum, provisum per communicationem iam factam a S. Congregatione de Propaganda Fide Vice-Praefecto Oceaniae Meridionalis Decreti Sanctitatis Suae sub feria IV, 8 Iunii 1836 una cum instructione adnexa Eminentissimorum Inquisii. Generalium ; ideo Vicario Apostolico recurrenti utraque transmittatur* ». S. autem Congregatio, ut supremis mandatis S. Sanctitatis obtemperet, utrumque respective, Decretum et Instructionem Eminentissimorum ad Vicarium Ap. transmittit.

Duo alia dubia versantur circa baptizatos, sive eorum baptismus sit validus, sive de eius valore iuste dubitaretur, et circa hos S. Sanctitas iussit imprimis Vicario Apostolico communicari instructionem Eminentissimorum datam fer. IV, 17 Nov. 1830, prout S. Congreg, de facto transmittit. Advertendum est tamen, quamvis baptismus in casibus in decreto expressis, validus censendus sit in ordine ad matrimonium, tamen partem conversam, de cuius baptismi valore prudenter dubitaretur, rebaptizandam fore sub conditione quia baptismum est Sacramentum necessitatis. Atque sic confidit S. C. satisfactum fore plerisque difficultatibus, quae ex baptismo oriri poterunt. Sed quoad matrimonia post baptismum contracta, praecipua attentio Vicarii Apostolici in ipsum valorem matrimonii dirigenda est. Certum est matrimonium contractum cum conditione ipsius substantiae, et nominatim ipsius indissolubilitati repugnante, nullum esse, ut habetur ex Can. *Si conditiones, De conditionibus appositis.* Iam vero non paucae formulae a protestantibus adhibitae illa conditione irritante contaminatae sunt in quibus expressis verbis inhaeret haec conditio: *contrailo lecum donec in fidelitate permanseris* ; immo etiam voluntas aliquando satis aperte factis exprimitur, vel verbis simul et factis, dum verba, vel facta interpretantur ipse usus et consuetudo illorum locorum, ita ut abfuisse intelligatur consensum in contractum perpetuum et indissolubilem.

Tametsi autem dubitandum non sit, quin validum matrimonium •contrahi possit cum errore mere concomitante circa eius indissolubilitatem, quia tunc praevalet generalis voluntas contrahendi matrimonium iuxta institutionem Christi, et generalis illa voluntas privatum errorem quodammodo absorbet, attamen ubi adhibetur formula cum explicita vel implicita illa conditione, iam fieri nequit, ut particularis error absorptus maneat a generali voluntate contrahendi iuxta institutionem Christi. Inter formulas conditione irritante vitiatas, non postremum locum tenet ea quae *transylvanïcà* dicitur quaque calvinistae in Transylvania et in pluribus aliis locis utuntur. Substantia huius formulae (tametsi quoad accidentalia nonnihil variare possit) in eo consistit; Minister protestans ad contracturos dicit: *Audite S. Evangelium;* deinde praelegit eis Matth. 19, v. 9. *Dico autem vobis quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem* etc. quo textu ipsi abutuntur ad stabiliendos suos errores, et contracturi, qui eisdem erroribus participant, admonentur de restringendo consensu. Post consensum utrimque editum perdurante eodem ritu, ab ipsis iuramentum exigitur, in quo sibi mutuo promittunt fidelitatem quoadusque altera pars in honestate perstiterit. Pariter vitiata esset formula si minister pro textu Matth. 19, adhiberet alium, v. gr. Matth. 5, 32. *Ego autem dico vobis quia omnis, qui dimiserit uxorem suam* etc. vel Hebr. 13, 4, *honorabile connubium* etc. quibus pariter illi abutuntur ad eumdem finem, maxime si tunc, prout apud illos fieri solet, minister instructionem vel sermonem ad contracturos habeat de mutuis coniugum officiis, inter quae illud etiam numerant de unione servanda, donec altera pars in adulterium labatur ; ac denique solum iuramentum, ut supra emissum in ipso ritu contractus sufficit ad matrimonium irritandum.

Circa alias formulas ita pariter statuendum, si vel implicite, vel explicite conditionem contineant matrimonii substantiae repugnantem. Praeterea cum vel ex precibus, vel ex adhortatione, aliquando praemittitur, aliquando postponitur formulae, vel ex. mutuis promissionibus contrahentium aliquod vitium irritans emergere possit, etiam ad caeremonias huiusmodi attendendum est : nam plerumque et formula iuramenti, et promissiones mutuae aequivalent apud ipsos pactioni huiusmodi, quod scilicet; violatio illorum inducat respective cessationem et iurium, et obligationum inter coniuges, proindeque rescissionem matrimonialis vinculi. Ex hisce omnibus, et etiam adiunctis loci circumstantiis, ab eo qui in iis praesens sit facile dignosci poterit quaenam sit prava coniugum intentio.

Quia vero contingere posset, ut duo baptizati (de his enim nunc

agitur) contraherent coram ministro protestantico, vel coram Principe^, declarando se contrahere iuxta leges, vel consuetudinem regionis, ubi etiam levibus ex causis dissolvi solent, talia matrimonia irrita essent.

In omnibus igitur supra expositis casibus possunt talia matrimonia a Vicario Apostolico irrita declarari, ac facultas tribui parti (vel partibus) conversae ad alias nuptias, nullo alio interveniente canonico impedimento, convolandi. Hic vero nonnulla pro diversitate casuum, et circumstantiarum sunt diligenter adnotanda ut omnia inserviant ad maiorem catholicae Religionis profectum.

1. Si ambo venirent ad catholicam fidem, et vellent secum uniti remanere, in casu nullitatis eorumdem matrimonii, renovent consensum. Quia vero evenire potest in hoc, et sequentibus casibus, ut interveniat aliquod aliud canonicum impedimentum, SSmus D. N. Vicario Apostolico concedit ad decennium facultatem dispensandi in omnibus impedimentis iuris mere ecclesiastici, exceptis his in quibus ipse Pontifex dispensare non solet etiam in terris infidelium, et tunc recurratur in casibus particularibus : porro hanc 'facultatem Vicarius Apostolicus possit subdelegare missionariis sui districtus, vel in eo cum eius facultate commorantibus.

2. Si una tantum pars vellet fieri catholica, altera vero renueret, vellet tamen in matrimonio manere, Vicarius Apostolicus possit dispensare in matrimoniis mixtis, cum solitis conditionibus ab Ecclesia requisitis, nisi aliter prudentia requirat, transmisso Brevi Apostolico Pii VIII. *(25 Martii 1830)* cum instructione Emi Albani, ad Vicarium Apostolicum prout S. Congregatio ad eumdem transmittit, ut iudicium ferre possit quid et quousque prudentia permittat.

S. C. S. Officii 22 Iulii 1857. Vic. Ap. Coreae.
Dubium de muliere pagana concubinaria baptizanda.

Mulier pagana, a viro suo pagano expulsa, alteri viro gentili, qui suam uxorem etiam repudiaverat, ante quadraginta annos se coniunxit, a quo plures habuit filios. Dicta autem illa mulier, cum de sancta Religione audivit, a tribus annis Baptismum cum lacrymis expostulat. Vir paganus cui se adiunxit, nec illam dimittere, nec priorem uxorem revocare consentit : maritus legitimus iam mortuus est. S. V. rogo ut> quomodo mulieris illius saluti providendum sit, mihi indicare dignetur.

R. Iuxta exposita mulierem esse liberam, et, prudenter separata a viro concubinario, nihil obstat quominus baptizetur.

S. C. S. Officii 20 Iunii 1858 — Vic. Ap. Pondicherien.
Casus matrimonii cuiusdam gentilis.

Unus gentilis non coniugatus, propter annonae deficientiam suum pagum relinquens, alterius provinciae pagum circiter 30 leucis distantem petiit, mihique iuxta morem suae tribus cum puella gentili undecim aut duodecim annos nata matrimonium contraxit. At, licet dicta puella apud maritum maneret, priusquam illa fuerit iuxta regionis existimationem nubilis, supradictus gentilis, propter causam nobis ignotam, suam uxorem coram magnatibus tribus dimisit, suum natalem pagum repetiit, et post reditum suum in pago vicino, commercium vitae habens cum christianis, Baptismum recepit, de matrimonio supra relato nihil dicens. Anno post Baptismi receptionem secundo, ille cum puella christiana matrimonium contraxit, sed nihil dixit de matrimonio in gentilitate contracto, neque interpellationem fecit, iamiam tres liberos nunc habet ex muliere christiana. Anno autem praeterito puella, quam ipse in matrimonium duxit quando erat gentilis, Baptismum recepit et tunc cum christiano vult nubere. Sed missionarius, in investigatione quam ante matrimonium fecit, primum coniugium in gentilitate ab ea, ut supra, contractum fuisse detegit, et ex eis quae sive ex investigatione memorata dicta fuerunt, sive ex inquisitione facta apud neophyti parentes, ad nostram notitiam pervenit agendi ratio illius supra memorata ; nihil vero ei diximus de validitate aut invaliditate secundi matrimonii ut illius bona fides non tollatur. Interea permissio nubendi puellae recenter baptizatae denegata fuit usquedum responsum habeamus. Cum res ita sint, quaero : 1. Quid sentiendum est de matrimonio dicti hominis cum puella christiana absque interpellatione et dispensatione contracto, et quid nunc agendum? — 2. Quid faciendum ut puella recenter baptizata licite et valide cum homine christiano alio contrahere possit?

R. Ex deductis subsistere primum matrimonium ; ideoque R. P.D. Vicarius Ap. Orator curet, prudentiori modo quo fieri potest, partes ad se vocare ad deducenda sua iura et, si nihil in contrarium repererit, redire obliget ad primum coniugium. — Insuper idem Vicarius Ap. suos missionarios hortetur ut opportune instruantur sive cathecumeni, sive neophyti, de obligatione quam habent interpellandi coniugem in infidelitate relictum, antequam ad alia vota transeant, neque ad illa ineunda admittantur nisi propriam libertatem prius comprobaverint.

Instr. S. C. S. Officii 28 Martii 1860 — (pro Vic. Ap. ad Gallas).
De polygamia apud Gallas.

Certissimum est polygamiam simultaneam iure evangelico esse omnino illicitam, unde postquam Iesus Christus (Matth. 19) matrimonium ad pristinam reduxit sanctitatem, unitatem et indissolubilitatem addita pro baptizatis Sacramenti dignitate, nec infidelibus, nec iudaeis, nec ulli mortalium licuit plures sibi copulare uxores. Consequenter divinitus sic restituta monogamia, nonnisi unam uni legitimo validoque coniugio devinciri posse inconcussum fidei dogma habetur.

Quoad populos vero ubi illa vetita uxorum pluralitas reperitur, diligentissime inquirendum erit an in tanta morum corruptione quidpiam matrimonialis foederis teneant. Inveniuntur siquidem adeo perditi apud quos nulla coniux propria est, sed et cuique libitum fuerit, pecudum more lasciviunt, ut refert S. Hieronymus (advers. Iovinian. lib. 2, n. 7) qua in hypothesi perperam de iure matrimonii institueretur quaestio, sed in conversione huiusmodi ad fidem polygami, aut eiusdem mulierum, conceditur missionariis ut in particularibus casibus pro sua prudentia et zelo id sequantur quod pro bono religionis ac partis conversae favore magis consentaneum esse iudicaverint, utpote qui vel quae nullo vero proprio vinculo maritali vinciuntur*

Sed etsi in particulari operabili ob malam consuetudinem ita foedari contingat humanum genus, tamen, ut ait S. Thomas (1, 2, q. 84. n. 4), quantum ad prima principia lex naturae immutabilis homines ad bonum speciei et societatis, matrimonii officio consequendum, docet et ordinat (S. Thom. contra gent. 1. 4, c. 77), quod ex Apostolo (ad Rom. 2, 14) colligitur : cum enim *gentes quae legem non habent, naturaliter ea quae legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis,* ideoque bonum naturae cum non totaliter extinguatur (S. Th. 1. 1, q. 85, n. 1) apud gentes utut feroces et corruptas, aliquid circa connubia iuris constitutum invenitur, quo fit ut veri matrimonii ratio decernatur.

Hinc sequitur in polygamia tam infidelis quam haeretici regulariter primam habendam esse pro legitima, nisi ob aliquod dirimens impedimentum videntur nuptiae. Quoad infideles pensitanda sunt impedimenta legis naturae, pro haeretico vero etiam impedimenta Ecclesiae catholicae cui subiicitur. Consideranda est etiam et forma nubendi, an in pactum redigatur matrimonii solubilitas, aliudve essentiae matrimonii contrarium. Demum si convertitur polygamus haereticus, remanere debet

cum legitima uxore, dimissis reliquis, nulla facta interpellatione eo quod paulino privilegio uti nequit. Supponuntur etiam mulieres haereticae, alioquin adesset impedimentum disparitatis cultus irritans matrimonium. In eo tantum casu posset ex concubinis haereticis unam eligere si nec cum priori, nec cum alia legitimo vinculo uniretur, renovato consensu: curandum tamen esset ut et ipsa catholica fiat, nisi videatur concedenda dispensatio ab impedimento mixtae religionis, quae iustis de causis tribuitur. Sed in casu quod omnes verae concubinae probarentur, melius eligenda sibi esset aliqua catholica. Hoc committitur zelo et prudentiae missionarii. Infidelis vero si frui velit dicto privilegio post baptisma, si unam tantum eamque legitimam habuerit uxorem, eam interpellare tenetur.

1. An velit converti ; 2. An saltem cohabitare pacifice absque iniuria Creatoris. Utrique aut alteri assentientem accipiet prout iura statuunt. Idipsum dicendum de muliere quae converti vellet ; et in hoc ad paria iudicantur coniuges infideles.

Sed pro polygamis infidelibus specialis concessio facta fuit in favorem fidei, nimirum quod illa interpellatio fieri debet quoad primam partem, scilicet *an velit converti* tantum. Renuente prima uxore poterit quamlibet ex aliis eligere, dummodo et illa fidelis fiat, renovato consensu. Hisce enim verbis exprimitur praefata facultas missionariis elargita « dispensandi cum gentilibus et infidelibus plures uxores habentibus, ut post conversionem et baptismum, quam ex illis maluerint, si etiam ipsa fidelis fiat retinere possint, nisi prima voluerit converti. » Itaque huic priori uxori tribuitur plenius ius nuptiale, quae idcirco, si convertatur, remanere poterit in legitimo coniugio dummodo absque iniuria Creatoris : at si velit frui paulino indulto interpellationem faciet prout supra notatur, nec ab hac regula possunt missionarii pro lubito deflectere, sed si quid notatu in contrarium dignum repererint, S. Congregationi fidelissime referent.

S. C. S. Officii 3 Aprilis 1889 — Vic. Ap. Victoriae Nyanzae
Dubium de valore matrimonii.

In his regionibus Buganda duplex est unio maris et foeminae inter infideles. Alia est' in qua mulier a parentibus vel propinquis viro traditur praecise ad effectum matrimonii, servatis quibusdam caeremoniis, et plerumque ipsa consentiente, vel etiam expresse, admissa tamen possibilitate divortii vel polygamiae. Et haec videtur verum matrimo-

nium, posilo mutuo consensu. — Alia vero est unio quae ita fit: Vir mulierem acquirit mera emptione vel donatione, non praecise ad effectum matrimonii, sed ut vera res possessa et empta quae vendi potest ut vera merces (in his enim regionibus servae ut res possessionis et mercatus considerantur) ; vir autem cum ea muliere, casu dato, rem habet cum ea cohabitando vel per plures menses, vel plures annos, vel etiam tempore indeterminato, aut perpetuo, prout ei placuerit, utendo et fruendo re sua, nullum tamen ius in re ei conferre intendens, nec ullum consensum ab ea petens, cum eam velut plene possessam viris et consensus incapacem existimet. Nec mulier ullum consensum dare videtur, cum seipsam incapacem existimet. Quaeritur: haec unio ultima estne verum et indissolubile matrimonium?

2. Iuvenis infidelis, cum in principem vel magnatem eligitur, plures accipit uxores, quae ei vel diversis diebus vel etiam eadem die vel momento in unum traduntur ; nullam vero accipit prae aliis cum speciali titulo et dignitate uxoris. Quaeritur an detur vera uxor.

R. Ad 1. Quoad primum contrahendi modum, matrimonium esse validum, dummodo contractum non fuerit sub expressa conditione divortii. — Quoad vero secundum contrahendi modum, matrimonium esse nullum.

Ad 2. Non adesse verum matrimonium.

S. C. de Prop. Fide - C. G. 23 Augusti 1852
Dubium quoad matrimonium impedimenti criminis.

Vir infidelis qui ante Baptismum copulam habuit cum infideli uxore alterius, cui, annuente muliere fidem de futuro matrimonio acceptante, mortem intulit, potestne post utriusque baptismum matrimonium inire cum dicta muliere?

2. Possuntne hoc matrimoninm contrahere si, quando patrarunt ista crimina, una pars fuerit christiana?

R. 1. Affirmative.

Ad 2. Negative.

LITTERAE SSmi D. N. Leonis XIII ad Emum Gibbons Archiepiscopum Baltimoren, quibus firmantur decreta iam edita quoad scholas paroeciales.

Clara saepenumero edidimus argumenta tum sollicitudinis qua tenemur erga fideles sacrorumque Antistites foederatarum Americae septemtrionalis civitatum, tum singularis benevolentiae qua partem istam Dominici gregis complectimur. Ad haec illud accessit haud sane obscurum animi Nostri testimonium, quod ad vos miserimus Delegatum Nostrum Venerabilem Fratrem Franciscum Archiepiscopum tit. Naupactensem, virum egregium, doctrina non minus quam virtute praestantem ; prout vos ipsi, in proximo Archiepiscoporum conventu Neo-Eboraci habito, palam testati estis, ita confirmantes fiduciam, quae in prudentia eius a Nobis fuerat collocata. Ipsius autem legatio eo valuit primum ut publicum a Nobis extaret testimonium et propensae voluntatis erga patriam vestram et magnae existimationis erga eos qui istic reipublicae cum potestate praesunt : nomine enim Nostro adfuturus ille erat .in dedicatione amplissimae copiae excellentium omne genus rerum in urbe Chicago expositae, cuius et Nos participes extitimus, a praesidibus iisdem comiter invitati. At eiusdem vero legationis hoc praeterea fuit propositum ut perpetua fieret quodammodo Nostra apud vos praesentia, Delegatione Apostolica permanente Washingtonii constituta. Quo facto luculenter declaravimus non modo nationem vestram perinde a Nobis diligi atque alias maxime florentes, ad quas viros cum auctoritate legare consuevimus, sed etiam a Nobis vehementer optari ut vestrum istorunique fidelium mutuae ad Nos coniunctionis vincula, tamquam filiorum ad patrem, arctiora in dies consistant. Nec leve quidem cepimus ex eo solatium quod novum hoc Nostrae erga vos providentiae iudicium communis istic secuta sit gratiae in Nos studiique significatio.

Iamvero pro paterna in vos sollicitudine Nostra hoc. in mandatis praecipue dedimus ipsi Archiepiscopo Naupactensi, ut omnem conferret operam et fraternae caritatis industriam ad omnia evellenda dissidii germina in controversiis nimis cognitis de recta catholicae iuventutis institutione; cui dissidio per id tempus addebant faces vulgata quaedam doctrinae capita et sententiae de quibus concitata erat ultro citroque disputatio. Mandatis hisce Nostris omnino paruit idem Ven. Frater, ac Nov. mense

superioris anni Neo-Eboracum perrexit, quo tecum, dilecte Fili Noster, ceteri convenerant regionis istius Archiepiscopi, desiderio Nostro obsecuti, quod erat a Nobis per Sacram Congregationem de Propaganda Fide significatum, ut, consultis antea suffraganeis suis, consilia conferrent ac deliberaret de optima ratione prospiciendi pueris fidelibus qui pro scholis catholicis Gymnasia celebrent publica. Quae sapienter a vobis in eo conventu decreta sunt placuere eidem Archiepiscopo Naupactensi, qui, collaudata pro merito prudentia vestra, censuit optimas ex iis scitis utilitates esse manaturas. Quod Nos iudicium perlibenii animo confirmamus, et iustas Tibi ceterisque Praesulibus tecum congressis laudes tribuimus, quod opportune consilio et expectationi Nostrae respondentis. Eo autem tempore idem Venerabilis Frater quum vellet, ut Nobis in optatis erat, quaestiones praeciclere de recta iuventutis institutione, de qua, iam diximus, incensis animis acrique partium studio, editis etiam scriptis, certabatur, propositiones quasdam vobis exhibuit ab se concinnatas, duplicem attingentes ordinem quo scientia veritatis et actio vitae continetur. Quarum vim et pondus propositionum quum graviter perpendisset Archiepiscoporum coelus, et quasdam in eis declarationes emendationesque petiisset, utrumque Naupactensis Antistes alacer praestitit. Quo facto spectabilis idem coetus finem fecit sessionum, aperiens grati animi sensus profitensquc probari sibi eam agendi rationem, qua ille partibus singularis muneris a Nobis crediti erat perfunctus. Explorata haec omnia habuimus *ex eiusdem actis conventus quae deferenda Nobis euravistis.*

Verum enimvero eae ipsae Delegati Nostri propositiones quum in vulgus importune editae essent, continuo inflammatis animis novae excitae sunt controversiae, quae tum falsis interpretationibus, tum insimulationibus malignis per ephemerides diffusis, latius graviusque exarserunt. Tunc quidam sacrorum Antistites regionis vestrae, sive quod interpretationes aegre ferrent quibus nonnullae ex iis propositionibus explicabantur, sive quod consectaria metuerent quae inde ex ipsorum sententia ad animarum perniciem deduci possent, confidenter causam Nobis aperuerunt anxietatis suae. Nos autem memores animarum salutem supremam esse legem, quam Nos in primis spectare oportet, simulque optantes novum vobis offerre pignus sollicitae caritatis Nostrae, unumquemque voluimus vestrum, datis

privatis litteris, suum ea de re iudicium liberrime Nobis patefacere : quod singillatim a vobis actum est diligenter.

Hisce Nos exspensis litteris facile comperimus quosdam ex vobis nihil omnino in eis ipsis propositionibus deprehendisse quod timoris causam afferret; quibusdam vero videri per eas propositiones ex parte abrogatam legis disciplinam scholasticae quam Synodi Baltimorenses- sanxerunt, adeoque iniectum sibi esse metum ne diversa illarum interpretatio tristia foret paritura dissidia, unde scholae catholicae caperent detrimenta.

Rem Nobis graviter ponderantibus profecto persuasum est huiusmodi interpretationes alienas prorsus esse a mente delegati Nostri, ut nimirum a sententia procul absunt huius Apostolicae Sedis. Sane praecipuae ab eo allatae propositiones e decretis haustae sunt Concilii Baltimorensis III, statuuntque imprimis provehendas esse studiosissme scholas catholicas, iudicioque et conscientiae Ordinarii permittendum, qui pro re nata decernat quando fas nefasve sit scholas publicas adire. Iamvero si quovis in sermone sic accipienda sunt ea quae fuerint enuntiata posterius, ut iis congruant, non adversentur quae antea sint dicta, plane dedecet nec aequum est ita secunda explicari ut a prioribus discrepent. Idque eo vel magis valere debet quod scribentis mens nullo modo lateret obscura. Siquidem cum propositiones ille proferret suas in spectabili coetu Neo-Eboracensi, testatus est diserte *(quod quidem patet ex actis)* admirari sese pastorale studium Episcoporum Americae septentrionalis propter decreta plena sapientiae, quae in tertia Synodo Baltimorensi, ad incrementa causae de catholica iuventutis institutione, fuerant promulgata. Adiecit porro, ea decreta, prout generalem tradunt agendi normam, *fideliter* esse servanda: ac licet publica gymnasia penitus improbanda noi) sint (possunt enim casus incidere, ut Synodus ipsa perspexerat, quibus ea licet celebrare) omni tamen ratione et ope connitendum esse, ut scholae catholicae quamplures sint numero omnique re ornatae ac perfectae.

Ceterum ne qua subsit in posterum ambigendi ratio vel opinionum dissensio in tanta rei gravitate, quemadmodum iam declaravimus in litteris Nostris, die XXIII Maii anno superiore datis ad Venerabiles Fratres Archiepiscopum et Episcopos provinciae ecclesiasticae Neo-Eboracensis, sic iterum declaramus, quatenus opus sit, constanter servanda esse decreta quae, prae-

monente Apostolica Sede, in Synodis Baltimorensibus super scholis paroecialibus statuta sunt, et quaecumque alia a romanis Pontificibus sive directe sive per Sacras Congregationes praescripta sunt in eadem causa. Ex quo certa nitimur spe (quam vestra erga Nos et Apostolicam Sedem studia maxime fovent) nihil obfuturum, quominus, sublata quavis vel causa erroris vel anxietate, operam daturi sitis, coniunctissimis in caritate perfecta animis, ut in ista quae latissime patet terrarum orbis parte magis magisque regnum Dei propagetur. Dum autem naviter incumbitis ad curandam Dei gloriam et creditarum vobis animarum salutem, iidem contendite vestris prodesse civibus addictamque patriae voluntatem probare, ut facile intelligant qui rem publicam administrant quam validum suppetat in catholica Ecclesia praesidium ad tuendum civitatis ordinem et populi prosperitatem augendam.

Quod vero ad Te nominatim attinet, dilecte Fili Noster, pro certo habemus Te studiose curatorum, ut quos tecum communicare animi sensus censuimus, ii ceteris pariter innotescant Venerabilibus Fratribus, qui in civitatibus istis sunt foederatis, simulque adnisurum pro viribus ut sedata ac peniius^dirempta, prout optatissimum est, controversia, animi quos ea concitaverat in mutua benevolentia conquiescant. Testem interea dilectionis Nostrae^ Apostolicam Benedictionem Tibi, eisdem Venerabilibus Fratribus, Clero et fidelibus vigilantiae vestrae commissis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 31 Maii an. MDCCCXCIII. Pontificatus Nostri decimo sexto.

EPISTOLA SSmi D. N. Leonis XIII de Collegiis Clericorum in Indiis orientalibus instituendis.

Ad extremas Orientis oras, Lusitanorum felicitate virtuteque exploratas, quo tam multi quotidie aspirant ad opulenta commercia, Nos quidem, rerum longe maiorem spe proposita, iam inde ab exordio pontificatus mentem et cogitationem appulimus. — Observantur animo caritatemque in Nobis vehementer excitant immensa illa *Indiarum* spatia, in quibus, tot iam saecula, evangelicorum virorum desudat labor. In primisque beati Tho-

mae Apostoli venit in mentem, qui promulgati ad Indos Evangelii iure fertur auctor : itemque Francisci Xaverii, qui longo intervallo in eamdem laudem acriter incubuit, constantia et caritate incredibili assecutus ut centena Indorum millia ad sanam religionem et fidem a Brachmanarum fabulis atque impura superstitione traduceret. Sanctissimum virum complures ex utroque ordine Cleri, auctoritate missuque Sedis Apostolicae, postea subsecuti, christiana sacra et instituta, quae Thomas intulit,, quae Xaverius instauravit, tueri ac provehere diligenter conati sunt, hodieque conantur. Nihilominus tam vasto terrarum tractu quanta vis mortalium adhuc abest a vero, misera superstitionis-circumiecta tenebris ! quantus nominatim ad septentriones, ager ad accipiendum Evangelii semen nondum ratione ulla subactus!

Ista reputante animo, plurimum quidem benignitate misericordiaque confidimus Salvatoris nostri Dei qui opportunitates maturità tesque impertiendi luminis sui unus novit, quique hominum mentes ad rectum salutis iter occulto aurae caelestis afflatu solet impellere : at vero, quoad in Nobis est, dare operam volumus et debemus ut tanta pars orbis aliquem vigiliarum Nostrarum sentiat fructum. — Hoc proposito, cum intentum animum haberemus si qua ratione rem christianam in Indiis Orientalibus ordinare aptius atque augere fas esset, nonnulla felici exitu constituimus, incolumitati catholici nominis profutura. Primum sane de patronatu Lusitanae gentis in Indiis Orientalibus regundo, cum fidelissimo Portugalliae et Algarbiorum rege, data acceptâque fide, rite pacti sumus. Eoque facto dissidia illa profecto non levia, quae tam diu christianorum distraxerant animos, sublatis contentionum causis, quievere. Maturum praeterea ac salubre iudicavimus, ex singulis christianorum communitatibus, quae Vicariis Praefectisve apostolicis antea paruerant, Dioeceses veri nominis conflari, quae suos haberent Episcopos, ac iure ordinario administrarentur. Propterea, per Litteras apostolicas *Humanae salutis,* die 1 Sept. an. MDCCCLXXXVI datas, nova in illis regionibus Hierarchia constituta est, quae octo ecclesiasticis provinciis continetur, scilicet Goana, titulo patriarchali ad honorem aucta, Agraensi, Bombayensi, Verapolitana, Calcuttensi, Madraspatana, Pondicheriana, Columbensi. Denique quiquid illic frugiferum saluti fore, quidquid expedire ad incrementa pietatis et fidei intelligamus, efficere per sacrum Consilium Nostrum christiano nomini propagando constanter studemus.

Sed tamen res est una reliqua, unde Indiarum salus magnopere pendet, ad quam rem vos, Venerabiles Fratres, et quotquot humanitatem diligunt nomenque christianum, volumus maiorem in modum attendere. Scilicet fidei catholicae apud Indos intuta incolumitas est et incerta propagatio tamdiu futura, quoad Clerus desiderabitur lectus ex ***indigenis*** ad munera sacerdotalia probe institutis, qui non solum adiumento esse sacerdotibus peregrinis, sed ipsimet in civitatibus suis rem christianam administrare recte queant, Proditum est memoriae, hanc ipsam insedisse sententiam Francisco Xaverio, quem negare aiunt solitum, rem christianam constare in India posse firmiter, nisi assidue incumbentibus piis strenuisque sacerdotibus India natis. Eaque ille in re quam acute viderit, facile apparet. Nam apostolicorum virorum operam, qui ex Europa advehuntur, multa praepediunt, maxime vero vernaculi inscientia sermonis, cuius perdifficile est arripere cognitionem; itemque insolentia institutorum atque morum, quibus ne longo quidem tempore assuescitur : ita ut necesse sit, europaeos Clericos illic ut in alieno loco versari. Quapropter cum aegre se multitudo credat peregrinis, perspicuum est, sacerdotum indigenarum longe futuram fructuosiorem operam. Explorata enim habent studia, ingenium, mores gentis suae : norunt loquendi, norunt tacendi tempora : denique Indi inter Indos sine ulla suspicione versantur : quod vix attinet dicere quanti sit, maxime in rebus trepidis.

Deinde oportet animadvertere, Missionarios peregre advectos multo pauciores esse, quam ut excolendis iis, quae nunc sunt, christianorum communitatibus sufficiant. Id plane eminet ex tabulis Missionum : ex eoque confirmatur quod Missiones Inclicae a sacro Consilio christiano nomini propagando alios atque alios Evangelii praecones implorare et flagitare non desinunt. Iamvero si culturae animorum ne in praesens quidem sunt pares sacerdotes externi, quid in posterum, aucto christianorum numero? neque enim spes est fore ut eorum, quos Europa mittit, crescat pro portione copia. Igitur si placet Indorum saluti consulere, nomenque christianum in spem diuturnitatis fundare in illa infinítate regionum, legere ex indigenis opus est, qui muneribus officiisque sacerdotalibus, diligenti praeparatione adhibita, perfungantur.

Tertio loco illud non est praetereundum, quod abest quidem a veri similitudine plurimum, sed tamen fieri aliquando posse

nemo negaverit : nimirum talia posse in Europa Asiave incidere tempora, ut vi ac necessitate cogantur Indias destituere sacerdotes advenae. Quo facto, si Clerus indigena desit, qui posset religio salva consistere, nullo nec administro sacrorum nec magistro disciplinae ? Satis aperte hac de re historia loquitur Si-, nensium, Iaponiorum, Aethiopum. Scilicet plus semel apud Iaponios, apud Sinenses, incumbentibus nomini christiano odiis cladibusque, inimica vis, necatis vel in exilium actis sacerdotibus externis, pepercit nativis : qui linguam moresque patrios apprime docti, et propinquitatibus amicitiisque subnixi, non modo impune manere in patria, sed rem sacram administrare, et officia quae ad regendos animos pertinent, libere exequi in omnibus provinciis potuerunt. Contra in Aethiopia, ubi iam christiani ad biscentum millia numerabantur, cum Clerus indigena nullus esset, caesis vel pulsis Missionariis europaeis, diuturni laboris fructum subitaria insectationis procella funditus sustulit.

Denique respicienda antiquitas est, quodque olim salubriter institutum videmus, id religiose servandum. Iamvero in apostolici perfunctione muneris, primum quidem imbuere christianis praeceptionibus multitudinem : mox lectos ex popularibus nonnullos mitiare sacris, et ad ipsum episcopatum evehere, fuit in more positum institutoque Apostolorum. Quorum postea secuti exemplum romani Pontifices, in mandatis dare apostolicis viris perpetuo consueverunt ut ubi christianorum communitas satis ampla coaluisset, ibi Clerum ex indigenis deligere omni ope contenderent. Ut igitur incolumitati et propagatione catholici nominis apud Indos consultum sit, Indos instituere ad sacerdotium oportet, qui videlicet procurare sacra ct popularibus suis christianis praeesse, qualiacumque tempora incubuerint, commode possint.

Hac quidem do caussa, Praefecti Missionum Iudicarunt, consilio hortatuquc Sedis Apostolicae, collegia Clericorum, ubicumque facultas fuit, condidcre. Immo vero in Synodis Columbcnsi, Bangalorensi, Allahabadcnsi, ineunte anno MDCCCLXXXVII habitis, decretum est, ut Dioeceses singulae suum habeant Clericis indigenis instituendis Seminarium : si qui ex Episcopis suffraganeis suum habere inopia prohibeatur, in metropolitano Clericos dioecesanos alat suis sumptibus. Ista quidem salubriter decreta efficere Episcopi pro viribus nituntur : sed in eorum

egregiam voluntatem transversa incurrit angustia rei familiaris, et penuria sacerdotum idoneorum, qui studiis praesint sapienterque regant disciplinam. Quare vix aut ne vix quidem Seminarium est ullum, in quo institutio alumnorum expleta cumulataque habeatur: idque hoc tempore, cum rerum civilium Gubernatores et Protestantes non exiguo numero nullis parcunt nec impendiis nec laboribus, ut omnis erudiatur subtiliter ac polite iuventus.

Illud igitur perspicitur, quam sit opportunum, quam saluti publicae consentaneum, constituere in Indiis Orientalibus Collegia quaedam, ubi iuvenes incolae in spem Ecclesiae adolescentes erudiantur ad omnem elegantiam doctrinae ad easque virtutes, sine quibus nec sancte nec utiliter exerceri sacra munera queunt. Amotis dissensionum caussis per pacta conventa, ordinata que administratione Dioeceseon per Hierarchiam ecclesiasticam, si licuerit Nobis, quod propositum est, institutioni Clericorum apte consulere, quasi fastigium operi videbimur imposuisse. Nam conditis semel, uti diximus, Clericorum seminariis, certa spes esset, sacerdotes idoneos magna copia inde extituros, qui pietatis doctrinaeque lumen late hinderen t, quique in disseminanda Evangelii veritate praecipuas industriae suae partes scienter insumerent. — In opus tam nobile, idemque infinitae mortalium multitudini saluti futurum, dignum est, aliquam Europaeus conferre operam ; praesertim quod pares esse magnitudini sumptuum soli non possumus. Christianorum est homines universos, ubicumque degant, in fratrum habere loco, et alienum a caritate sua putare neminem : idque in iis rebus maxime, in quibus proximorum vertitur sempiterna salus. Quamobrem petimus a vobis magnopere, Venerabiles Fratres, ut consilium et conata Nostra re adiuvare, quantum in vobis est, velitis. Date operam ut in comperto sit rei catholicae in tam remotis regionibus conditio : efñcitc ut vulgo intelligant, conari aliquid pro Indiis oportere : idque maxime sentiant ii, qui posse bcneficcntia uti, optimum putant pecuniae fructum.

Munificam populorum vestrorum voluntatem haud frustra Nos imploravisse, certo scimus. Si maior liberalitas fuerit quam sumptus in Collegia supra dicta necessarii, quidquid erit ex aere collato reliqui in alia utiliter pieque coepti! curabimus crogandum.

Coelestium munerum auspicem ac paternae Nostrae bene-

volentiae testem vobis Venerabiles Fratres, et Clero populoque vestro Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

Dat. Romae apud S. Petrum die XXIV Iunii an. MDCCCXCIII Pontificatus Nostri decimo sexto.

LEO PP. XIII.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

De Consistorio habito die 12 Iunii 1893.

Sanctissimus Pater die 12 Iunii habuit consistorium secretum, in quo creavit ac publicavit Cardinales S. Romanae Ecclesiae — *ex ordine Presbyterorum* Rev. P. D. Victorem Lucianum Sulpitium Lécot, Archiep. Burdigalen. — R. P. D. Iosephum Mariam Granniello e Clericis regularibus S. Pauli — R. P. D. Iosephum Christianum Ernestum Bourret Episcopum Ruthenen. — R. P. D. Laurentium Schlauch, Episcopum Magno-Varadinen. — R. P. D. Iosephum Sarto, Episcopum Mantuae. Postea SSmus Pater proposuit sequentes Ecclesias :

Cathedralem Ecclesiam Suburbicariam Tusculan. vacan, per obitum clar. me. Thomae dum viveret S. R. E. Episcopi Cardinalis Zigliara, ultimi illius Antistitis apud romanam curiam defuncti; quam optavit Emus ac Rmus Dominus Seraphinus Titulo S. Hieronymi Illiricorum, ipsius S. R. E. Presbyter Cardinalis Vannutelli, Archiepiscopus Bononiensis, praedicto Titulo Presbyterali dimisso.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Damiaten. vacan, per assignationem Tituli S. Petri ad Vincula faciem Emo ac Rmo Domino Ignatio S. R. E. Presbytero Cardinali Persico, favore R. P. D. Andreae Ajuti, Archiepiscopi Achridani.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Antiochen. Pisidiae certo modo va-can tem, favore R. P. D. Henrici e Marchionibus de Rossi, Episcopi Casertani.

Metropolitanam Ecclesiam Ferrarien. vacan, per obitum clar. mem. Aloisi dum viveret S. R. E. Presbyteri Cardinalis Giordani, postremi illius Archiepiscopi extra romanam curiam defuncti; favore R. P. Fr. Aegidii Mauri ex Ordine Praedicatorum, Episcopi Auximani ac Cingulani.

Titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Philippopolitan. favore R. P. D. Macarii Sorini Episcopi Fabrianensis ac Mathelicensis.

Cathedralem Ecclesiam Reinen, vacan, fper translationem ad Sedem Aretinam R. P. D. Domnini Donnini ; favore R. P. D. Amilcaris Tonietti Episcopi Massensis.

Cathedralem Ecclesiam Aesin. vacan, per obitum bo. me. Rambaldi Magagnini, ullimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti; favore R. P. D. Aurei ii Zonghi, Episcopi Septempedani, seu Sancti Severini.

Cathedralem Ecclesiam Signin. vacan, per obitum bo. me. Blasii Sibilia, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Costantini Costar e Congregatione SSmae Crucis et Passionis D. N. I. C, Episcopi Antipatridis,

Cathedralem Ecclesiam Lucerin. vacan, per obitum bo. mem. Carmeli Ciotola, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. P. D. Iosephi Consenti, e Congregatione SSmi Redemptoris, Episcopi Nuscani.

Cathedralem Ecclesiam Fodiam vacan, per promotionem R. P. D. Dominici Marinangeli ad sibi invicem aeque principaliter unitas Sedes Metropolitanas Tranensenrac Barolensem cum titulo Archiepiscopali Nazareno et cum perpetua administratione Episcopalis Ecclesiae Vigiliensis, favore R. D. Caroli Mola Presbyteri Neapolitanae Congregationis S Philippi Nerii. R. D. Carolus Mola ex legitimis catholicis, honestisque parentibus Neapoli progenitus et in sexagesimo primo aetatis suae anno constitutus, Congregationi Oratorii S. Philippi Nerii inibi adscriptus in peragendis Ecclesiasticis functionibus, signanter Dei verbum praedicando et sacramentales utriusque sexus confessiones excipiendo, luculenter emicuit, et Cleri Revisor renunciatus est.

Cathedralem Ecclesiam Puteolan. vacan, per obitum bo. me. Ianuarii de Vivo, ultimi illius Episcopi extra romanam curiam defuncti favore R. P. D. Michaelis Zezza Zapponeta, Episcopi titularis Calidoniensis et Emi Archipraesulis Neapolitani. Auxiliaris..

Cathedralem Ecclesiam Ñuscan, vacan, per translationem ad Sedem Lucernam R. P. D. Iosephi Consenti e Congregatione SSmi Redemptoris, favore R. P. D. Aemilii Todisco-Grande Episcopi Arcadiopolis

Cathedralem Ecclesiam Septempedanam, seu S. Severini, vacan, per translationem R. P. D. Aurelii Zonghi ad Sedem Aesinam, favore R. D. Iosue Biechi, Presbyteri Tifernatensis, seu Civitatis Castelli dioeceseos. R. D. Iosue Biechi ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in terra S. Iustini Dioecesis Tifernatensis progenitus, et in quinquagesimo aetatis suae anno constitutus, Alumnis Pontificii Seminarii Pii adiunctus, ibique Presbyteratus ordine, in sacra theologia et in utroque iure dudum doctorali laurea donatus, Basilicae Cathedralis Tifernatensis Canonicus Theologus adlectus, Vicarii Generalis munere perfunctus est.

Cathedralem Ecclesiam Casertan. vacan, per promotionem R. P. D. Henrici ex Marchionibus de Rossi ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Antiochenam Pisidiae, favore R. P. D. Ianuarii Cosenza Episcopi Titularis Dioclensis.

Cathedralem Ecclesiam Anglonensem-Tursiensem vacan, per obitum bo. me. Rochi Leonasi, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Seraphini Angelini, Presbyteri Marsorum Dioecesis. R. D. Seraphim Angelini ex legitimis, catholicis honestisque parentibus in terra Carseolarum, ***Carsòli,*** dioecesis Marsorum progenitus et in quadragesimo quinto aetatis suae anno constitutus, Archipresbyteri-Curaii officio in patria ad praesens usque addictus est. Interim Vicarii Foranei, Examinatoris pro-Synodalis Episcopalis Convisitatoris, ac postremo Marsorum seminarii, ubi theologiam dogmaticam atque moralem scite edocuit, perfunctus est muneribus.

Cathedralem Ecclesiam Pannen, vacan, per obitum bo. me. Ioannis Andreae Miotti, ultimi illius Episcopi, extra romanam curiam defuncti, favore R. D. Francisci

Magàni, Presbyteri Papiensis. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Papiae progenitus et quintum supra sexagesimum aetatis suae annum supergressus, doctorali laurea in sacra theologia dudum insignitus, inter Sanctitatis Suae Cubicularios ad honorem adnumeratus est

Cathedralem Ecclesiam Usellen. vacan, per translationem ad Melropolitanam Sedem Arborensem R. P. D. Francisci Zunnui Casula, favore R,. D. Palmerii Garau Presbyteri Calaritanae Archidioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in oppido de Samassi archidioeceseos Calaritanae progenitus et in sexagesimo octavo aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia doctorali laurea dudum donatus, Calaritani Capituli Canonicus prius renunciatus, ct ad praesens usque principe Decanatus dignitate cohonestatus est.

Cathedrales Ecclesias Isernien ac Venafran. invicem perpetuo canonice unitas vacan, per translationem R. P. D. Francisci Pauli Carrano ad Ssdem Aquilanam, favore R. D. Nicolai Merola Presbyteri Asculi Satriani. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus Asculi Satriani progenitus, ei in quinquagesimo nono aetatis suae anno constitutus, inter Synodales Examinatores adscitus, ad praesens pro-Vicarii in spiritualibus generalis munere perfunctus est.

Cathedralem Ecclesiam Oleastren vacan, per translationem R. P. D. Antonii Mariae Contini ad sibi invicem unitas Sedes Ampuriensem ac Tejmplensem, favore R. D. Salvatoris Depau, Presbyteri Oleaslrensis dioeceseos. Qui ex legitimis, catholicis, honestisque parentibus in Ulassai Oleastrensis dioeceseos progenitus et in sexagesimo secundo aetatis suae anno constitutus, in sacra theologia dudum doctorali laurea donatus, in oppido Ilbono Vicarium agens parochialem, Oleastrensis Cathedralis Archipresbyter cum animarum cura ad praesens usque renunciatus est.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Canopen. sub Patriarcha Alexandrino vacan, per translationem R. P. D. Nicolai Aloisii Gallagher ad Sedem Galvestoniensem, favore R. D. Ferdinandi Cleri, Presbyteri Nuscanae dioecesis; qui etiam deputatus fuit in Coadiutorem, cum futura successione, R. P. D. Iosephi Mariae Cione, Episcopi Policastrensis.

Titularem Ecclesiam Episcopalem Arabissen. sub Archiepiscopo Melitensi vacan, per translationem ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Sebasten. R. P. D. Placidi Ludovici Chapelle, Coadiutoris cum futura successione Archi praesulis Sanctae Fidei in Statibus confoederatis Americae, favore R. D. Gulielmi Stagno e principibus de Alcontres, Presbyteri Messanensis ; qui etiam deputatus fuit in Auxiliarem Rmi ac Emi Dni Iosephi, Titulo S. Thomae in Parione, S. R. E. Presbyteri Cardinalis Guarino Archiepiscopi Messanensis. R. D. Gulielmus Stagno ex legitimis, catholicis, nobilibusque^ parentibus Messanae progenitus, et in quinquagesimo secundo aetatis suae anno constitutus, Messanensis Capituli ad haec usque tempora Canonicus renuntiatus est.

EX S. CONGREGATIONE CONCILII

MONTISALTI

COMMUTATIONIS ET REDUCTIONIS ONERUM

Die 28 Ianuarii 1893.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Sacerdos Lucas Siliquini, rector ecclesiae paroecialis S. Petri Apostoli pagi Castineani, exposuit : propriam paroeciam habere territorium ex decem ehilometris cum 2403 animabus, et cum reditu lib. 500: in huius paroeciae administratione coadiuvari ab uno cappellano, cum onere tantum adsistendi infirmis moribundis ; dum ante huius gubernii civilis institutionem, opera sex, praebendatorum coadiuvaretur, praeter dictum cappellanum: integro servitio quoque spirituali populi non fieri satis, quum omne desit auxilium. Duo tamen pia sodalitia annexa esse paroeciae ; quibus coniunctim cum Sacristia Ecclesiae paroecialis, inest onus 443 Missarum, pro quibus libellae 510,95 rependuntur. Tribuunt praeterea sodalitia lib. 120 cappellano et lib. 27 sacristano; ita ut onera omnia ascendant ad lib. 657,95. Qua de re humilis orator expetit, ut missae reducantur ad duas in quolibet mense etc. Aliaque huius generis petiit Orator „ ut satius consuleretur animarum sibi commissarum bono.

Rogatus Episcopus ut, auditis sodalibus rite congregatis, suetam informationem et votum S. C. transmitteret, haec paulo post scribere satagebat : « Sodalitas SSmi Sacramenti et Rosarii terrae Castineani rite congregata die 11 mensis currentis, cunctis suffragiis probavit instantiam, Sacrae isti Congregationi porrectam a parocho S. Petri Luca Siliquini. Et reapse iis in adiunctis ea paroecia versatur ut nisi saltem duo presbyteri oratori adiungantur, qui ipsum adiuvent in obeundis muniis parochialibus, valde timendum sit, ne tractu temporis res peiores fiant ac ipse parochus exposuit. Censerem proinde, si ita quoque EE. VV. Rmis visum fuerit, probari posse consilium, quod ipse in suis precibus manifestavit ».

Disceptatio Synoptica.

PRECES RBIICIENDAE VIDENTUR. Commutationem voluntatis et praesertim missarum reductionem uti per se odiosam et piarum dispositionum eversi vam a sacris canonibus improbari palam est. *Can. ultima voluntas, causa 13 quaest. 2; I. 2 Cod. de sacros, eccl. Clement. Quae contingit de religiös, dom.* Concil. Trid. *sess. 22 cap. 6 De reform.* Sacra autem haec Congregatio Synodi Tridentinae sanctionibus inhaerendo valde semper sollicita fuit, ut praescripta missarum sacrificia in animarum expiationem adamussim litarentur, et ut sancte ac religiose custodirentur piae dispositiones, quas nec in opus melius, ubi commode impleri possint, immutari permittit, eeu videre est in Florentina *Reductionis onerum 26 Augusti 1820,* in Tolentina *Commutationis voluntatis 22 Aprilis 1826,* in Praenestina *Reductionis diei 28 Ianuarii 1854,* aliisque pluribus. Propius autem ad rem recolere praestat, S. C. C. in Senen. *Reductionis missarum et erectionis cappellaniarum 19 Iulii 1828,* ad I Dubium respondisse, non expedire reductionem missarum ex pluribus legatis ecclesiae metropolitanae proficiscendum, quam Archiepiscopus postulaverat ut binae cappellaniae chorales erigerentur, etsi huius erectionis necessitas ad chorale servitium augendum assereretur. Praeterea in themate numerus missarum quarum petitur reductio nimis ingens apparet, cum ex 400 missis, binae tantum quolibet mense celebrandae essent; nec aliunde huius extraordinariae concessionis magna necessitas extra omnem dubitationis aleam posita forsan videri posset.

PRECES EXCIPIENDAE VIDENTUR. Nihilominus contra perpendendum est eamdem Tridentinam Synodum *cap. 6 sess. 2 De reform,* et passim S. C. C. commutationes onerum et •reductiones admisisse, quoties extaret causa iusta et necessaria. Inter has vero compertum est, bonum populi idest animarum salutem praecipuum locum sibi vindicare, ita ut pluries S. C. expresse tenuerit, pia onera reducenda esse sive ad divini cultus maiestatem augendam, sive ad parochorum

inopiam sublevandam, sive ut populus facilius praeceptum audiendi sacrum explere posset, sive demum ad spirituale aliquod auxilium fidelibus procurandum. Spoletana *Unionis et Reductionis 29 Maii 1824,* Calaritana *Reductionis Missarum 13 Septembris 1834,* Brugnaten. *Reductionis 27 Augusti et 17 Septembris 1831 eie* Quod autem hic ad gratiam indulgendam causa iusta et necessaria concurrat eaque in probatis existat, in dubium haud revocari posse videretur post ea, quae tum parochus, cum Episcopus S. C. retulerunt. Ceterum recolendum est in huiusmodi concessionibus, S. C. maximi Ordinarii votum facere solitam fuisse, qui prae omnibus optime informatus de statu suae dioecesis, et de salute ovium sibi concreditarum sollicitus iure censetur.

Hisce breviter praenotatis, quaesitum est quid esset precibus respondendum.

RESOLUTIO. Sacra C C . re discussa sub die *28* Ianuarii 1893 censuit respondere : « *Pro gratia prudenti arbitrio et conscientiae Episcopi* ».

BURDIGALEN.

MATRIMONII

Die 18 Martii 1893.

Sess. 24 cap. 3 De reform, matr.

COMPENDIUM FACTI. Eduardus Guillouzic, dux militum, annorum 39 et Maria Aemilia Henrica Rogues de Fursac annum aetatis suae 30 iam supergressa, diebus 24 et 25 Septembris 1891 epistolas mittebant Vicario generali Burdigalensi, in quibus nullum, ob mulieris impotentiam, declarari matrimonium postulabant, quod die 18 Decembris 1882 in oppido Fontenay-le-Comte in facie Ecclesiae rite contraxerunt.

Coniuges pacifice usque vitae consortium servaverunt, atque etiam, post praefatam petitionem Curiae oblatam, per aliquod breve tempus adhuc simul cohabitasse videntur.

Archiepiscopus Burdigalensis die 1 Octobris eiusdem anni pro causa huiusmodi cognoscenda iudicem delegavit D. Tourreau, Vicarium suum generalem , simulque -deputavit sacramenti vindicent et actuarium.

De iuramento ab iis praestito initio processus mentio haud occurrit; verumtamen in sententia a iudice prolata, cum enarrat ur ab Archiepiscopo constitutum fuisse defensorem matrimonii et notarium, additur: « qui quidem munera sibi credita rite adimplendi iuramentum, tactis Evangeliis praestiterunt ».

Eduardus et Maria in iudicio confessionem suam ediderant die 28 Decembris 1892, cum et testes utriusque septimae manus audiendos designarunt. Hi vero successive in variis dioecesibus, ubi degebant, interrogati fuerunt. Attamen notandum est, eos coram respectivis vicariis generalibus deposuisse, quin umquam subdelegatus matrimonii defensor et plerumque nec actuarius examini adfuerit. Praeterea ex testibus septimae manus nonnulli citati minime fuerunt. Inspectio demum corporis Mariae facta fuisse videtur die 2 Ianuarii 1892, qua die duo medici Denuce et Le Barillier derillier declarationem suam scriptis exararunt et a iudice interrogati sunt. De modo tamen et loco quo ea habita fuerit, peculiaris mentio in actis deest.

Insuper recolendum est, coniuges Guillouzic interea temporis et civilem potestatem adivisse pro matrimonii sui nullitatis declaratione obtinenda, ac reapse voti compotes effectus fuisse sententia diei 26 Februarii 1892. Ea vero lata fuit super depositionibus trium peritorum Audé, Denucé et Le Barillier; declaratumque fuit nullum matrimonium, ex eo quod neque uterum neque vaginam haberet mulier, ita ut in sententia horum peritorum non esset neque femina, neque homo.

Tandem die 29 Aprilis elapsi anni, iudex delegatus Tourreau processualibus actibus finem imposuit ac pronuntiavit : « nullum fuisse matrimonium contractum a D. Eduardo Guillouzic cum Aemilia Henrica Bogues De Fursac ». A qua sententia sacri vinculi defensor pro suo munere appellat.

Disceptatio Synoptica.

VOTUM THEOLOGI. Causa, quae nunc .proponitur, facillima et simul satis difficilis est, ait Theologus. Facillima quidem, nam videtur nihil reliquum esse nisi ut confirmarentur ea quae in hac causa tanta cum auctoritate ac tanta securitate iam decreta sunt. Et sane, R. D. Tourreau, vicarius generalis, officialis, iudex delegatus ab Archiepiscopo Burdigalensi in causa de qua agitur, scilicet: nullitatis matrimonii inter Dominum Eduardum G-uillouzic et Dominam Mariam Rogues de Fursac, declarans die 29 Aprilis 1892 « nullum fuisse matrimonium contractum a D. Eduardo G-uillouzic cum D. Emilia Henrietta Rogues de Fursac ».

Causa igitur videtur esse clarissima, certissima; nullum dubium nec defensor matrimonii movet : facillima est igitur ad iudicandum. Et tamen id ipsum eam reddit difficilem ; sunt enim quaedam non satis hac in re clarissima, clara, ita ut animus dum dubitare non audet, dubitare simul cogitur. Et primo quidem quantum ad depositiones actorum et testium. Septem testes non astiterunt rigore numeri et propinquitatis.

Et quamvis res consideretur in hac causa peremptorie iecisa a medicis, tamen in ipsis depositionibus actorum et septimae manus sunt quaedam quae explicationem exigèrent.

Actor, D. Eduardus G-uillouzic, videtur dicere, se fuisse leceptum a patre sponsae, qui, ut filiam suam daret illi in uatrimonium occultavit eius impotentiam. Ad quaesitum: Actus praeparatorii matrimonii habentne quae notari deeant? » respondet D. Guillouzic: « Mariae de Fursac pater, t ex testimonio ab ipso scripto constat (testimonium hoc i Actibus desideratur, et tamen esset forsitan alicuius molenti) nihil indicavit de suae filiae defectu nisi signum miimum, cum tamen, audita a me de his fama, veritatem)gnoscendi voluntatem firmam aperte illi aperuissem : filiam ensfruatione carere tantum mihi dixit, quod quidem nullo odo matrimonio obstare potest, cum menstruationis privatio

nihil impedit quin matrimonium suum obtineat finem ». — Uxor vero ad illud ipsum quaesitum respondet : « *Non sine quadam difficultate Patris mei consensum obtinuimus,* quia futurus coniux nobili nomine non gaudebat nullasque habebat opes ». Plane igitur contraria testata est.

Cl. Defensor Matrimonii inter interrogationes faciendas •coniugibus posuit et hanc : « Quid in posterum agere in mente habes, nullitate matrimonii forte declarata ? » quae interrogatio non potest sane habere alium sensum, nisi ut exploretur an actor matrimonium contrahere in animo habeat. D. Guillouzic respondet ad hoc : « Nubere volo » ; Maria de Fursac véro: «*Nullam nunc habeo intentionem* ». Verum est, quod ad quaesitum : « Affirmasne te virginitatem servavisse et vis ne virginitatis tuae testimonium medicinale praebere ? » respondet affirmative ; at nulla hic contradictio, et unum non excludit alterum in hypothesi ex. gr. quod impotentia tantum temporalis foret et tolli arte medicinali posset, inde et matrimonium inconsummatum esset.

Nunc ad testimonium *septimae manus.* Ad quaesitum: an crederent sponsos religiosos, ita ut mentiri nequirent. Ex novem testibus affirmant tantum tres; alii respondent: non satis eosdem sponsos agnoscere ; unus negat hanc qualitatem in viro. Ii qui fortasse magis definitum testimonium dare possent non fuerunt vocati.

Ad quaesitum an scirent si relationes coniugales locum habuerint, nemo ex testibus aliquid certi respondet, praeter unum qui affirmat, se accepisse a patre uxoris, qui ipse a medico acceperat, post examen filiae adhibitum, fuisse impossibile commercium coniugale ex constitutione physica illius mulieris. Alii dicunt nihil scire; et tamen D. Guillouzic affirmat , ante matrimonium se ex rumore cognovisse de impotentia suae sponsae.

Quantum ad ipsam impotentiam, ut in Actibus describitur, haec animadvertenda occurrunt: non liquere de quanam impotentia agatur.

Defensor enim Matrimonii loquitur de impotentia *per ar-*

ctüudinem. Et interrogationes faciendas inscripsit: « *Impotentia per altitudinem* ». Medici vero insistunt absentiae uteri, ovarii, tubarum Fallopianarum et vaginae; de arctitudine loquuntur obiter et transeunter tantum.

Medici videntur potissimum prae oculis habere *sterilitatem,* scilicet impotentiam concipiendi. De incisione quae solet fieri ut tollatur arctitudo ne verbum quidem. Et iure optimo si non quaeratur an mulier impotens apta viro fieri possit per incisionem, sed an concipere valeat.

Ad quaesitum : Copulatio coniugalis fuitne tentata et pluries tentata? respondet maritus: Reipsa copulatio coniugalis tentata fuit et pluries tentata quin fieri potuerit — et uxor : Copulatio coniugalis fuit tentata et pluries tentata usque ad id tempus recens, in quo nunc sumus, id est usque sub finem anni 1891 — per novem annos! — Ad quaesitum: Habuistine discrepationes cum uxore tua? — Nullas unquam. Numquam inter nos concordia et amicitia cessarunt et nunc etiam perseverant respondet maritus. Idem affirmat et uxor. Mirum sane videtur: I° potuisse talis concordia et amicitia perdurare, quum generaliter contrarium evenit in simili casu; et 2° frequentia et tam diuturna tentamina copulae imperfectae non pessumdedisse valetudinem uxoris, et etiam mariti.

Ut finem iam huic discussioni actuum faciam, unum adhuc dicam : perlectis cum debita attentione actibus ad me transmissis, ad hanc persuasionem veni, rem hanc totam praepropere actam esse. Quid mirum si in tanta praecipitantia aliqua non clara irrepserunt?

Ut res ista dilucidetur aliquatenus quaerendum est primum : possimusne certi esse de absentia uteri ? et secundo : si revera desit uterus, consequaturne impotentia ad copulam ideoque nullitas matrimonii?

Quantum ad primam quaestionem lego in « *Disputationibus Physiologico-Theologicis auctore A. E. Doctore in Sacra Theologia. Parisiis 1887* », pag. 109: « Si medicos consulas de hac re, scies quaestionem, utrum mulier aliqua utero vere careat, non tam certo in praxi definiri posse.

Quantum ad secundam adverto impotentiam duplicem esse, unam *coeundi,* alteram *concipiendi* vel *generandi.* « Haec posterior dari potest sine priore, prout fit in senibus, et natura sua vel ex accidenti sterilibus, qui potentes esse ad copulam perfectam possunt, licet ex ea ob ineptitudinem seminis prolem non suscipiant ». *(Schmalzgrueber Ius Eccl. III tit. XV n. 2)*- Impotentiam coeundi « definimus, dicit supra citatus theologus A. E., incapacitatem habendi copulam coniugalem, qua scilicet coniuges una caro fiant, vel magis explicite: inhabilitatem ad copulam, qua mulier intra vas debitum, seu vaginam, virile semen recipiat ». (pag. 108). Inde ex. gr. senibus decrepitis ad generandum impotentibus a nullo negatur usus coniugii: obtinetur enim secundarius coniugii finis: mitigatio ardoris concupiscentiae. Inter impotentias ex parte corporis, quae dirimunt matrimonium passim numerantur in Iure Canonico : defectus testium aut seminis ; si semen extra vas effundatur vel intra vas recipi non possit ; brevitas hastae virilis ; arctitudo mulieris quae absque mortis et gravissimae infirmitatis periculo vel absque peccato tolli non possit; — defectus vero uteri inter has impotentias non invenitur penes Canonistas ; et auctores qui de hac re scripserunt, unum nisi forte eximas P. Debreynium de quo scribit supralaudatus theologus A. E., reiicienda omnino est P. Debreynii sententia.

Ex his omnibus ad hanc conclusionem ducor: non constare de existentia impotentiae in Maria de Fursac, nisi forte ex parte altitudinis, si tolli non posset ; at constat ex actibus causae, hucusque nullum omnino adhibitum remedium, nullum tentamen factum fuisse, ut arctitudo tollatur.

VOTUM CANONISTAE. Cum matrimonii finis a natura, seu potius a naturae auctore praefinitus sit procreatio prolis, ubi iste finis obtineri nequit, contractus super quo Sacramentum fundatur, in nullitatem cadit, idque tum ius naturale, tum ecclesiasticum, tum civile confirmant; quamobrem si in uno tantum coniuge procreandi existat impotentia, coniunctio maritalis ex se dissolvitur, imo ipso iure naturae illicitum est

attentare congressum, quando iam satis et sine dubio constat de impotentiae physicae impedimento aliter probato. Nihilominus, si aliquantulum dubitetur, cum agatur de valore sacramenti, antequam coniuges liberi fiant ad alias ineundas nuptias, iudicis ecclesiastici sententia expectanda est, ad cuius tribunal omnino spectat iudicium. Hoc autem protulit Curia archiepiscopalis Burdigalensis in causa matrimonii inter Eduardum Guillouzic militem et Mariam Aemiliam Rogues de Fursac, qui coram Ecclesia die 18 Decembris 1882 rite contraxerunt : sed prima nuptiarum nocte, et pluries deinde, in congressu vir' expertus est, sponsam ex insuperabili angustia seu arctitudine vasis muliebris, penetrationem impediente, imparem esse ad generandum. Rebus sic stantibus, uterque coniux unanimi consensu, et libera voluntate supplicem libellum dederunt Archiepiscopo petentes, ut eorum matrimonium propter evidentem impotentiam *nullum* et *invalidum* declararet.

Curia Archiepiscopalis, peracto processu, definitive et sententialiter pronunciavit, matrimonium inter Eduardum Guillouzic, et M. Aemiliam Rogues de Fursac *Nullitate* laborare, quamobrem vinculi defensor causam ad S. Sedem remisit. Re delata ad hanc S. Sedem modo quaeritur an sententia a Curia Burdigalensi sit confirmanda, vel infirmanda. Esse absolute confirmandam censeo, cum omnia favent probationum genera, scilicet confessio coniugum, testium depositiones, iurisiurandi religio et maxime peritorum physica inspectio.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Eduardus Guillouzic et Maria de Fursac matrimonium, quod die 18 Decembris 1882 mutuo amore compulsi contraxerunt, volvente Septembri anni 1891, posteaquam per novem ferme -annos eodem in lecto sine querela cubaverant irritum proclamarunt, causati mulieris impotentiam.

Ecclesiastica Burdigalae curia die 29 Aprilis 1892 sententiam edidit votis Eduardi et Mariae consonam ; eamque eximius consultor canonista confirmandam censet. At iure optimo a canonista dissentit lectissimus consultor theologus. Tria

enim monumenta, coniugum scilicet confessio, testimonium *septimae manus* et specimen in Mariae corpore a peritis peractum, quibus actio adversa innititur, fragilissima sunt.

Re sane vera, quod attinet ad confessionem coniugum, ea, ceu vulgatissimum est, in praesenti causa nullo prorsus in pretio haberi potest, quippe quae est in confitentium favorem. Ambo enim coniuges matrimonii dissolutionem cupiunt. Neque coniugum confessioni quidquam valoris adiicit *septimae manus* testimonium. Etsi enim a iure definitum sit testimonium huiusmodi conflari propinquis ac vicinis, actoribus tamen in casu permissum est a *septimae manus* testium albo excludere quotquot ipsis visum est. Matrimonialis autem vinculi vindex, cuius erat insidiis adversus matrimonium paratis obsistere et testes ad collusiones ac fraudes profligandas ex officio inducere, officii sibi concrediti adeo immemor est, ut matrimonii nullitatem et ipse proclamet. Quid quod neque testes ab actoribus pro suo lubitu selecti in verba Eduardi et Mariae, ut advertit optimus consultor theologus, iurare audent?

Nec maioris ponderis est testimonium peritorum. Praeprimis enim unus ex duobus peritis, qui Mariae corpus recognoverunt, videlicet medicus Denucé iure *suspectus* est, quia Mariae corpus iam perlustraverat instante parte. Deinde exploratio a duobus medicis Denucé et Barillier expleta, adeo abnormis est, ut neque iudicialis, neque seriae explorationis figuram referat. Non solum enim periti inaudita animi levitate delibarunt potissima assertae impotentiae signa, ac multa indefinita reliquerunt quae ad praesentis controversiae solutionem definienda omnino sunt, ut advertit egregius consultor theologus; sed neque iudex, neque sacramenti defensor, neque cancellarius ad domum in qua explorata est mulier accessit; imo explorationis diem, horam, locum aliaque omnia, alte silet actuarius.

His omnibus praeiactis, enodandum propositum fuit

Dubium

An sententia Curiae Archiepiscopalis Burdigalensis diei 29 Aprilis 1892 sit confirmanda vel infirmanda in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii, re disceptata, sub die 18 Martii 1893, censuit respondere : « *Praevia sanatione actorum, sententiam esse confirmandam, vetito mulieri transitu ad alias nuptias* ».

AQUEN. IN GALLUS

DISPENSATIONIS MATRIMONII

Die 23 Ianuarii 1893.

Sess. 24 cap. 4 De reform, matrim.

COMPENDIUM FACTI. Maria Lambert aquensis Dioecesis puella, anno 1881 libentissime nupsit coram Ecclesia cum Stephano Gondin e Dioecesi avenionensi. - Anno vero 1888, post septem circiter cohabitationis annos, a viro prorsus derelicta est. Illius vero pater ad expetendum civile divortium filiam suam, ob sexus fragilitatem et praesertim hanc teterrimam qua, hac de re, tam multi Religioni ceterum addicti adlaborant, non satis renitentem, mox inclinavit; et ita factum est, ipso patre cuncta forensia negotia manuducente, Maria una tantum vice interrogata, viro autem minime ad iudicium comparente; sententia divortii data fuit die 13 Novembris 1889; iuridicis momentis tantum de quibusdam exterioribus saevitiis viri profitentibus, qui, omnia silens sustinuit. Addendum quod mox ab alio, provectioris aetatis, expetita viro, ad novas mere civiles nuptias, Maria Lambert transivit, a quo cognosci valuit.

Hodie quidem poenitentia ducta, singulisque domus suae ad auferendum spirituale damnum, excutiendamque infamiae notam, simul adlaborantibus, ipsa parochum suum adiit, eique exposuit semetipsam, aliqua vasis arctitudine laborantem

cum Stephano Gondin nimia organi virilis dimensione constanti, physica impotentia, antecedente, perpetua et relativa penitus teneri ; quandoquidem per plures annos, centies attentatis conatibus, atque multis adhibitis curis, nam mutuo sese prosequebantur amore, nequaquam ad matrimonii consummationem pervenire valuerint.

Quaenam sit talium factorum certitudo, ait Ordinarius, ex praeviis interrogationibus et proborum hominum attestationibus, haud mihi videntur deesse momenta, quibus praetensa huiusmodi impotentia apprime deduci queat. Haec nempe inter alia : et primo, ipsius oratricis, tempore minime suspecto confessio facta propinquis : item declarationes genuinae mariti vel in locis publicis ; imo clamosae quarumdam meretricum quibuscum rem attentaverat, adversus eum exprobrationes ; dein testimonium a quadam bonae famae obstetrice parisiensi prolatum. Nam praecipuus in eo sistit valor, quod ex fortuito circumstantiarum concursu ab obstetrice Maria Lambert corporis inspectionem passa est; et nedum 'infelix mulier tunc temporis de separatione perpetua cogitaret, quum e contra in animo haberet mox laetius et fidentius viro suo debitum reddendi. Oratrix praedita est quippe sincero religicsoque animo ; quippe quae nil prae se ferat quod stolidam illusionem aut libidinosae mulieris fallaciam redoleat et vehementia veracitatis signa praebeat.

Disceptatio Synoptica.

VOTUM THEOLOGI. Praeprimis, ait ille, inquirendum est an ad matrimonii, de quo quaeritur, dissolutionem procedi possit per viam iustitiae, declarationis scilicet nullitatis eiusdem , vel potius per viam gratiae, hoc est dispensationis super eodem tanquam non consummato, sed simpliciter rato ; - secundo: quatenus in hoc alterum decisum fuerit, an sufficienter constet de inconsummatione et dentur rationes iure requisitae, ut dispensatio peti possit.

Ad primum quod attinet perspectum utique est, hic non de absoluta, sed de impotentia mere relativa inter Stepha-

num Gondin et Mariam Lambert sermonem moveri, cum ultro experientia docuit utrumque ad alios potentem extare. Porro coniuges iidem tali reapse ad invicem relativa impotentia laborasse videntur, quae eorum matrimonium ab origine nullum seu irritum fecisse dicenda sit. Sane huiusmodi censetur naturalis organorum improportio copulam in perpetuum physice impossibile reddens, et taliter improportionatos inventos esse dictos coniuges evincitur, tum ex inefficaci per septennium et ultra saepissime repetito in rem uxoriam conatu, tum ex medicorum testimonio sub sacramento declarandum, se apud sponsum utrumque genitalia organa apprehendisse contraria ratione abnormia, ita ut virile membrum per excessum, vas femineum per defectum peccet.

Verum enimvero, cum de processu per viam iustitiae agatur, probationes non ex quolibet genere ad matrimonii dissolutionem, sed certae et indubiae sint oportet; tales autem puto in praesenti casu haud inveniri. Sat enim non est coniugale opus ob improportionem de facto imperfectum continuo mansisse, ut exinde contra vinculi firmitatem quid iure concludas ; nam quod opus non uti convenit perficiatur, hoc ex duplici fonte oriri potest : nimirum, vel ex defectu naturae vel ex culpa operantium. Si prius utique irritum erit coniugium, minime vero si posterius. Culpa autem sua coniuges in casu non factos esse unam carnem plura suadent, prout facile videre est, si quae de impotentia relativa a theologis simul et medicis docemur, cum iis conféras quae in actibus causae leguntur.

Quando accidit virum ob arctitudinem vasis copulam non posse perficere « tunc, ait S. Thomas *(in IV, Dist. 34,, q. 1, ad 5)* medicinali ter cum aliquo instrumento posset claustra pudoris frangere », et propterea expressis verbis dicit Angelicus Doctor, « quod non potest esse perpetuum impedimentum naturale in viro respectu unius personae et non respectu alterius ».

Ceteroquin doctrina est omnino communis quod, « si iudicio medicorum impedimentum impotentiae medicabile sit

absque corporali periculo, quamvis femina renuat incisionem aut medicamenta necessaria, quibus reddatur apta viro, firmum esse matrimonium » Sánchez, *Be matrim. I.V II, disp. XCIII, n. 15.* Et talia medicamenta praesto esse, etiamsi de maxima arctitudine agatur, testis est cl. medicus Gerardus van Swieten qui ita narrat *Comment, in Boerhaave aphor.* § *1290 :* « Dilatari tunc per artem vagina deberet, cuius satis mirum exemplum legitur de muliere, cuius vagina per totam suam longitudinem adeo arcta erat, ut magna cum difficultate calamum scriptorium mediocris magnitudinis capere potuisset; unde matrimonium ante triennium iam contractum, cum consummari non potuisset, irritum secundum leges declarandum erat; iamque in procinctu erat termini statuti finis. Egregius Benevoli per aliquot dies fomenta emollientissima applicuit, deinde induxit pessarium ex radice gentianae paratum; sensim autem adhibebat crassiora; ultimo spongia rite praeparata in eosdem adhibebat usus ». Rediit mulier in patriam, litterisque datis ad Benevoli mandavit se obtinuisse quod speraverat. Unde idem auctor concludit « magna prudentia opus esse, antequam statuatur matrimonii consummationem impossibilem esse ob nimiam angustiam partium genitalium in muliere ».

Iam vero nihil huiusmodi in casu medicinaliter tentatum esse ex actibus apparet.

Ex his non constare omnino mihi videtur, matrimonium de quo quaeritur, ex impotentiae relativae impedimento esse irritum.

Via itaque gratiae seu dispensationis ineunda est, ut tuto praesens causa procedat. Iam vero in summario et gratioso dispensationis iudicio non severas ac rigidas, uti in iudicio de nullitate matrimonii, requiri probationes, deductas scilicet maxime ex corporum a pluribus sedulo facta inspectione, qua illaesa virginitatis signacula apprehendantur, sed coniecturales et adminiculativas super non consummatione sufficere, communiter recipitur. Talem enim praxim tenuisse tribunal S. Poenitentiariae referunt Paulus Leoni *Praxis Poe-*

*nil. part. 2** et Corrado *Praxis dispens. Apost. I. 8, cap. 7;* atque ipsa haec S. C. C. passim secuta est. Sic in celebri causa dissolutionis matrimonii rati et non consummati inter Sigismundum Transilvaniae principem et Mariam Austriae, temporibus Clementis VIII, dispensationem elargitus est Pontifex , quin de principi ssa per matronas et obstetrices visitanda consilium actum sit, cum auditum fuisset eam haud facile hoc passuram.

De matrimonio in themate duo inquiramus oportet, utrum nempe sufficienter constet, illud nun juam fuisse consummatum , et utrum sufficientes pra°sto sint rationes consulendi SSmo pro petita dispensatione.

Quoad primum affirmativam partem suadent probationes, quas arbitror non coniecturales tantum esse, sed vere graves atque ad moralem, prout in praesenti requiritur, certitudinem creandam idoneas. Sane in affirmandam inconsummationem concurrunt tum utriusque coniugum, tempore non suspecto, iurata declaratio, a septima manu plene confirmata, tum corporum, quatenus saltem datis circumstantiis fieri permissum est, inspectio.

Et quidem uterque coniux coram iudice sub sacramento respondit nunquam se, licet multoties per septem annos repetitis conatibus, rem perficere potuisse.

Maximi autem ponderis coniugum testimonium est, quod in ipsa rei novitate invenitur prolatum. Porro tale habetur in casu.

Demum testes septimae manus aliique citati, fere omnes uno ore se coniuges, tempore minime suspecto, impotentiam affirmantes audivisse declarant.

Restat ut de veracitate et de honestate eorumdem aliquid, addam, ait Consultor, prout ea de unanimi septimae manus iurata depositione luce clarius apparet, cum huiusmodi testium nullus sit, qui coniuges veraces se habere expressis verbis non declaraverit. Verum contra oratricem facere quod divortium apud iudicem civilem quaesierit, atque pronunciato divortio civile matrimonium inierit, minime diffiteor, quin

tamen inde sequi putem vel dubitandum esse de veracitate eiusdem, vel alterius istius praetensi matrimonii desiderium, causam fuisse separationis coniugum.

Porro quod de veracitate, honestate et pietate christiana oratricis Barbentanen. parochus testatus est, et hoc non testes solum septimae manus uno ore, sed et contestes ex officio citati confirmarunt.

Ex hucusque relatis sat de veracitate coniugum constare, videtur, declarandum, se per integrum cohabitationis tempus frustra continuo in rem uxoriam conatos esse, neque unquam matrimonium consummare potuisse. Iam vero in huiusmodi iurata declaratione sistere dicenda est omnis decidendi ratio et quidem ita ut, si corporum inspectionem fieri, vel saltem servari regulas circa eam a lege statutas, opportunitas non permiserit, probatio illa sat idonea per se sit impetrandae petitae dispensationis. In casu utique praesenti talis inspectio ex parte necessario deficiens apprehenditur, eo quia causa dissolutionis matrimonii tunc introducta est, cum apud oratricem ex copula illicita cum altero mere civili marito, virginitatis signaculum pessumdatum iam erat. Attamen ut corpora a duobus saltem medicis inspiciantur urgebat inconsummationis ratio, quae non quidem in communi virgínea clausura, sed in vera naturali organorum improportione ab sequenti cum aliis copula non corrigenda, sistere dicebatur.

Requisita itaque inspectio utriusque coniugis, imo et praetensi mariti civilis a medicis omni fide dignis instaurata est; ex his constitit vera esse iam relata et probata.

Cum isthac corporum a medicis facea inspectione, alia plene concordans invenitur, quam anno 1886 Parisiis, fortuito casu, obstetrix peregit.

Itaque sat superque puto de primo extremo constare quod in dispensationis iudicio requisitum in non secuta consummatione constituitur. Quoad alterum h. e. quoad iustas dispensandi causas, non est cur multis demonstrem. eas hic potius abundare quam deficere.

VOTUM CANONISTAE. Animadvertit praeprimis opus non

esse Summi Pontificis vindicari potestatem dispensandi in matrimoniis ratis tantum, nam hoc a nullo negatur; sicuti ex alia parte nullus est qui dubitat inconsummationem argumentis omnino decisivis ostendi debere : quia quando initum est matrimonium, praesumi debet pro consummatione et nulla competit Papae facultas dispensandi in matrimonio fidelium consummato. - Haec praesumptio vehementior quando constat, coniuges post matrimonium simul habitasse, ut accidit in casu. Verumtamen ea est materia huiusmodi, ut multum iudicis arbitrio et prudentiae relinqui debeat. Cosci *De separat, thor?' lio. 1, c. XIII, 25 hyp.j,* qui auctoritate Reiffenstuel *4 Dec. tit. 15, d. 13j,* et aliorum innixus, hanc tradit doctrinam: « Cum, per inspectionem aut aliam probationem non habentur signa physica certa et simpliciter evidentia, excludenda potentiam, sed tamen verisimilia et moraliter quasi certa, tunc regulariter et nisi contrarium iudici expedire videbitur, omisso triennali experimento, et accedente solum iuramento, tum coniugum de defectu perfectae copulae, tum septimae manus, de praestanda coniugibus fide, pro nullitate matrimonii est pronuntiandum ». Si pro nullitate, ergo pro non consummatione, quae, ut patet, includitur in illa.

Contentio Mariae tota fundatur in improportione qua vani evaserunt conatus ad copulam, licet centies repetiti, per plusquam septem annos; et quamvis fateri necesse sit, Peritos in hac materia vix admittere velint veram impossibilitatem coeundi ob arctitudinem, data plena physica potentia ex parte viri, nihilominus illam non penitus excludunt et cognoscunt quod interdum difficultas coeundi insuperabilis existat per plures annos. - Hic Lazzaretti, Medicina Legale lib. II, § 22, refert casum ubi sponsi non potuerunt consummare, et iudicio medicorum copula inter ipsos impossibilis pronuntiata fuit, verum cum in matrimonio perseverarent, sponsa post undecim annos gravida effecta est, et durante praegnantia, vagina naturaliter sese dilatante, partum feliciter edidit. Pariter Casper. - Manuale Pratico - Traduzioni Demaria Vol. II, p. 56. Periti ergo possibilitatem minime urgent: sed

satis superque ostendunt praesumptionem in singulis casibus esse adversam; proinde quaestio in praesenti solvenda est utrum testimonia allata in causa ea sint, quorum vis et pondus praesumptionem contrariam omnem destruant, et e contra inconsummationem probent.

In iuridico examine Maria Lambert, ipsa primo omnium profitetur suam ad ecclesiam Catholicam adhaesionem, quod ceteroquin confirmant testes omnes ex utraque parte, simul cum parocho ipsius. Deinde quoad matrimonium sub iuramento affirmat initum fuisse cum mutuo amore, sed consummationem omnino impossibilem fuisse, non obstante bona ex utraque parte voluntate, et repetitis conatibus. - Plura praescribit obstetrix, quae Maria dicit se fideliter observasse, absque effectu ullo bono; immo post iterata tentamina, vir eius exclamat: videtur mihi res in peius cedere; et eam denuo dereliquit mense Septembris 1888. - Quoad divortium civile asserit mulier, se a patre impulsam, nil probabilius in ea re factura si sibi fuisset relicta.

Dicta Mariae confirmat pro parte sua alter coniux Condin. Sub fide iuramenti affirmat numquam penetratam fuisse vaginam, nec semen intra ipsam eiaculatimi. Dissensiones inter ipsos ex hoc solo capite promanarunt, quo demum taedio nimis affectus, Massiliam profectus sum, ait vir, amor perseverabat ex utraque parte. Nil omnino egit quoad divortium civile. Etiam post divortium Maria parata erat redintegrare domicilium. Quo apparet, ipsam non ambivisse per se divortium, quod et mater eius dicit factum fuisse a patre. Quotquot in causa vocati sunt testes, sive septimae manus, sive ex officio omnes Mariae honestatem confitentur.

Ceterum coniugum confessio, etiam iudicialis, non statim vim probandi habet; immo, ipsa sola et per se omni vi caret, donec aliis adminiculis certis et aliis probationum generibus corroboretur. Alia non est quam « enarratio » facti, quod, argumentis quae res admittit, deinde probari debet, quae in casu alia non sunt quam attestationes honestatis et sinceritatis coniugum, declarationes de non consummatione, factae

« tempore non suspecto » et investigatio facti et causarum non consummationis « a peritis peragenda ».

Circa honestatem et sinceritatem Mariae documentum magni momenti suppeditat 'testimonium iuratum D. Gonet, Parochi Barbentani qui ait: Mariam magnam aestimationem semper meruisse tum puella, tum uxor.

Interrogatus hic testis a Defensore Vinculi « Num amor secretus erga D. Marteau fuerit necne fons et origo dissensionum inter coniuges? negavit omnino ». Loquitur de divortio civili et secunda unione; affirmat Mariam,dum quaerit dispensationem, non ex vana gloria aut simplici desiderio amovendi a se notam infamiae ob unionem illicitam incursam, agere, sed ex conscientia et motivo verae religionis ; et declarat summam eius persuasionem, omnimodam fidem allegatis a Maria praestandam esse. Demum supplicat et ipse dispensationem, dicens nullum inde apud fideles scandalum metuendum, sed plura bona familiis Gondin Lambert et Marteau obventura.

Nec minus luculenter emergunt declarationes coniugum circa *non consummationem* ex testibus productis a parte Gondin.

Consideratis his omnibus, vix ambigi potest de honestate et sinceritate Mariae; et etiam, gradu minori, Stephani Gondin , ita ut si ex hoc capite solo solveretur quaestio, res revera perfecta esset. Ast requiruntur quoque depositiones obstetricum. Qua de re obstetrix Duval interrogata quoad statum physicum Mariae, testatur altitudinem eius esse abnormalem et copulam inter coniuges esse impossibilem propter disproportionem. Nihilominus, affirmat testis, arctitudinem hanc vinci posse a viro alio quam maritus, cuius membrum, ipsi constat ex inspectione Mariae, omnino abnormale.

Consultor ad conclusionem pergens ait : in his quaestionibus difficillimis bene perspecta esse debent et ponderanda testimonia. Nempe quae sinceritatem et religionem partium ostendunt, et attestationes peritorum circa facta physica, quae raro vel nunquam seiungere in hac materia fas est.

Iam vero sinceritas et religio Mariae extra dubium videntur. Ex turba testium productorum non est vel unus qui eam non extulerit. Pro Stephano non sunt tam numerosae, sed ipsius sinceritas confirmatur a Maria, nam idem omnino deponit.

Gravior adhuc est defectus in peritia, defectum formae iam notavi et absentiam interrogationum. Revera, si causae graves determinarentur attestationibus summariis Medicorum - vulgo « certificati » incommodis et abusili ingenti via pateretur. Praeterea res facilis non est conciliari quae dicit D. Cossin de déflorât ione, et sanguinis effusione, cum iis quae leguntur in depositione dominae Duval circa quasi totalem disparitionem hymenis.

Quae omnia formidinem non penitus excludunt, quamvis probabilitatem gravem non consummationis ea constituere non diffitetur : et cum in his miseriis, aliunde irreparabilibus S. C. in benigniorem partem video inclinatam, censeo in casu posse supplicari SSmo pro dispensatione, pro qua rationes gravissimae existunt, in statu miserrimo in quo partes actu versantur.

ANIMADVERSIONES DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO. Labente anno 1881 Stephanus Gondin, in aetate annorum viginti constitutus, et Maria Lambert, unum supra viginti annos nata, matrimoniale vinculum mutuo ad invicem amore impulsi inter se contraxerunt. Individuam vitae consuetudinem neo-coniuges per SEPTENNIUM ad unguem servarunt. Sed anno 1888 Stephanus uxori valedixit: Maria vero subinde iugale vinculum apud magistratum civilem cassavit et die 7 Februarii 1892 apud eundem magistratum mancipata est cuidam Stephano Marteau : Mariae exemplum secutus et ipse Stephanus Gondin mulierem quandam civili nexu iam sibi devinxit. Quibus omnibus absolutis Maria Lambert et Stephanus Gondin insolubile vinculum anno 1881 contractum dissolvere contendunt, inconsummationem matrimonii propter *relativam impotentiam* causati.

Lectissimi consultores, theologus et canonista, Mariae

Lambert et Stephano Gondin suffragantur, non sine tamen aliqua errandi formidine, quae maxima mihi est. Cum enim constat, prouti in praesenti causa, utrimque coniugem esse aptum ad opus, *impotentia relativa* astruenda est per accuratissimam corporum explorationem. At unus tantum peritus, scilicet medicus Cossin, recognovit Mariae Lambert corpus : corpus vero Stephani Gondin duo quidem medici, idest Latii et Cossin, perlustrarunt; ast non SEORSIM, sed una simul: neque ad orale examen periti a iudice acciti sunt, sed scriptam tantummodo expletae perlustrationis relationem ex conspiratione ediderunt ; quae res , ut opportunissime observat eximius consultor canonista, periculis fraudum et collusionum obnoxia est.

Huc accedit quod medici Latii et Cossin, dum affirmant: Mariam defloratam esse a secundo marito, e diametro pugnant cum obstetrice Du val, quae corpus Mariae perlustravit quinto ab expletis nuptiis anno, et iureiurando renuntiat : membranam hymenem violenter impetitam fuisse, quin tamen plene destruentur.

Ceterum, partium studium nedum in medicis Latii et Cossin, verum etiam in obstetrice Duval enitet : quippe quae Mariae Lambert cunum modo magis, modo minus angustum proclamat, prout actrici prodesse censet.

Neque me movent testes *septimae manus,* qui ut suadeant nos tuto posse iurare in verba Mariae Lambert, eius religionem ad coelum extollunt.

Hisce aliisque praenotatis, propositum fuit dirimendum

Dubium

An sit consulendum SSmo super matrimonio rato et non consummato in casu.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii die 28 Ianuarii 1893, re discussa, censuit respondere: *Affirmative.*

MEDIOLANEN, ET ALIARUM

INDULTI

Die 28 Ianuarii 1893.

Per summaria precum.

COMPENDIUM FACTI. Gregorius Papa XIII apostolicis litteris in forma Brevis, datis die 20 Octobris 1579 ad preces Mediolanensis Archiepiscopi, s. Caroli, et Episcoporum eius suffraganeorum perpetuo concessit ac indulsit : « quod quicumque canonici metropolitanae cathedralisve ecclesiae, aut dignitatem in ea obtinentes, aliique chori officii adstricti Archiepiscopo vel Episcopo in civitate etiam extra ecclesiam metropolitanam vel cathedralem consecranti vel reconcilianti ecclesias coemeteriave, aut sacros Ordines aut confirmationis sacramentum aut Sanctissimam Eucharistiam frequenti populo ministranti aut alia pontificalia munera exercenti eius iussu astiterint vel ministraverint vel inservierint ; itemque qui Archiepiscopi vel Episcopi iussu in metropolitana, cathedrali, aut collegiata sua ecclesia curata in sacramentorum Poenitentiae, ac sanctissimae Eucharistiae administrationem operam ministeriumve praestiterint, dum in ea occupatione versantur in ipsa ecclesia, hi omnes et singuli ita praesentes in choro censeantur, ut distributionum quarumcumque aeque participes sint, atque illi, qui missarum solemniis et horariis canonicisque officiis in choro intersunt : quodque praedicto Archiepiscopo et cuilibet Episcopo dictae provinciae liceat quandocumque sibi videbitur permittere et ordinare, ut aliquot ex canonicis dignitatesque obtinentibus ac aliis chori officio adstricti, missae sacrum sive ex sua solum devotione, sive ex onere suscepto vel sibi imposito aut eleemosynae nomine celebraturis illud in sua quisque Ecclesia, in qua choro adstricti sunt, quo tempore divina officia aguntur, tam festis quam ferialibus diebus peragant, et nihilominus quo ad distributiones capiendas attinet praesentes in choro censeantur, eam tamen semper animadversionem adhibituros confi-

dinms Archiepiscopum et Episcopos, ut ne plures eodem tempore, hoc nomine, a chori officiis absint. »

Quum autem huiusmodi indultum, prouti Congregationi S. C. nuper scribebat Episcopus Mantuanus : << a canonicis unius dioecesis tantum praetendatur, et a ceteris etiam universae provinciae proferri posset magno cum chori detrimento, hisce praecipue temporibus, quibus numerus et canonicorum et praebendatorum est valde imminutus, ab Episcopis provinciae ecclesiasticae Mediolanensis quaeritur : an hoc Breve sustineri possit, non obstantibus responsis pluries datis a Sacra Congregatione Concilii : canonicos, nempe parocho et poenitentiario exceptis, si actu audiant, tempore divinorum officiorum audientes confessiones haberi tamquam absentes a choro et distributiones lucrari non posse. »

Rogatus deinde idem Episcopus, ut rationes quoad praefatum indultum dubitandi distinctius referret, sequentia addidit : « hoc indultum censetur donatum ea praecipue de causa, quia forsan tunc temporis ius parochiale ad universos canonicos simul pertinebat. — Modo in capitulo Brixiensi tantum viget ; cum vero sit notum in ceteris provinciae dioecesibus, quaedam canonicorum collegia eodem uti vellent: quod sane foret tolerabile et commodum etiam Episcopis, qui patribus canonicis tot officia committere coguntur. Ast praeterquam quod poenitentibus plerumque heu nimis ! faciunt satis parochus et poenitentiarius, cum ob notas leges canonicorum numerus sit valde imminutus, d omnes praebendati hoc indultum suum esse contenderent, in plerisque ecclesiis cathedralibus chorus vix sustineri posset. »

Disceptatio Synoptica

Porro indultum, de quo in themate, ideo concessum censetur, quia tunc temporis ius parochiale ad universos canonicos fortasse pertinebat, cessasse quoque dicendum forte esset indulti causam, ipsumque consequenter indultum, cum cessante causa cesset effectus, ceu traditur in *Cap. 00 De appellat.* Atque ex hoc tantummodo explicari posse videtur

longissimam privilegii non usum seu potius contrarium usum. Ceterum hic ipse non usus seu contrarius usus haud perperam fortasse heic allegaretur nedum ad arguendam tacitam renunciationem, verum etiam ad arguendum praescriptionis titulum, prouti docet *cap. 6 De privilegiis* - ibi — « Si de terra, quam habetis in parochia canonicorum de Plautio, per triginta annos eis decimas persolvistis, eas sibi de cetero integre persolvatis. Licet enim privilegiorum Rom. Eccl. beneficio fratribus Cisterc. Ordinis indultum fuerit, quod de laboribus suis nullas decimas persolvere debeant; de privilegio tamen indulto tanto tempore vobis detrahere voluistis, cum liberum sit unicuique suo iuri renunciare, eoque modo potestis vos in hac parte tueri. »

Ponderandum e contra est privilegium in casu mere facultativum esse, eiusque usum a prudenti Episcoporum arbitrio omnimode pendere. Nemini enim a choro abesse licet, nisi Episcopi *iussu* vel licentia operam suam impendat in confessionibus excipiendis etc. Ad rem proinde haud facere videntur rationes dubitandi contra ipsum privilegium allatae. Hoc in genere. In specie vero perperam obiicitur privilegii non usus, cum id neque undequaque verum sit, viget enim in dioecesi brixiensi, neque difficultatem parere valeat. Audiatur sane Reiffenstuel in *cit. tit. De privileg, n 209 et 210:* « Resp. III. Privilegia atfirrnativa, quae sunt mere gratiae, atque in nullius gravamen cedunt, v. g. celebrandi ante auroram, absolvendi, dispensandi et huiusmodi, per merum non usum numquam amitti . . . . Accedit ratio : quia imprimis huiusmodi privilegia non amittuntur via praescriptionis, cum nemo sit qui contra huiusmodi privilegia non onerosa praescribere possit. Neque amittuntur per tacitam renuntiationem, quia quisque liberam facultatem habet privilegio utendi vel non utendi . . . . »

Quibus animadversis, quaesitum fuit quomodo preces dimittendae essent.

RESOLUTIO. S. C. Concilii re visa sub die 28 Ianuarii 1893 censuit respondere: *Indultum sustineri et ad mentem.*

EX S. CONGR. INDULGENTIARUM

ORDINIS MIN. CAPUCCINORUM. De sensu Decreti a S. C. Indulgentiarum editi sub die 31 Ianuarii 1893.

Fr. Eugenius a Senogallia Ord. Minorum Capuccinorum sequentia dubia huic S. Indulgentiarum Congregationi diluenda humiliter proponit:

I. An vim habeat retroactivam Decretum ab hac S. C. editum sub die 31 Ianuarii huius decurrentis anni 1893, quoad dubium 9um in quo quaerebatur: « An fideles qui inter tertiarios unius Ordinis fuerint cooptati, cooptari etiam valeant inter tertiarios alterius Ordinis, puta S. Dominici, vel SSmae Trinitatis etc., ita ut aliquis Christifidelis evadere simul possit tertiarius Franciscalis, S. Dominici, SSmae Trinitatis, Ordinis Carmelitici et ita porro? » cui responsum est « Negative »?

II. An vi praefati Decreti Christifideles qui ante idem Decretum pluribus Tertiis Ordinibus adscripti reperiebantur, gaudeant nunc libertate eligendi unum prae altero ex Tertiis Ordinibus, quibus iam sese mancipaverant?

Et S. Congregatio propositis dubiis respondendum censuit:

Ad I. Affrmative.

Ad II. Affirmative, iuxta cuiusvis Christifidelis devotionem.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 21 Iunii 1893.

FR, IGNATIUS CARD. PERSICO PRAEFECTUS.

L. * S.

f ALEXANDER Archiep. Nicop. *Secretarius.*

EX S. CONGR. R. U. INQUISITIONIS

DUBIA quoad denuntiationem coryphaeorum sectae massonicae.

Beatissime Pater,

Franciscus Episcopus Baionen, ad pedes Sanctitatis Tuae provolutus suppliciter expostulat:

I°. An occulti sectae massonicae coryphaei ac duces sint denuntiandi iuxta Constitutionem Apostolicae Sedis, quando sunt publice noti, ut liberi muratorii, sed non sunt publice noti ut coryphaei vel duces huius sectae massonicae ?

2°. An denuntiationis obligatio cesset apud eas regiones, in quibus liberi muratorii et ideo ipsorum coryphaei a gubernio civili tolerantur, et ab ecclesiastica potestate puniri non possunt, nec'ullo modo cohiberi?

Feria iv, *die 19 Aprilis 1893.*

In Congregatione generali S. R. et U. Inquisitionis ad examen vocatis suprascriptis dubiis, Emi ac Rmi Dñi Cardinales- in rebus fidei et morum generales Inquisitores respondendum decreverunt:

Ad 1. *Affirmative.*

Ad 2. *Negative.*

P. R. D. MANCINI *Notarius.*

PETRUS PALOMBELLI *SubsL*

DUBIA quoad cultum Vultus divini Redemptoris.

Dubium I. Utrum approbari vel saltem permitti conveniat specialem cultum vultui adorabili Divini Redemptoris, et ab illo consueto usque adhuc Sancti Vultus imagini tributo diversus, a Sacerdotibus a Sancto Vultu (Sainte Face) dictis, Turonibus institutis, maximopere propagatum per Annales relative Archisodalitatis ?

Dubium II. Utrum ad propagandum stabiliendumve cultum, de quo in altero quaesito, Ecclesiam aut publicum Oratorium

dedicari, sodalitates ac etiam aliquam Religiosam Congregationem vel Institutum sub titulo Sancti Vultus fundari conveniat?

Eminentissimi ac Reverendissimi Domini Cardinales in rebus Fidei et morum generales Inquisitores, re mature perpensa, respondendum mandarunt:

Ad Dubium I. *Non expedire.*

Ad Dubium II. *Negative; et ad mentem.*

Mens est: Sancta Sedes titulum adoptans Sancti Vultus, tum in Brevi diei 16 Decembris 1884 speciales Indulgentias sodalitati sub tali titulo Turonibus erectae concedente, tum in Brevi diei 30 Martii 1885, Sodalitatem ad Archisodalitatis gradum elevante, favere minime intellexit, multoque minus sive directe sive indirecte approbationem dare speciali distinctoque cultui, adorabili Vultui Redemptoris tribuendo eo modo quo a Presbyteris a Vultu Sancto dictis speciatim proponitur atque propagatur.

Sancta Sedes unice venerationi favere intellexit, iam ab antiquis temporibus erga imaginem Vultus Divini Redemptoris, aut eiusdem imaginis exemplaria habitae; ut in Fidelium mentibus, ex veneratione contemplationeque praedictae imaginis, passionum Christi magis in dies memoria succrescet, eorumque in cordibus dolor culparum, ardensque desiderium iniuriis Divinae Maiestati illatis reparandi augeantur. Feria IV, 4 Maii 1892.

Sequenti vero Feria V, facta de his Sanctissimo Domino Nostro Leoni PP. XIII relatione in Audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita, eadem Sanctitas Sua Eminentissimorum Patrum resolutionem approbare dignata est.

Eodem tempore Eminentissimi Patres mentem S. Congregationis recordantur, olim iussu s. m. Pii PP. IX feria IV die 13 Ianuarii 1873 expressam nempe; scriptores, speciali cura adlaborantes, ut huiusmodi novitates edantur, *pc* sub praetextu pietatis enitentes etiam per ephemerides ut inconsuetae devotiones propagentur monendus esse, ut serius perpendant periculum ab ipsis subeuñdum Fideles in errorem trahendi, etiam contra fidem eoque modo Religionem impugnantibus dandi occasionem, ut genuina doctrina Catholica veraque pietas deturpentur, ac ideo praedicti novitatum fautores suum intentum deponant.

SUMMA ACTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE XXV CONTINENTUR

LITTERAE ET ACTA R. PONTIFICIS

EX SECRETARIA BREVIUM

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

EX S. CONGR. RITUUM

EX S. CONG. S. R. U. INQUISITIONIS

EX S. C. CONCILII

EX S. C. EP. ET REG.

EX AEDIBUS VATICANIS

EX S. CONG. INDICIS

EX S. C. DE PROPAGANDA FIDE

S. CONG. INDULGENTIARUM

EX S. CONG. SUPER DISCIPLINA REGULARI

EX S. POENITENTIARIA APOST.

EX S. C. NEGOTIORUM EXTRAOR.

INDEX GENERALIS

CONCLUSIONUM QUAE IN PLERISQUE ACTIS IN HOC VOLUMINE CONTENTIS ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN SINGULIS ACTIS AMPLE EXPOSITA VEL DECLARATA REPERITUR.

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur:

Canon et laudemium.

In affrancationibus fundi emphyteusi ecclesiastici caput canonis, domino directo debitum, ulla absque imminutione ab emphyteuta persolvendum est. *pag.* 232.

Qua de re taxa *di . ricchezza mobile* et quaelibet alia onera vel tributa, quibus in emphyteusi ecclesiastica canonis caput per legem civilem gravatur, non a domino directo, sed ab emphyteuta est rependenda. *ibid.*

Neque hac super re standum est legis civilis dispositioni, quippe quae in odium proprietatis ecclesiasticae lata fuit. *ibid.*

Laudemium, a laudando dictum, domino directo debetur, quoties rei emphyteuticae utile dominium in alios transfertur, *ibid.*

Idque veluti in praemium consensus, quem dominus directus ad utilis dominii translationem praestat, *ibid.*

Hinc in rei emphyteuticae alienatione obligatoria, domino directo nullum debetur laudemium, quia dominii translatio absque ipsius consensu, imo, ipso etiam invito, locum obtinet, *ibid.*

Dominum directum *pro rata* ad expensas concurrere oportet, quas emphyteuta in bonum commune persolveret. *ibid.*

Canonicus quoad chorum.

Non licet praebendatis, vigore cuiuscumque consuetudinis, etiam immemorabilis, abesse a propriis ecclesiis ultra tres menses, *pag.* 541.

Capitulum quoad iura parochialia.

Conventio.

Parochus quoad funera.

IMPRIMATUR

Fr. Raphael Pierotti 0. **P. S. P. A. Magister**

IMPRIMATUR

Iulius Lenti Patriar. Constantinop. Vicesgerens